
CAIETANI FELICIS
VERANI
Niciensis Clerici Regularis
PANTHEON
Argutæ Elocutionis.
TANTUM ELOQUIA CONCINNITATIS IOB 6.
Placito Dorsia

PANTHEON
ARGVTÆ ELOCVTIONIS

Omnia Politioris litteraturæ Genera Complectens,

IN DECEM LIBROS DISTRIBVTVM;


In quorum primis septem, ea omnia, quæ Oratorem perficiunt facili, ac noua methodo explanantur; & ad quamlibet Rhetoricam Præceptionem subijcitur Praxis accommodata presentis sæculi eruditioni. In octauo dilucidantur Regulæ conficiendi Argutias, quę ad mulcendos animos plurimum habent aucupij. In nono expenditur Lapidaria Elocutio: vbi enucleantur noua præcepta texendi Inscriptiones, Elogia, ac Epitaphia. In decimo demùm comprehenditur Symbolica Elocutio, & agitur de Symbolis, Emblematibus, ac Phrenoschematibus;

Opus omni eruditione quà sacra, quà profanâ fartum,

AVTHORE CAIETANO FELICE VERANI

NICIENSI CLERICO REGVLARI

Olim in Messanensi Seminario Rhetoricæ, nunc Philosophiæ Professore.



MESSANÆ, Ex Typographia Iacobi Matthæi. 1670.

SVPERIORVM PERMISSV.

VIRGINI MATRI
MARIÆ
Sanctiſsimæ Trinitatis Sponſæ, ac Filiæ
PATRONÆ SVÆ AMANTISSIMÆ

Author ſuum Opus ſacrat, ac dedicat.

VOTI compos, has lucubrationes, hoc eſt, abortiuas iuuentutis meæ nugas, eò tamen ſplendidiùs illuſtrãdas, quò illuſtriùs tuum eſt illis inſcriptum nomen, Tibi, ò vitæ meæ Mater, ac vnica meorum votorum meta, detecto capite, flexo genu, ac totus in adorationem procumbens demiſsè nuncupo. Sicuti meipſum, non vi quadam Magnetica, licèt ferro ſemper obſtinatiorem, ſed diuino illicio rapuiſti in votum; ità vnicum ſemper fuit meum conſilium, Me totum Tibi, meaque omnia deuouere. Ne renuas leuidenſe munuſculum, quia maximæ obſeruantiæ eſt ſymbolum, ac Amoris teſſera: etiam vnigenito Filio Tuo

† 2 exiguæ

exiguæ Thuris glebulæ vaporantur; & non ad Hecatombem tantùm; verùm ad exiguam vnius immolatæ victimæ impensam oculos conijcere non dedignatur. Quia de Flaminum plebe postremus, ac votiuæ Paupertati addictus verbalem hanc hecatombem dumtaxàt Tibi potui immolare, ò Amantissima Cœlestiū Spirituum Regina: quamuis hoc idem alij fecerint à proposito deterreri haud potui; obseruaui enim in diebus messium, superstites aliquas emortui Veris reliquias quoque placere. In Rhetorum horto diù commoratus turpe putaui è tanta amænitate recedere sine delicioso aliquo munusculo; & quamuis ab inamænis potiùs Lycæi senticetis exortum opus isthuc spinis sit rigidum, impolitum, ac squalens; attamen cum tuum cæperit esse, abibit in flores; Quæ vtpotè fœcundissima Virga Iesse vix à Caduceatore Gabriele salutata, ac Diuino irrorata spiritu, statim nobis suauissimum *Florem* Campi, ac amænissimum *Lilium* Conuallium concepisti; scilicèt vel in miraculis Naturæ ordinem obseruans, datura Diuinum *Fructum* in Hyeme, Cœlestem *Florem* concepisti in Vere, & licèt Martio mense, Tartarei Martis Bella profligasti, vt *Pacis Initium* nobis pareres. Tibi placuerunt semper Flores; Quæ Diuini Solis Aurora illud *Lumen de Lumine* propè Taurum Bethleemitico in specu edidisti; vt vel in ipsa Hyeme nouus *Sol* in *Tauro* splendescens floridissimum Ver Diuinæ Gratiæ nobis indicaret. Quid mirum est? *Sol* è *Virgine* egressus non in *Sagittario*, vt mos est, sed in *Tauro* voluit contemplari; ne vindex ampliùs crederetur *Deus Exercituum*, qui Humanitate indutus; sic ei adhæsit, vt semel assumptam nunquam dimitteret. Si quem tuo gremio contulisti, & Cœli capere non possunt inter Præsepis paleas reclinasti, non miror; quia frumentum Electorum iam maturum, in

palea

palea decuit apparere, quia in terram bonam, hoc est, in vterum tuum cciderat; vel qui venerat in terras ignem mittere statim aptiorem concipiendæ flammæ materiem quæsiuit. Ne igitur rerum Parentis omnium Beatissima Parens laborum meorum primitias temnas; Nam vt cum Richardo à S. Laurentio loquar, *Malui cum mihi deessent Coccus, & Hyacinthus, & Byssus, & Purpura: de pilis caprarũ deuotus offerre, quam in conspectu Beatissimæ Virginis vacuus apparere*. Iamdudùm accenso meo in Te studio pollicitus fui, si meis studijs fauere dignareris ad posteros tuo signatas nomine laborum primitias transmittere, vt splendorem omnem à tuo nomine exhaurirent: Quid ni? fauisti studio; addidisti vires, ac operi coronidem imposuisti; nil modo superest, nisi, vt voti reus, tuo vicissim nomine has lucubrationes coronẽ; quæ ad Te accedunt leues, vt põdus accipiant; abiectæ, vt erigantur; obscuræ, vt eis lumen adspergas; si encomiorum lenocinijs elogium tibi non texunt, balbutienti parce linguæ; loqui de te citrà piaculum vix possem, cum non vacet temeritatis suspicione ipsa laudatio. Non veritas fuco, non maiestas cothurno, non dignitas phaleris indigent. Dei Genitrici impares omnino sunt, vel ipsæ Maronianæ tubæ, impares cõsulares Panegyristæ, impares Orphæi plausus summos decantantes Heroas: Quapropter ad tuos pedes flexo poplite demissè procumbens. Sisto in hoc voto addictissimus Tibi seruus

Caietanus Felix Verani
Clericus Regularis.

TOTIVS

TOTIVS OPERIS INSTITVTVM
AD LECTOREM.

AN redargues temeritatis notam? si ex Præceptis Rhetoricis fartum opus tuis subijcere oculis audeam, post tot eruditione præstantes viros, qui sedulam huic instituto operam nauarunt? ac eà, vel tempestate, quà intempestiui censentur, qui in lucem eduntur libri? cũ nulla ampliùs videatur excogitari posse noua Ars; quin sit multorum vsu voluminum iam detrita; ac nulla tam abstrusa veritas; quamuis in ipso (vt aiunt *) Democriti puteo delitescens, quæ in lucem non prodierit. Nempè excreuit vsque eò librorum moles; vt Bibliothecas non minus ornent, quam onerent: quia inexplebilis illa, ne dicam, libido, sed rabies propagandi proprium nomen, ita animos torquet; vt libros, quasi liberos enixi immortalem Posteritatem nitantur sibi comparare: quippequi, vt ait Momus ille Satyr. 7.* Tenet insanabile multos scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit. *Verùm quod est intolerabilius, vix exilis ingenij scintillula inscitiæ caligines in aliquibus vincit; & iam editis voluminibus, veluti Telluris Soles volunt per omnes Orbis plagas splendescere: vtinam characterum vmbræ crebrò illorum potiùs non obscurarent nomina! plura farciuntur volumina, quæ sculptas deferunt in fronte,* Inscriptiones propter quas vadimonium deseri possit. *Nam si legis, quæ ibi promittuntur tumidis titulis, statim cum Horatio dicis.* Quid dignum tanto foret hic promissor hiatu? *& reuerà sunt Sodomitica Poma, quorum pulchritudo in extimà dumtaxat superficie superbit, intus verò inanem fouent cinerem, de quibus Tertullianus in Apolog.* Si quà illic Poma conantur oculis tenus, cęterùm contacta cinerescunt. *Quamobrem pleriqùe, vt ait Scaliger Verborum Oceanum sine salis guttulà spargunt, de quorum voluminibus subdit Iuuenalis Satyr. 7.*

Hinc

Hinc oblita modi, millesima pagina surgit
Omnibus, & crescit multa damnosa papyro;

Nā hoc in mari si expiscaris, non margaritas Erytræi, sed post diurnam, nocturnamque defatigatam lectionem illud, Nihil cæpimus, *inuenies: quippè alia programmata hisce non conuenirent voluminibus, quam quod de seipsa ingenuè fatebatur Ausonij Echo*,

Aëris, & linguæ sum filia, mater inanis
Iudicij, linguam, quæ sine matre gero;

Nempè hisce vt cecinit Ausonius, Vtilius dormire fuit, quam perdere somnum, atque oleum.

Ne igitur hoc idem in me redargueres; non fuit mea mens in huius operis molitione post tot Rhetoricas præceptiones, tot manibus, locisque sparsas, ex ijsdem dumtaxat Præceptionibus fartum volumen fastidioso præsertim huius sæculi palato obijcere, ac idem ad tædium centiès recudere; vel easdem repetere cantilenas: sed consilium meū fuit Præcepta paucis perstringere; ità tamen, vt laconismus non officiat claritati; & statim cuilibet præcepto praxim, seù compositionem accommodatam huius sæculi eruditioni subijcere; semper enim vtiliùs posituros operam censui Præceptores, si scriptam breuiter artem, praxi, & exercitio curarent altiùs discipulis instillare; quam si vacuis relictis animis chartas liberaliter impleant, quas deinde studiorum pertæsi, nitedulis vorandas tradunt. Cæterùm communes præceptiones ad nouam, ac facilem redegi methodum, redactas diuisi, diuisas ita explanaui, vt nihil necessarium omittens breuitatis meminisse videar: tria quoque dicendi genera ita me dilucidasse puto, vt cuique hàc habita elucubratione in quouis dicendi genere nihil desit.

Quod verò me magis allicit est totius Operis argumentum complectens omnia compositionum genera, tam Arguta, quam Lapidariæ, ac Symbolicæ Elocutionis, ità vt ipsa varietas recreet, & simul omnem eruditionem, quà sacram, quà profanam in vnum corpus perstringat. Artes nouas, quas doceo non multum deflectunt ab ijs, quas tradit Aristoteles: neque in eam incidi elationis insaniam, vt tamquam proprium mihi vsurpare velim, cuius prima lumina à tanto didici Præceptore. Neque tumidum censeas Operis titulum; metaphoram magis proportionatam non inueni: Inscribitur Pantheon Argutæ Elocutionis, *quia fanum erat hoc Romæ cum Ethnica Superstitio regnaret, mirà arte laqueatam referens testudinem, seù*

Emisphe-

Emisphærion, quo magis ad Numinum cultum animos excitaret; adest & hisce diebus ex antiquæ Romæ ruderibus hoc vnum superstes lipsanum, quod de veraci temporis dente triumpharit; habet in summo Emisphærio medium lumen; infrà lithostratum varijs distinctum marmoribus; surgunt è pauimento circumquaque columnæ striatæ, epistilijs exornatæ corinthijs; videntur inter columnas sacella, vbi per ambitum erant olim statuæ collocatæ imagines omnium Numinum referentes; habet Pronaon immanibus suffultum columnis: quod verò facit ad rem meam; sicuti olim hoc in templo omnes Numinum effigies suspiciebantur sculptæ; ità per metaphoram Proportionis, hoc Opus Pantheon *inscribitur, quia omnes species Politioris Litteraturæ complectitur.*

Quamobrem in decem partitur libros; in quorum primo cum Cicerone, Materiam Artis Rhetoricæ, Naturam eius, & Imitationẽ *enucleo, ità tamen, vt nuce occludere videar præceptorum Iliadem; quibus addo nonnullas artes nouas imitandi, seù variandi eamdem periodum per series Argutiarum, quibus facilè Tyrones se in hac Arte exercere possint. Nam quantùm prosit exercitatio; ex hoc facilè dignosci potest, quod Virgilius* Culicem, *Puteanus* Ouum, *Catullus* Passerem. *Statius* Psittacum, *Maioragius* Lutum *laudarint, dumtaxat exercitij gratia. Verùm vt eloquentiæ candidatus statim habeat quod dicat. In secũdo libro de* Inuentione *agitur. Nobilis Orator ante omnia certam propositionem sibi præfigere debet, ad quam omnia dirigat; aliàs cæcis oculis natãti similis erit, qui brachiorum plausu multum fatigetur, & parùm proficiat eò quia littus, quò debeat tendere, non videat. Et vt inuenta neruosè disponat; in Tertio,* de Argumentatione; *in Quarto*, de Amplificatione; *in Quinto*, de Dispositione *peragitur; quia verò pro diuersis occasionibus diuersæ sunt texendæ orationes ornatè, ac perpolitè; in Sexto*, Tota Epidictica Elocutio *dilucidatur; & in Septimo*, Figuræ omnes *comprehenduntur; quia verò sæculum nostrum styli simplicitatem nauseat, & quendam exigit luxum; ideò in Octauo explicantur veræ, ac faciles regulæ conficiendi* Omnia Argutiarum Genera, *quæ animos mulcent, ac alliciunt. Nonus liber* Totam Lapidariam Elocutionẽ *complectitur, vbi expenduntur nouæ regulæ texendi* Inscriptiones, Elogia, ac Epitaphia. *In Decimo demùm Libro* de Symbolica Elocutione *agitur, ac enucleantur regulæ delineandi Symbola, Emblemata, ac Phrenoschemata.*

Potuisset,

iſſet, libentèr fateor, hoc opus inter priuatos adhuc parietes iere, magiſque matureſcere: Aſt multorum ad diuulgandum mulatus precibus cogor, vix ætatis meæ ſextum ſupra vige-emenſus annum iuueniles meas elucubrationes, ſeù nugas ede-iſque mandare: meo igitur labore fruere, Lector Beneuole, ibil inuenias, quod probes conatum ne improbes. Benè valeas.

Proteſtatio Authoris.

as volo, me ſubijcere omnia, quæ in hoc Opere continen-ır iudicio S. Apoſtolicæ Sedis; & ſi quid contra Fidei Or-ıodoxę dogmata, vel SS. Patrum ſancita lucubrationes edolerent, oblitteratum eſto. Quæ verò in Elogiorum ibus de B. Andrea Auellino narrantur miraculoſa, aliqua nà dumtaxat nituntur authoritate, cum non ſint Romæ à, vnde fides ſit penès Authores. Ita iubente Sanctiſſimo ıo VIII. fęlicis memoriæ in Decreto dato die 5. Iunij, An. Orbe reparato 1631.

D. IOANNIS SESTRI

Anagramma Arithmeticum.

CAIETANVS VERANI NICIENSIS CL. R. ninarij Meſſanæ Rhetoricæ, ac Philoſophiæ Lector.

2 2 1 4.

Anagrammaticè diſtichon.

Palladis orta canens, fallis, ceruice Tonantis;
Dum cadit, hoc, nato mente, Minerua, tomo.

2 2 1 4.

Emisphērion, quo magis ad Numinum cultum animos excita adest & hisce diebus ex antiquæ Romæ ruderibus hoc vnum sup lipsanum, quod de voraci temporis dente triumpharit; habet in mo Emisphērio medium lumen; infrà lithostratum varijs distin marmoribus; surgunt è pauimento circumquaque columnæ stri epistilijs exornatæ corinthijs; videntur inter columnas sacella per ambitum erant olim statuæ collocatæ imagines omnium N num referentes; habet Pronaon immanibus suffultum columnis: verò facit ad rem meam; sicuti olim hoc in templo omnes Num effigies suspiciebantur sculptæ; ità per metaphoram Proportioni Opus Pantheon *inscribitur, quia omnes species Politioris Litter. complectitur.*

Quamobrem in decem partitur libros; in quorum primo cu. cerone, Materiam Artis Rhetoricæ, Naturam eius, & Imita *enucleo, ità tamen, vt nuce occludere videar præceptorum Ilia quibus addo nonnullas artes nouas imitandi, seù variandi ea periodum per series Argutiarum, quibus facilè Tyrones se in h te exercere possint. Nam quantùm profit exercitatio; ex hoc dignosci potest, quod Virgilius* Culicem, *Puteanus* Ouum, Ca Passerem. *Statius* Psittacum, *Maioragius* Lutum *laudarint, taxat exercitij gratia. Verùm vt eloquentiæ candidatus stati beat quod dicat. In secūdo libro de* Inuentione *agitur. Nobili. tor ante omnia certam propositionem sibi præfigere debet, ad q omnia dirigat; aliàs cæcis oculis natāti similis erit, qui brach plausu multum fatigetur, & parùm proficiat eò quia littus, beat tendere, non videat. Et vt inuenta neruosè disponat; in T* de Argumentatione; *in Quarto*, de Amplificatione; *in Q* de Dispositione *peragitur; quia verò pro diuersis occasionibus sæ sunt texendæ orationes ornatè, ac perpolitè; in Sexto*, Tot dictica Elocutio *dilucidatur; & in Septimo*, Figuræ omnes *prehenduntur; quia verò sæculum nostrum styli simplicitatem seat, & quendam exigit luxum; ideò in Octauo explicantur ver faciles regulæ conficiendi* Omnia Argutiarum Genera, *quæ an mulcent, ac alliciunt. Nonus liber* Totam Lapidariam Elocut *complectitur, vbi expenduntur nouæ regulæ texendi* Inscriptic Elogia, ac Epitaphia. *In Decimo demùm Libro* de Symbolica cutione *agitur, ac enucleantur regulæ delineandi Symbola, I mata, ac Phrenoschemata.*

Potui

Potuisset, libentèr fateor, hoc opus inter priuatos adhuc parietes delitescere, magisque maturescere: Ast multorum ad diuulgandum opus stimulatus precibus cogor, vix ætatis meæ sextum supra vigesimum emensus annum iuueniles meas elucubrationes, seù nugas edere, Typisque mandare: meo igitur labore fruere, Lector Beneuole, & si nihil inuenias, quod probes conatum ne improbes. Benè valeas.

Protestatio Authoris.

Scias volo, me subijcere omnia, quæ in hoc Opere continentur iudicio S. Apostolicæ Sedis; & si quid contra Fidei Orthodoxę dogmata, vel SS. Patrum sancita lucubrationes meæ redolerent, oblitteratum esto. Quæ verò in Elogiorum decadibus de B. Andrea Auellino narrantur miraculosa, aliqua humanà dumtaxat nituntur authoritate, cum non sint Romæ discussa, vnde fides sit penès Authores. Ita iubente Sanctissimo Vrbano VIII. fęlicis memoriæ in Decreto dato die 5. Iunij, Anno ab Orbe reparato 1631.

D. IOANNIS SESTRI

Anagramma Arithmeticum.

P. D. CAIETANVS VERANI NICIENSIS CL. R.
Seminarij Messanæ Rhetoricæ, ac Philosophiæ Lector.

2 2 1 4.

Anagrammaticè distichon.

Palladis orta canens, fallis, ceruice Tonantis;
Dum cadit, hoc, nato mente, Minerua, tomo.

2 2 1 4.

D. PETRVS PAVLVS NOBILIONVS
Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

OPus inſcriptum PANTHEON ARGVTAE ELOCVTIONIS &c. à P. D. Caietano Felice Verani compoſitum, & iuxtà aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat facultatem concedimus. Datum Romæ in Domo Quirinali S. Silueſtri die 26. Aprilis 1670.

D. Petrus Paulus Nobilionus Præpoſitus Generalis Cleric. Regul.

D. Caietanus Cizalettus Secret. Cler. Regul.

IVſſu Admodum R. P. D. Petri Pauli Nobilioni noſtri Ordinis Prępoſiti Generalis, attentè perlegimus librum, cui titulus eſt, *Pantheon Argutæ Elocutionis*, à P. D. Caietano Felice Verani eiuſdem Ordinis Theologo compoſitum; in eoq; nihil, quod Romanę Fidei, vel bonis moribus ſit diſſonũ, reperimus. Immò ad cõcentũ floridæ Eloquentiæ affabrè, ac ingenioſè mirabiliter concinnatum; vt verè reſpondeat ſuimet Auctoris Cognomini *Ver* Amæniſſimum *Anni* geſtanti. Quapropter, vt quamprimùm lucem videat optamus, Oratoribus, ac Verbi Dei Præconibus, necnon Academicis ingentem vtilitatem allaturus. Meſſanæ in hac noſtra Domo Sanctiſſimæ Annuntiatæ die 19. Februarij 1670.

D. Saluator Marcheſius Cler. Regul. in Seminario Meſſanenſi Sacræ Theologiæ Primarius Lector, & in Regno Siciliæ S. Inquiſitionis Qualificator.

D. Domenicus Caſtelli Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Examinator Synodalis.

SYNOPSIS

SYNOPSIS EXPENSIONVM,
Quæ in hoc Opere continentur.

Numerus Paginam dicit.

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IV.

Expen

Expen.

LIBRI VIII.

Expen.

LIBRI IX.

LIBRI X.

Expen.

PANTHEON

PANTHEON
ARGVTÆ ELOCVTIONIS

In quo primùm pro Choragio vniuersæ Rhetoricæ Præponuntur

QVAEDAM PROLEGOMENA, AC PROGYMNASMATA.

PRÆLVDIVM.

EXESOS penetrare anfractus, ac auram zephyrumq; populosæ garrulitatis lasciuienti prurigine emendicare flexanimæ artis dedecet Maiestatem: quippequi non patitur in fœdo, vt ità dicam, palliati encomij lupanari prostitui, quæ candidæ elocutionis gaudet Amasijs gratuiti muneris dote copulari. Verùm eas calcat regias amænasque vias, quales florescentis veris iuuentus, cùm ex hyemali post liminio, veluti è sepulchrali sarcophago immortalis phœnicis ad instar rediuiua renascitur. Vbi vernis teporibus, ac exhilaratis auris emicat sydereum telluris coronamentum, vbi festiuè gliscunt flores, alij in gemma nascentes, alij ex hyante iam calice promicantes, alij rupta iam vagina pubescentes, alij foliorum pompa superbientes. Gaudet enim Regina eloquentia inter flores vernare, ac eorum stomachatur commercium; quorum incustoditum ætatis florem somnifera Morphei decutit virgula, molli culcitra

 con-

conciliante ſoporem, eoſquè reijcit; qui illibatas muſarum diuitias veluti purpuratæ Nitedulæ ingrato dente corrodunt, morſuque lacerant: vel qui cupiditatibus flagrantes, & otij gelu concreti, non alia tractant ſpicula, quàm roſarum. E conuerſo illis arridet, quibus non aliæ criſtis exundant plumæ; quàm, quas è victis illecebrarum monſtris obtruncant, qui non alias ediſcunt inflare bellicas Martis tubas, quàm canoras muſarum fiſtulas armonico carminum ſono, qui non alia obijciunt in hoſtes ſcuta, quàm Palladis. Adeſte igitur, qui Rhetoricæ tramites curioſo permeare anhelitu conflagratis, ne in cęcutientes deſudetis conatus; in primo flexanimæ artis veſtibulo, quædam præponam prolegomena, ac progymnaſmata, quibus veluti lucido corruſcamine clarus, faciliſq; vobis patebit ad totam Rhetoricam ingreſſus. Quod verò mei muneris eſt, in argutiarum ſtructura, ac in Epitaphijs, Inſcriptionibus, Elogijs, Emblematibus, Phrenoſchematibus, vulgò Impreſijs conficiendis diutiùs immorabor. Cęterum ſi quid erit inutile omiſſum faciam, ſi quid perdifficile meis pro viribus complanabo, ſi quid nimis prolixum ita compendijs agam, vt breuitas nocere nequeat claritati.

Deus interea, cuius opem enixè flagito hiſce incęptis,
adſit, vt exorientem ad noua ſtudia Seminarij
Mamertini ſtudioſiſſimæ iuuentutis florem
ad optatum ſcientiæ fructum
Rhetorica cultrix
erudiat.

(†)

PROLEGOMENVM PRIMVM.

De primis orientis Rhetoricæ Cunabulis.

ALexanima ars antiquam, nobilemque iactat originem, ab ipso nempè Iouis capite vna cum Pallade ortum traxisse Poëtarum fatentur commenta. Omnem verò sapiētiam à Deo fluere, ac à Patre luminum, veluti disseminatos per totam tellurem Solis radios exoriri, veritas est luce clarior. Aristides orat. 2. lepidè narrat in ipsis pubescentis mundi cunabulis magnam extitisse perturbationem, ità vt ipsa Bruta, nudum, ac inermen hominum cœtum anteirent, varijsque molestijs extorquerent. Nec ipsi homines præ consilij inopia, ac prudentiæ pauperie, propriam tuebantur rem; immò ipsis belluis rudiores inter se tumultuantes brutorum more, sine ratione, sine prudentia progrediebantur; quibus cōpassus erumnis Prometheus cælum conscendit, cuius gratia, ac prece delinitus Iuppiter, vt hominis ęrumnis opem ferret, Rhetoricam sub Mercurij comitatu misit in terram, quæ aurea Saturni sæcula reuocauit, quando

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Cæterùm, quia huius artis ornamenta rudia fuisse illis sub mundi initijs probabile est, nulla in ipso mundi exordio fit de hac arte mentio, quapropter Cic. in Brut. eloquentiæ ortum facit ab Athenarum adolescētia, ac Greca è Ditione, vbi politioris eloquētiæ flores, veluti amænissimo in viridario vernabant, nam Rhetorica est nomen græcum, quod latinè idem sonat, ac oratoria; prouenit enim hoc nomen à verbo græco Rhetorio, quod latinè fluo, oro, dico, declamo, ornatè loquor interpretatur; nec audiēdus est Atheneus, qui hanc artem fallendi facultatem appellare haud dubitauit; forsan me iudice, quia ridicula, ac furiosa mentiendi libido Græcorum per ingenia semper irrepserit; nec præstigias Græculorum sophistarum, quibus supra meritum res euehebantur propono imitandas: ne in nos quoque scomma illud Agesilai torqueatur, qui nonnullis oratorem commendantibus, quod res exiguas, mirificè verbis extolleret. At ego, inquit, pessimum eum Sutorem putem, qui paruis pedibus grandes calceas inducat. Absit nostra è facultate tanta infamia, licet fuco colorata

 ince-

incedat, ac florum contexta amænitatibus, & aliquando intermiſceat auxœſes, ac hyperboles, ea tamen vtitur moderatione, vt & verum oſtendat, & ſimul delectet. Atqui omiſſis varijs ſophiſtarum difficultatibus, quæ quia frigidæ ſunt hyemalem ſecum trahunt ſterilitatem, vel quia nimis rixoſæ, Martialem potiùs ſapiunt campum, ac Bellonæ palæſtram; quam huius facultatis lycæa; ad curioſiora, ac amœniora facili pede progredior.

PROLEGOMENVM SECVNDVM.

De Rhetorum honoribus.

TAnti facere viri prudentia pollentes ipſam Rhetoricam, vt ad illius legendos flores chartis impalleſcere, ſudorum imbres fundere, pluresque exantlare labores non dubitarint: hinc multos ad incognitas, ac diuerſas orbis plagas, vel ad eloquentiæ primum veſtibulum aggrediendum; vel iam longa intercapeditante temporis prolixitate, ad aures ſcientifica modulatione demulcendas, diſcendi traxit cupiditas. Sic Euclides Megarenſis, & Laſthenia mulier habitu ementito, hæc virili, ille fœmineo ad adſciſcendas diſciplinas primus Socratis, ſecunda Platonis multos ſuperarunt labores.

Quamobrem Rhetores ſuper honoris culmen vehebantur. ſic conceſſum olim oratoribus fuit, vt in palmis, palmarumque folijs ſuas exararent orationes, & meritò; triumphalia enim oratorum verba non alia erant excipienda Papyro, quam palmari, ſic huius oratorum priuilegij meminit Martialis lib. 7. ep. 27.

Sic fora mirentur, ſic te Palatia laudent,
Excolat, & geminas plurima palma fores.

Ingentis etiam honoris fuit ipſius Rhetoricæ, quod Traianus Imperator aureo ſuo curru, ac triumphali, Dionem exciperet Oratorem: vnde Roma non minus Martem, quam Palladem excepit triumphantem, & bene: Capitolium enim non corporum dumtaxàt triumphantibus: ſed animorum etiam triumphatrici eloquentiæ debetur.

Hortentio Oratori Sphingem eburneam dediſſe Verrem meminit Plutarcus, ſphinx enim ſapientiæ, & quidem arcanæ ſymbolum fuit, & hoc conſueuerat eſſe oratorum munus, ad indican-

dum,

dum, quantum reconditæ doctrinæ, ac liberalium artium Oratori inesse debeat.

Martis etiam fulmen Alexander Macedo teste Plinio lib. 7. cap.29. tanti eloquentiam fecit, vt capto inter Darij spolia Persarum Regis vnguentorum scrinio (quod erat auro gemmis, ac margaritis pretiosum) libros Homeri, quos tanto dignos loculo existimabat incluserit; imò Thebas cum euerteret; & in omnes sine discrimine sæuiret, Pindari vatis Penatibus parci iusserit.

Scipio Africanus statuam Ennij Poetæ (quem in suis expeditionibus comitem semper habuerat) sepulchro suo imponi iussit, vt indicaret, etiam post fata sapientiæ simulachrum vitam mortuis parere. Quid de Isocrate dicam? qui tanto erat in honore, vt vnicam orationem viginti talentis vendiderit?

Numeriano Rhetori; vt fatetur Vopiscus ætate leui, sapientia tamen, ac facundia graui Chari Imperatoris filio surgebat statua in ipsa Vrbium Regina, hac Epigraphe *NVMERIANO ORATORI POTENTISSIMO*.

Quid de statuis Oratoribus erectis dicam? Demetrio namque Phallereo trecentas, & sexaginta erexere statuas Athenienses; ac Proæretio eloquentissimo Populus Romanus gygantæum cõflauit Simulachrum hac inscriptione. *REGINA RERVM ROMA PROERESIO REGI ELOQVENTIAE*. Imò aureas etiam fuisse erectas statuas Rhetoribus legimus: Gorgiæ Leontino; qui primus subitæ, ac fortuitæ orationis fontem adaperuit non inaurata, vt præteritis eloquentibus, sed aurea surgebat statua, vt uel tacens simulachrum auream loqueretur facundiam Oratoris.

Platonem maximè commendauit Aristoteles discipulus, eius namque nomini Aram in Fano construxit statuamq; consecrauit hoc lemmate, *HIC ILLE EST, QVEM PROBI OMNES MERITO DEBENT IMITARI, ET COMMENDARE*. Zenonem Athenienses tanto honore sunt prosequuti, vt apud ipsum claues vrbis deponerent, ipsum ornarent aurea corona, ac ænea imagine, indicantes *Vrbes non melius custodiri, quam sapientia, & consilio*. Hinc Lucianus Rhetoricam descripsit sedentem eminenti in solio formosam aspectu, gracilem corpore, Amaltheæ cornu præ manibus gestantem omnibus repletum fructibus: & merito, nam vt cum Lucano loquar

Sol

- - - - - - - - - - sol tempora diuidit aui,
Luna suis vicibus Thetim; terrenaque miscet,
Frigida Saturne glacies, & Zona niualis
Cessit; habet ventos incertaque fulmina Mauors;
Sub Ioue temperies, & nunquam turbidus aër.
At fœcunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet;

Nam illa est eloquentia, quæ sub sensu aërem ponit licet sub tecto, mox nimijs solis ardoribus æstuantem, mox intemperata frigoris sęuitie obrigentem, mox præ intemperie constipatum, & concretum, mox horridum procellis, fulminibus corruscum, tonitruis bacchantem, & nunc placidissimis auris delinitum.

Hinc sapientes lateribus Principum defixos vidit oculata Vetustas, vt fuit Alcynous Vlysi, Chyron Achilli, Aristoteles Alexandro, Anacreon Policrati, Nestor Agamennoni, Antigono Zeno, Apolodorus Augusto, Xenophon Cyro, nec immeritò, nam vt ait Plato, *Cum sapiens diuino, atque decoro frequenter adhæreat, & diuinus ipse, atque decorus, quoad homini possibile est efficitur. Sapientia enim, & consilio magis; quam armis tuentur Respublicæ;* hinc Prudentius canebat, *Tunc fortuna satis, si vel reges saperent, vel regnarent sapientes.*

PROLEGOMENVM TERTIVM.

Quid sit Rhetorica, an sit ars, vel scientia.

RHetoricam esse artem nulli est dubium; versatur enim circa praxim, ac docet præcepta, quæ pariter ad praxim sunt reducenda, è conuerso scientia talia non respicit præcepta, sed solum sistit in cognitione euidenti per suas causas, qua propter praxim non respicit: hæc igitur est differentia inter scientiam, & artem, quod ars essentialiter sit reducenda ad praxim, è contra ipsa scientia solum sistit in cognitione euidenti alicuius obiecti per suas causas. vnde ipsa Logica docens non est scientia, saltem speculatiua, eo quia doceat præcepta benè conficiendi Syllogismum. Plato Socratis discipulus, ac Aristotelis magister Rhetoricam voluit esse artem flexanimam, quia docet præcepta flectendi animum, ac mouendi affectus.

Quia verò omnes artes respiciunt præcepta aliqua ad praxim reducenda, euenit quod Rhetorica conueniat cum omnibus artibus per hoc, quod aliqua præcepta complectatur: quia autem hæc præcepta, versantur circa modum bene, ac recte dicendi, differt ab alijs artibus, quia illi dumtaxat conuenit benè, ac rectè dicere: Logicæ conficere syllogismum &c.

Vnde quærenti quid sit Rhetorica, bene definitur, quod sit ars respiciens præcepta ad bene loquendum: hæc enim definitio est optima, quia explicatur per genus, & differentiam; per ly respiciens aliqua præcepta explicatur genus, conuenit enim cum omnibus alijs artibus; per ly ad bene loquendum explicatur differentia, quia differt ab alijs artibus.

Rhetorica insuper multiplex est, alia diuina, & infusa, vt fuit illa Apostolorum, quâ Ethnici Philosophi orthodoxam ad fidem trahebantur; alia Heroica, vt illa Sanctorum Patrum Augustini, Cypriani, Hieronymi: alia humana, quæ dupliciter diuiditur nempè in naturalem, & artificialem naturalis est quædam innata facultas rudis, à natura hominibus indita ad suadendum bonum, & dissuadendum malum, quia quis potest figuratè, ac rectè loqui, vt faciunt ipsi rustici, qui per introgationem, apostophe, & ethopæiam loquuntur.

Rhetorica artificialis est, quæ docet præcepta ad perpolite loquendum, vt quando quis re ante perscrutata ad aliquam texendam concionem, siuè panegyrim vtitur præceptis Rhetoricæ ad conficiendam talem concionem, nempè argumentatione, amplificatione, & descriptione deducendo exordium, vel à visceribus causæ, vel ab historijs, fabellis, & ab alijs circumstantijs.

PROLEGOMENVM QVARTVM.

De Officio, ac fine Rhetoricæ.

PRæcipuum munus huius artis est dicere appositè ad persuadendum, & tales adducere rationes, vt auditores iudicent ita rem sese habere; vnde tota debet insudare ad apposite dicendum. Finis circa quem versatur est persuadere; ideò media ad talem attingendum finem erunt apprimè, ac appositè dicere ad persuadendum; dicere apposite includit tria præcipua munera Oratoris, nempè

nēpè docere, delectare, & mouere, ità vt cōcionator, qui intendit aptè dicere ad perſuadendum: hæc tria munera debeat exercere; & ſi vna ex his tribus partibus in oratione deficiat mancus cēſeatur orator. Docet ſi validis argumentis, adagijs, axiomatibus, hiſtorijs quà ſacris, quà prophanis, ac fabellis propoſitionē corroborat, delectat, ſi varijs vtatur figuris, acuminibus, leporibus, ac omni amænitate dicendi: mouet concitando affectus in ipſis auditoribus mouendo, mox ad pietatem, mox ad odium, mox ad ſpem, mox ad deſiderium, & mox ad dolorem.

PROLEGOMENVM QVINTVM.

De materia circa quam verſatur Rhetorica.

SIcut omnes artes peculiarem habent materiam, circa quam verſentur, vt ars cælatoria marmora, ſutoria corium, muſica voces, ſic ars Rhetorica ſuam habet materiam, quæ eſt omnis quæſtio, ſiuè Theſis, ſiuè Hypotheſis, ſcilicet omnis propoſitio, ſiuè vniuerſalis, ſiuè particularis ad praxim tamen reducenda; dico ad praxim reducenda, quia Rhetorica non ordinatur ad veritatis cognitionem; ſed ad ſuaſionem boni, & diſſuaſionem mali; vt ſupra vidimus, at quæſtio practica non ſpeculatiua, ad hunc finem conducit, ergo hæc propoſitio ſiuè vniuerſalis, ſiuè particularis debet eſſe practica. Illa propoſitio dicitur Theſis, quæ eſt vniuerſalis, vt nauanda eſt opera inſtrumentis muſicis; adiſcendæ ſunt linguæ, quæ propoſitiones, vt patet ſunt vniuerſales, ac dicuntur Theſes: Hypotheſis, è contra eſt propoſitio particularis, vt præſtanda eſt opera citharæ, ſtudendum eſt linguæ græcæ.

Eſt igitur benè animaduertendum, quod propoſitio cum ſit huius artis materia eſt bene expendenda, quæ ſit probabilis, ac validiſſimis argumentis, teſtimonijs, & exemplis confirmanda, quæ ſit clara, nec nimia extollatur audacia, itavt videatur temeraria.

Inſuper Hypotheſim ad Theſim reuocare non mediocris, ſed perfecti eſt oratoris, quæ reuocatio ſit: quando de propoſitione aliqua particulari, quæ probanda ſumitur ſit tranſitus ad propoſitionem vniuerſalem eiuſdem tamen generis, ac eſt ipſa propo-

ſitio

ſitiò particularis; v. c. quis vult probare hanc propoſitionem, ſcilicet Ariſtotelis Philoſophiam eſſe ediſcendam, de hac propoſitione particulari, fiet tranſitus ad vniuerſalem, ſi probetur philoſophiam, vt ſic, ſeù in genere eſſe ediſcendam.

Hic tranſitus de Hypotheſi ad Theſim reuocandus præcipuè eſt, cum defendendum eſt alicuius crimen, ſiuè excuſandum vitium ab aliquo perpetratum, ſic Marcus Tullius, vt defenderet Celij adoleſcentiam non benè morigeratam; imò varijs temeratam vitijs; tranſit de Hypotheſi ad Theſim non excuſando peculiarem Celij adoleſcentiam, ſed iuuentutem in genere: ſic pro Celio num. 28. loquitur Tullius: *datur enim conſenſu omnium huic ætati aliquis ludus, & ipſa natura profundit adoleſcentię cupiditates, quæ ſi ita errabunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant tollerabiles haberi ſolent.*

PROLEGOMENVM SEXTVM.

De Partibus Rhetoricæ.

COmmuniter ab Oratoribus in quinque ſecatur partes Rhetorica, quæ partes ſunt Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio: priùs enim Orator debet inuenire ea, quæ ſunt dicenda, inuenta diſponere, diſpoſita ornare verbis, ornata verbis, memoriæ mandare, memoriæ mandata rectè, ac diſtinctè pronunciare, abſque ſyllabarum eliſione: quare Orator debet omninò Artificem imitari, qui intendat domum conſtruere; priùs enim inuenit lateres, marmora, calcem, trabes, & cætera ad domum conſtruendam; deinde omnia benè diſponit; iacit fundamenta, parietes erigit, officinas diuidit, cubicula componit, vſque ad vltimum domus complementum; domo confecta exornantur parietes, vel picturis, vel ſericis ornamentis, vel alio vermiculato opere; eodem prorſus modo faciendum eſt ab oratore, qui vileſcere debet vſque ad imitationem artificis, vt nobilior habeatur.

Inuentio *eſt excogitatio rerum verarum, ſeù veriſimilium, quæ propoſitionem probabilem, ac veriſimilem reddant*, vt inuenire valida argumenta, neruoſas Sanctorum Patrum ſententias, ſcripturarum authoritates, exempla, tùm ſacra, tùm prophana, quæ rei

honeſtatem, ſeù inhoneſtatem probent; qua propter,vt conficiatur concio: priùs eſt inuenienda propoſitio, quæ vt fieri poteſt vniuerſalior eſſe debet,vt latiſſimus pateat amplificandi campus; poſtea reperienda ſunt argumenta, ſeù conceptus prædicabiles, ſeù exempla ſacræ Scripturæ,vel ea,quæ rem adamuſſim probent, quare fabellæ potiùs à probatione erunt reijciendæ, earum namque vſus ſolùm inſeruit ornamento diſcurſus.

Diſpoſitio *eſt rerum inuentarum per ordinem diſtributio* tali pacto, priùs clarè, ac diſtinctè dicenda eſt propoſitio probanda, quæ poni ſolet in fine exordij; inſuper eadem propoſitio probari poterit argumentis minus efficacibus, vel exemplis, hiſtorijs, & adagijs;in fine erunt ponenda argumenta, & exempla efficaciora, vt diſcedentibus auditoribus viuidiùs perſuaſum remaneat,quod erat probandum.

Elocutio *eſt idonea verborum,ſententiarum,amænitatum, adagiorum, ac argutiarum ad inuentionem accommodatio*, ſeù potiùs ornamentum rei inuentæ, ac iam per ſuas partes diſtributæ, quæ elocutio fit etiam per æquiuoca, vel verborum luſus, ſententiarum acumina.

Memoria *eſt firma animi rerum, ac verborum ad intentionem perceptio*; obiecta enim, vel quæ compoſuimus imprimuntur in ipſo animo; veluti imagines hominum, ſiuè aliorum corporum varijs coloribus à pictoribus ſuper telā; vnde recordatio alicuius rei præteritæ,nihil aliud eſt, niſi excitatio ſpecierum, ſiuè imaginum earum rerum, quæ impreſſæ in animo erant.

Pronunciatio demùm,in qua non ſobriè inſudare debet Orator, vt quæ dicit intelligantur ab auditoribus, *eſt rerum, ac verborum dignitate corporis, ac vocis, moderatio*, ne dum pronunciatio amplectitur voces, verùm ipſos geſtus; conceptus enim eodem modo exprimi voce, ac geſtu debent.

PROLEGOMENVM SEPTIMVM.

De his, quæ ad Rhetoricam comparandam ſunt neceſſaria.

TRia ſunt, quæ tyronem, quamcitò ad eloquentiæ faſtigium euehunt, & quæ ad Rhetoricam comparandam ſunt omninò neceſſaria, videlicet Ars, Imitatio, & Exercitatio. De arte

ait

ait Tullius de orationibus num. 183. *ad naturam Ars adiungi debet, quæ à natura orta est, quia notatio naturæ, atque animaduersio Artem peperit.* Et ego noui oratorem quemdam celeberrimum, qui rusticorum, ac piscatorum libenter intererat sermocinationibus, ac diligenter obseruabat figuras, modumque naturalem, quo ad inuicem loquebantur, ac præcipuè quando ira concitati, ac dolore aliquo affecti; & ijsdem vtebatur figuris suis in concionibus, ad flectendos animos, non exiguo auditorum applausu; sic non esse eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia res est sole clarior, est tamen animaduertendum, quod non omnes discursus naturales sunt imitandi; sed hi, qui aptiores videntur, nam si obseruatio earum rerum, quæ in dicendo valent, ipsa sola per se eloquentes faceret, quis non esset eloquens? cum omnibus inditus sit discursus naturalis; sunt igitur imitanda ea, quæ ad suadendum videntur aptiora, ac efficaciora, & quamquam eximijs præditi ingenijs talem dicendi copiam naturalitèr possideant, vt sine sudore videantur eloquentes, Ars tamen non est negligenda; imò perquam vtilis est: ipsa enim dux est certior, quam natura, quoniam si aliquando sine arte benedicatur, hoc tamen fortuitò euenit; quamobrem in arte hanc vtilitatem esse arbitror, quod ipsa faciat, recte semper, ac tutè disserere, quare Rhetoricam excolere debent, qui in facultate oratoria volunt excellere.

Exercitatio ex Tull. *est vsus assiduus, & consuetudo meditandi, legendi, dicendi, audiendi*; ad adiscendas enim artes, non sufficit ediscere speculatiuè præcepta: verùm deueniendum est ad praxim; ars nihil aliud est, quam præceptorum praxis, ideò oratoria in facultate necessarium est exercitium, vt quod natura, & ingenium negarunt, suppeditet artis industria: meditationis exercitium ad inuentionem præcipuè requiritur, quia meditatione inuenimus propositionem, & argumenta probationis: lectio, & scriptio, inuentioni, dispositioni, & elocutioni non parum prosunt, auditio omnibus prodest eloquentiæ partibus, si enim audimus oratorem eloquentem facilè percipimus inuentionem oratoris, modum, quo probatur propositio, & ipsam argumentorum distributionem, quamobrem maxime prodest tyronibus, ad eloquentiam sibi comparandam, crebrò elegantes audire oratores.

Dictio etiam maxime valet ad eloquentiam: dictionis genus in

duplicem diuiditur speciem, nempe in dictionem declamatoriam, & familiarem, declamatoria potissimùm valet ad suadendum, & flectendum; familiaris ad docendum, ac auditorum aures demulcendas; frequens lectio orationum, ac concionum tyronibus est necessaria, vt etiam scriptio ad resarciendos memoriæ defectus, & hac exercitatione tyro pernici cursu per eloquentiæ semitas facile volitat, fastigiumque attingit.

Imitatio *est expressio rationis, quà nobis exprimimus elegantis oratoris actiones, ac sententias, vt illas imitemur,* vt Pictor, qui ex aliqua originali imagine, aliam persimilem delineat; cauendum tamen est; ne imitatio in furtum vertatur, quamplures enim; quia Mercurij asseclæ, hoc est eloquentiæ Numinis, Mercurij furta non dedignantur imitari: debet igitur imitatio esse moderata, quia non omnes fuci, ac dicteria sunt imitanda, sed ea dumtaxàt, quæ videntur solidiora. Talis fuit Lucius Apuleius, qui Asinum suum aureum ex his, quæ furtim ex Luciano rapuerat integrè construxit, & auctoris nusquam meminit, & verè nisi asinum asinus, in hac re, progignere poterat, licet aliàs in omni eruditionum genere emineat. Plerique etiam taliter imitantur, vt excerptos eruditionum flores pessimæ imitationis vitio potiùs dedecorent, & alienos splendores proprias vertant in vmbras, vnde ad rem festiuam narrat historiolam Aelianus de anim. lib. 7. c. 21. *Infantulum,* ait ipse, *nutrix fascijs euolutum abluens, in pelui tractabat, at ablutum, & pannis circumuestitum, reponebat in cunis; quod ex eminenti prospiciens callida simia, vt est animal non modo importune, sed & peruerse plerumq; imitationis; idem tentare voluit, quod fecerat nutrix; cumque infantem remotis custodibus iacentem introspexisset in cunis, pusionem arripit, fascias explicat, & post varias gesticulationes, aquam succensis carbonibus fortè calescentem in miserum corpusculum effudit.* Hoc idem faciunt pessimi imitatores alieni ingenij partus ignorantiæ telo iugulantes.

Cũ mortuis debemus pernoctare, vt die discamus rectè viuere; studiosi nomen, omen gloriæ, ac immortalitatis, splendores suos è mortuorũ cineribus debet haurire, ac phœnicio more è mortuis, ad perenniter viuos transuolare; scilicet sunt legenda eruditorum volumina, vt imitatione scientiarũ cursum perficiamus. Orpheus vatum omnium princeps viuam suauitatis vim, in mortuis cineribus dixit iacere consepultam; nec immeritò. Nam, quæ iuxta

eius sepulchrum nidificabant Luscinię (si Pausaniæ volumus pręstare fidem) suauiùs canebant, & molliùs: quasi defuncti poëtæ ex cineribus modulos haurirent iocantis cantionis: ita res se se habet in illustrium authorum imitatione; ad quorum sepulchrales reliquias, hoc est ad eius opera, ac volumina immorari debent, impallescere, insudare, & cum mortuis iucundissimam habere consuetudinem; imò iocari inter eorum scripta; veluti inter Parnassi vireta, vt flores eruditionum carpere queant, & sapientiam olere tyrones.

Dionysius Longinus, imitatores cum Sibylla confert, libros cum antro Phœbi pleno cælesti halitu, demùm, quod imitatur, cum oraculis comparat: alia est .n. ait ipse ad orationis grauitatem via: at quæris qualis hæc sit? respondeo, magnorum Oratorum, & Poëtarum esse imitationem. Multi enim alieno spiritu; quasi cælesti afflatu incitantur, & Sibyllam imitantur, quæ vaticinabatur in tripode. Illic est terræ hiatus, & ingens latebra, quæ, vt aiunt, diuinum quendam spirat halitum, quo mens vatis afflata, cælesti quadam virtute affluebat. Simile contingit in eruditorum voluminibus, quæ dum legimus, nescio quo pacto, quasi è sacris quibusdam spiraculis halitus emanant in animorum recessus, qui indè afflati, & diuino furore perciti, effata pronunciant. Proclus etiam in Timęum ait, totam penè scenam humanæ vitæ plenam esse imitatione, ac imaginibus. Cauendum tamen est in imitatione, ne futiles auctores; ac vitiosa exemplaria imitemur: sunt plerique, qui errores carpentes è libris, ac rerum leuissimarum speciebus fœcundantes intellectum monstrosas dumtaxat pariunt compositiones, quid enim spectandum est ab istis, nisi vt ruant in inscitiæ caliginem: cęcus enim cęcum ducens, ambo in foueam cadunt. In tyronibus etiam illud est familiare, qui cùm magistro in studijs sint destituti, libros quosuis lectitant, compilant, rati aliquando se thesauros grandes inuenisse, vbi omnia sunt fictitia: sunt etiam plerique, qui, quæ imitantur taliter eneruant, vt Neanthum illum potiùs videantur imitati, qui cum audisset, quæ Fama Heroum Buccinatrix de lyra Orphei commendabat, incredibili pruritu accensus eamdem pulsandi lyram, ingentem dedit argenti copiam fani mystæ, accepturus Orphei lyram, quam cū obtinuit, tam infeliciter Orphei modulos est imitatus, vt miserabili strepitu canum aures offendens ab ijsdem membratim dilaceretur.

Deinde

Deinde cauendum eſt, ne ingentes auctorum copias ſumamus imitandas, quia vt ait D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſt. c. 87. *multitudine præceptorum, magis obruitur mens, quam adiuuetur*; & Seneca *diſtrahit animum multitudo librorum, ideoque cum plures legimus nullos imitamur*.

Igitur preſtantiſſimum aliquem oratorem, nobis debemus proponere imitandum, nec vagari per omnia oratorum dicteria: quæ ſunt imitanda, præcipuè erunt Inuentio, Diſpoſitio, & Elocutio; tunc imitatur Inuentio, cùm propoſitiones, & argumenta à graui oratore inuenta imitamur, non tamen in eadem, ſed in diuerſa materia; Diſpoſitio imitatur, cùm exemplo alterius ſeruamus ordinem, ac rerum diſpoſitionem in compoſitione, Elocutio tandem imitatur, cum iiſdem figuris, adagijs, axiomatibus, vel ſententijs, queis exornatur alterius oratio vt' mur.

Imitandi autem ratio multiplex eſt, primò cùm imitamur eaſdem figuras, ac argumenta; vt Ennius de Hectore perpolitè, ſic ait

O lux Troiæ Germane Hector
Quid ita? cum tuo lacerato corpore miſer;

quam dicendi figuram, ſic fuit imitatus Virg. 2. Aeneid.

O lux Dardaniæ, ſpes ò fidiſſima Teucrum;
Quæ tantæ tenuere moræ, quibus Hector ab oris
Expectate venis? vt te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios, hominumque, vrbiſque labores
Defeſſi aſpicimus? quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera Cerno?

Alia imitatio fit, cū retinentur eadē verba, & ſolū ſentētia mutatur vt Tull. dixit Ironicè de nece Publij Clodij P. C. *mortē æquo animo nemo ferre poteſt:* ſic de alio ſincerè dici poteſt *tanti viri mortē æquo animo nemo ferre poteſt; in ſqualore iacent Penates luctuoſis induuntur veſtibus parietes parentaturi defuncto, luget Ciuitas, illachrymātur parentes, triſtantur amici:* Tullius ait *non placet Antonio conſulatus meus; ſed placet Seruilio;* ſic imitari poteſt: *non placet effœminatis viris, qui telas potius, quā tela pertractant in Turcbas arma capeſcere, ſed placet animo forti, hoſtili cruore, non tam palmas humectare, quam purpuram colorare cupienti;* prima imitatio nō mutat verba, retinētur .n. eadē verba ſaltem aliqua priora: mutatur tamen ſententia, nempe applicatur alteri ſubiecto, quod de alio dicebatur. In ſecūda imitatione Tull. mutantur verba, ſed ſententia retinetur, ac modus dicendi.

PRO.

PROLEGOMENVM OCTAVVM.

De nouo modo multipliciter imitandi aliquam ſententiam.

IMitationem fęcundam omnium artium eſſe matrem,cum ipſo Ariſtotele arbitror, quidquid enim peramplo in mundi theatro vſq; ad miraculum emicat imitationis eſſe partum videbimus, ſic homines deſumpſere modum efformandi ædificia ab aluearijs apum , vibrare ſagittas ab iſtrice multiplici obarmata telo , muſicam ab Auibus, picturam ab vmbris: qua propter ait Ariſtoteles Poët. cap.2. *Cæterum à duabus cauſis, & quidem naturalibus videtur Poëtica habuiſſe principium; nam & inſitum eſt à natura hominibus imitari, & primas diſciplinas imitando acquirunt*, & 3. Rhetoricorum cap. 1. ait, *cæperunt autem ſicut natura poſtulat,id primo poëta mouere. Methaphorica enim nomina imitationes ſunt.*

Breuiter enucleanda eſt imitationis aurifodina , & quot modis vna, ac eadem periodus poſſit imitari. Pulchra eſt illa Methaphora; qua dicimus, *Sydera roſcidis lachrymis,lugere mortem Solis*, quia nocturno tempore ros cadit, & tunc *lucent* Stellæ: & *lugent*, quia in occaſum decidit earum princeps: ſumimus roſcidas guttulas pro lachrymis, & dicimus ſydera *lucere*, & *lugere* defuncti Solis necem; mox vt videamus, quot modis poſſit imitari eadem ſententia,ponatur hæc propoſitio :*Sydera lugent, vel illachrymantur.*

Primò hæc propoſitio multis modis poteſt grammaticaliter imitari; ſumendo nomen ſubſtantiuum ipſius verbi,nempe *luctum* pro verbo *lugent*, & dicatur *maſtiſſimus ſyderum luctus defuncto planetarum principi parentat.*

Secundò poteſt ſumi participium *lugentia ſydera Epicedia celebrant abraſo è noſtro hemiſphærio Soli.*

Tertiò ſumendo cumulatiuum *lachrymabunda lucent ſydera.*

Quartò gerundiuum *illachrymando lucent ſtellæ.*

Quintò ſuperlatiuum *maſtiſſimè lugent ſtellæ.*

Sextò frequentatiuum *ſæpiſſimè lugent ſydera.*

Septimò diminutiuum *maſtis lachrymulis lugent ſydera.*

Octauò compoſitum *nocturnis horis illachrymantur ſydera.* Omnibus his modis poteſt quælibet periodus imitari,ac variari grammalicaliter.

Logicè etiam poteſt imitari, ac variari periodus; eo quia ver-

bum

bum *lugent* fit terminus significatiuus, poteſt alijs vocibus ſynonimis, ac affinibus idem ſignificātibus variari periodus tali pacto

Syderum mæſtitia cælos,terramque funeſtat.

Heù! quam acerbè dolent ſydera, ac triſtantur, dum in lachrymas diſſoluuntur.

An non ſydera facies ſuas ferales ſuccendunt in faces? certè ſi non cereas, ſaltem roſcidas diffundunt lachrymas.

Syderum luctus totam humectat tellurem; tellus verò ingrati animi vitio ſyderum lachrymas proprium vertit in riſum, quaſi ſyderum mala irridens.

Doloroſè ſe habent Sydera, vt exprimant ſolis acerbum fatum.

Mæſtum oſtendunt ſydera vultum.

Squalidus vbique videtur ſyderum luctus, ac in ſqualore iacent mæſtiſſima ſydera.

Poteſt etiam variari per terminos relatiuos,nempè per Metaphoram Correlatiuam, Reciprocam, Contrariam, Priuatiuam, ac Similem.

Per Metaphoram Correlatiuam *defunctum planetarum principem ſqualidæ lugent ſtellæ* terminus *princeps* eſt correlatiuus *ſubditorum Planetarum*.

Per Metaphoram Reciprocam ſicut vocas *rorem, lachrymas* ſic voca *lachrymas, oculorum rorem*, & ſicut lachrymæ profluunt ab oculis per Metaphoram Reciprocam, dic *ſydera fractis oculis lugent defunctum Solem*.

Per contrariam, ſicut nocturnis ſyderibus *luctus* tribuitur, ita è conuerſo diurno planetæ poteſt tribui *gaudium*, vel *riſus. In hoc nocturno ſilentio, ſicut lugentia vides ſydera, ita diurnis horis feſtiuo vultu ridet Sol.*

Per Priuatiuam, ſi tribuantur ſtellis *lachrymæ*, & auferatur poſtea aliqua proprietas,quæ neceſſario deberet coniungi cum ipſis lachrymis, vt *ſqualido mærore lugent ſydera, ſed ſine oculis.*

Demum per Metaphoram ſimilitudinis, vel vt magis propriè loquar per ſynedochen,ſi id quod tribuitur parti tribuatur toto, vt *lugent Cæli, ac luctuoſis ſe induunt veſtibus, ſoli parentaturi*, vel è contra, quod tribuitur toto, tribuatur parti, *vt luget Leo non ruget, illachrymatur Taurus, plorat Virgo, quæ omnia ſunt ſigna Cæleſtia Zodiaci.*

Variatur etiam argutè eadem periodus ab Antecedentibus, Concio-

Concomitantibus, & Subſequentibus; illa dicuntur antecedentia, quæ ſunt cauſa illius luctus ſyderum, vt ſunt *Occaſus Solis tenebrarum caligo, ſphærarum motus*, quibus apparent ſydera; ſic dices ab antecedentibus *Occaſum Solis funeſta lugēt ſydera. Vis ſcire cur lugeant ſydera? excuſſo Solis riſu prorumpunt in lachrymas. Quæris cur ſtellæ illachrymentur? tellurem vident obuolutam caligine.*

Per concomitantia variatur etiam periodus, illa ſunt concomitantia, quæ ſimul rem comitantur, vel erumpunt, ac fiunt eodem tempore, quo ſydera illachrymantur, ſic nocturno tempore *quieſcunt animalia, ſilent auium turmæ, efflant venti, crepitant riuuli, murmurat inter ſcopulos mare*, vndè à concomitantibus hę oriuntur propoſitiones *Quieſcente terra, ſydera dumtaxàt non quieſcunt, ſed mæſtiſſimè lugent, ac triſtantur. Quia non modulantur auiculæ, tam diffusè triſtantur ſydera, vt roſcidas erumpant in lachrymas. Ventorum ſuſpiria, ac maris inter ſcopulos lacerationes lugent ſtellæ.*

A Conſequentibus argutè variatur periodus, quæ conſequentia ſunt idem, ac effectus: conſiderandi igitur ſunt effectus huius *luctus* ſtellarum: *Ros* enim prata viuificat, flores nutrit, humectat plantas, dulces è ſomno excitat zephyros, ac fauonios, viridaria recreat, totamque reſtaurat naturam. A Conſequentibus has texere potes propoſitiones *Syderum lachrymæ pratorum gignunt riſum. Vt rideant prata, modulentur auiculæ, lugent ſtellæ. Cælorum lachrymæ fęcundæ arrident telluri. Pallore funeſtantur ſydera, triſtantur, illachrymantur; ſed triſtitia eſt, quà tota gaudet natura, vt etiam lachrymæ gaudium pariant.*

PROLEGOMENVM NONVM.

De alio nouo modo imitandæ, ſeù variandæ periodi.

MVlta dicendi amęnitate, ac argutiarum ſerie variata fuit ſuperiùs vna, ac eadem periodus, at in præſenti amænior patebit campus ad ipſas conficiendas argutias, nobiliorem enim imitandi modum fieri, per Metaphoram attributionis arbitror: tribuendo alicui ſubiecto omne id, quod alteri conuenit, ſit exemplum. tu dicis *ſeneſcunt niuia canitie hyemali tempore montium*

capita, in hac propositione tu tribuis montibus *senectutem* propriam dumtaxat *viuentis*. dicendo *senescunt niuia canitie montium capita*, poteris etiam attribuere eidem monti omnia, quæ sunt propria ipsius hominis. Primò circa ætates potest attribui monti *adolescentia*, *iuuentus*, *virilitas*, & *senectus*, ac has texere potes propositiones, *pubescunt hyemali postliminio natis herbusculis montes, huic ciuitati coronam componentes. Iuuenescunt Maio mense herbarum vitore colles nostri. Virili ætate, ac lucenti sub Virgine fructus suos parturiunt montes. Vna cum anno, horrido Decembri, senescunt montes nostri nimia conspersi niue, canitiemque venerandam ostentant.*

Insuper proprium est hominis habere Cęsariē, Vngues, Barbam obrasam, Oculos, Frontē, Faciem & cętera huiusmodi. hæc omnia possunt etiam non sine elocutionis elegantia tribui ipsi monti, ac istæ possunt oriri propositiones. *Tondentur falce virides montium comæ. Obrasam videbimus montis faciem. Verno tempore mons noster fit Argus, tot aperit oculos, quot flores. Autumnali tempore frons nostri montis fit ab aratro rugosa, ni fallor, ad indicandam proximam senectutem anni.*

Insuper homo suas habet partes caput, collum, brachia, pectus, sinum, vmbilicum, & pedes, hæ partes tribui possunt ipsi monti per supradictam Metaphoram Attributionis, tali pacto. *Montium capita sterilescunt, nec herbarum comas habent, ne mireris caluitiem exprimunt ipsius hominis, Montium colla roscidis humectantur guttulis. Causam quæris? in ipso sunt ætatis flore, margaritis ornantur, vt placeant magis amasiis auibus. Pandunt montes famelicis Gregibus fęcundum sinum, lacteasq; præbent herbusculas. In montis vmbilicò eximium erigitur pallatium, ac multa videntur hortorum amęna. Montis pedes prægrandem dilatantur in planitiem.*

Quia homo suas habet passiones, ac affectus, scilicet gaudium, tristitiam, amorem, odium, desiderium, fugam, spem, desperationem, timorem, audaciam, & iram, hæ passiones possunt etiam tribui monti. *Ridet, ac gaudet mons, multo variatus flore. Tristatur, ac luget mons amissas opes hyemali tempore. Amant montes consortium Bacchi, ac inter Parnassi lætabunda vireta arguté iocantur poëtarum Luscinię. Pauet efflantem boream mons noster. Odio habet niueas Decembris pluuias. Desiderat æstiuo tempore pluuias,*

pluuias, ac centum aperit ora, crederem petiturus à Cælo aquas, vt suam extinguat sitim.

Homo, quia capax est vitio, ac virtute, possunt similiter concedi monti, vitia, & virtutes. *Beneficus mons natiuas opes armentis indulget. Liberalior mons omnia sua egentibus elargitur. Aprilis luxuriantem videt nostrũ montem, & iocantem inter lasciuientes flores. Mirum huius montis ingenium in herbarum florumq; varietate. Quam ingeniosa tellus, sine acu variat, sine pẽnicillo pingit, sine radio texit, sine manibus pretiosis se induit vestibus. Vis scire quanta sit Olimpi superbia, ac ambitio super nubes se extollit.*

Iam tribuisti ipsi monti actus morales, scilicet vitia, & virtutes, eodem pacto possunt tribui actus naturales, vt sunt concipere, nutrire, crescere, quiescere, sicque potes eamdem periodum variare. *Fęcundus mons felicia concipit semina, ac odoratos progignit partus. Montis tamen caput virgineum crede, quia nullo violatur aratro, in sinu tamen noua herbarum pubes sobolescit. Noctu consopiti flores, surgente postea aurora excitantur è somno, vultuque hilari rident. Quid ni nascente Sole lętà florum infantia ludit, & simul cum Sole adolescunt mane, in virilem currunt ætatem meridianis sub horis, tandem senescunt vespere, & simul cum Sole occidunt rosæ. O breuem voluptatem? sic cito euanescit amęnitas, ac dulcedo peccati, diù tamen perseuerant spinæ, queis laceretur, ac pungatur conscientia.*

Mors etiam, & vita, quæ sunt propriæ hominis, rebus inanimatis possunt tribui; *Horrido sub Decembri moritur annus, ac verè nouo ad instar phœnicis rediuiuus consurgit.*

Ex hoc collige, quòd ne dum Metaphoras, sed etiam symbola arguta efficere potes; sic pro verna tempestate pinges ridentem virginem, gracili corpore, lacteo colore, viridis indutam vestibus, flores gestantem manibus, ac viridi paludamento omni florum genere depicto, capite rosarum, liliorum, ac aliorum florum; redimito diademate. Pro æstate, pingatur mulier, ætate supra iuuentutem paludamento aurei coloris, varijsque delineato spicis, quæ præ manibus spicas pariter gestet, ac spicarum coronetur diademate. Pro Autumno; delineetur mulier ætate matura varijs coloribus vestes gerens, quæ sub brachio Amalthεæ cornu fructus disseminet; eius coronam componant varij fructus ponum, ficus, racemus, pira, ac cętera huiusmodi. Pro Hyeme; vetu-

Iam pinges illachrymantem, subnigris indutam vestibus, soluta canitie, manibus, quæ frigus fingant.

PROLEGOMENVM DECIMVM.

De alio nouo modo imitandi, ac argutè variandi eandem sententiam per figuras patheticas.

DE figuris patheticis diffusiùs agemus cũ de argutijs,ac elogijs: pro nunc illam appello figuram patheticam, quæ exprimit aliquem animi motum, seù actum, siuè intellectus, siuè voluntatis, siuè irascibilis, siuè concupiscibilis. Quia istæ figuræ grandem aperiunt campum ad argutè variandam periodum, ac pluribus modis imitandam eandem sententiam; ideò in præsenti hisce figuris variabitur vna, ac eadem sententia: figuræ exprimentes actus intellectus sunt, Cognitio, Ignoratio, Ostentio, Narratio, Didaschia, Affirmatio, Negatio, Ironia, Reticentia, Præteritio, Iuramentum, Testatio, Animaduersio, Parenthesis, Correctio, Repetitio, Admiratio, Exclamatio, Memoratio, Præsagitio, Dubitatio, Inquisitio, Interrogatio, Respontio, Prosopopæia, Apostrophe, Ratiocinatio, Epiphonema, Approbatio, Perplexitas.

Lysimacus Prolixa vallatus obsidione, ac siti exardens, nec frigidam habens, qua illam extingueret pro vnico aquæ poculo, captiuum dedit hostili manui regnum. Propositio argutè varianda sit hæc *vastum Lysimaci regnum, in exigua, ac paruula vnda, grande est passum naufragium.*

Per figuram cognitionis. *Nunc cognosco, quam parui sint facienda terræ regna, etiam in aquæ poculo demerguntur.*

Per ignorantiam *Nesciebam tam fluxa esse regna, simul cum exigua aqua fluunt, ac euanescunt.*

Per ostentionem *En viator vide, quam parua sint grandia regna: exili in aqua, certè naufragium patiuntur.*

Per Narrationem *Inauditum tibi narro viator: paruula vnda vastum demersit regnum.*

Per Didaschiam, *Discite, qui grandia cẽsetis regna mundi; parua huius poculi vnda vos docet, quam parua sint maxima.*

Per Affirmationem. *Mihi credite Reges; nil stabile est sub Sole, cum ipsa simul regna cum vnda fluant.*

Per

Per Negationem *Magna dicis mundi regna? hoc nego, exiguo in poculo naufragantur.*

Per Ironiam *Vocetur Atlas, cui innixa regna solidiùs sistant, quam magna sint, ex poculo metior.*

Per Reticentiam *Scire cupis viator, quanta sit vastitas regni Lysimaci, exiguo in poculo naufragium fuit passa, satis dixi, abi.*

Per Præteritionem *Ne prolixus videar, nil dico de vastitate, ac magnitudine regni Lysimaci, poculum consule.*

Per Iuramentum *Certè possum iurare nil esse in mundo magnum, dum grandiora regna exigua in aqua demerguntur.*

Per Testationem *Lysimaci immensas prouincias mentita est fama, testis est pauxilla vnda, in qua instar culicis demersas vidimus.*

Per Animaduertionem *Regnorum vastitati, cui vix Solis radij sunt satis, vt illuminetur pro naufragio poculi loculus sufficit.*

Per Parenthesim *Pauxilla poculi vnda pretium est (si tamen est) integri regni.*

Per Correctionem *Hoc in poculo demergitur regnum? fallor, cum poculi vnda, fluxit.*

Per Repetitionem *Quam sint vilia, quam sint exigua, quam sint paruifacienda mundi Regna vide: pretium quidem habent, sed exiguæ vndæ fluxum argentum.*

Per Admirationem *Quid mirum video? paruula vnda integrum euertit regnum?*

Per Exclamationem *O detestandam vanitatem mundi! exiguis in poculis demerguntur regna?*

Per Memorationem *Estote memores exilitatis, ac tenuitatis vestræ, qui sceptra tractatis, hæc vnda est speculum, in quo miremini regnorum incostantiam.*

Per Præsagitionem *Vaticinor ex hac vnda; fluxa esse mūdi regna.*

Per Dubitationem *Dubitas, an exiguum, vel vastum fuerit Lysimaci Regnum? vastum plures prouinciæ fatentur, exiguum hæc vnda.*

Per Inquisitionem *Magna, ne quæras in hoc mundo, dum ipsa regna parua sunt.*

Per Interrogationem *Dic mihi, quam exigui erunt Principatus? si regna ipsa exilia fatetur hæc vnda.*

Per Responsionem *Quæris quanta sint regnorum pretia; huius poculi vndam consule.*

Per

Per Prosopopœiam *Audi, quid Lysimacus infelix loquatur: heù quam exilis voluptatis causa, seruum me de Rege fecit, simul cum libertate naufragium fecit eppota in vnda Regnum.*

Per Apostrophen *Dic mihi paruula vnda; vbi est Lysimaci libertas, ac regnum, obijt, abijt.*

Per Ratiocinationem *Leuè fuit Lysimaci regnum, ratio est quia fluxit cum vnda, cum fulsit hostilis ensis.*

Per Epiphonœma, *Ite nunc, qui noua aspiratis regna: exigua; non eximia quaritis. Lege viator luge, cũ hàc vnda regni inconstantiam.*

Per Perplexitatem *Dubius sum, an magnum, vel paruum dicere debeam Lysimaci regnum; quingenta vrbes magnum fatentur, sed pretium exigua vnda paruum.*

Per Approbationem *Benè est, satis est pro regni pretio paruula vnda, vt Magni Reges propriam edifcant vanitatem.*

Aliæ sunt figuræ Patheticæ exprimentes motus, ac actus voluntatis, tàm partis irascibilis, quàm concupiscibilis, vt sunt, quas hic subijcio.

Per Imperium *Veni hùc iubeo te, huius poculi in vnda non tui, vt Narcisus, sed vanitatis imaginem contemplare.*

Per Admonitionem *Quomodo, & quam cito regna fluant; monet te Lysimaci sitis: poculum est Clepsydra, quæ non guttatim, sed totam simul effundit vndam, vt meliùs exprimat regnorũ breuitatem.*

Per Blanditias *Tibi gratulor Lysimace, magisque te amo, quam fluxa sint regna, quam doctè, quam benè docuisti è pota hac vnda.*

Per Salutationem *Valete Regna, cito abibitis: pauxilla vnda vestram indicat incostantiam.*

Per Præcationem *Vos præcor, ò magni Principes; regnorum vicissitudines à Lysimaci poculo ediscite.*

Per Abominationem *Ite pessùm, abite mundi regna sudorum pluuias, ac sanguinum flumina exigitis, vt vos acquirant Reges, & postea sic cito fluitis? ita ne pauxilla aqua tot sudorum, ac sanguinis est merces? ite pessum, abite.*

Per Irrisionem *Irridenda certè regna terræ: dum lachrymas eliciunt Lysimaci ab oculis.*

Per Execrationem *Fluite, ac ite in malam crucem leuia terræ regna, quæ tam grauia mala Lysimaco paritis.*

Per Obsecrationem *Te obsecro viator, exigua in vnda regnorum fluxibilitatem contemplare.*

Per

Per Minas *Vbè vobis, magni Principes, si hæc Lysimaci vnda vestra diffluat per regna.*

Per Exultationem *In aquis naufragantur regna, gaudete pisces, ac sceptra tractare discite.*

Per Eiulationem *Heù deplorabiles vicissitudines, cui caput hodie cingitur auro, cras seruili ferro pes coronatur.*

Per Pœnitentiam *Pœnitet, me Regem egisse; seruus non essem.*

Per Improperium *Ingratum Regnum siccinè in agestate relinquis Lysimacum, cui totum debes.*

Per Desperationem *De vobis actum est Reges: regna sunt fluxa, citò euanescunt.*

Per timorem *Timete Reges: Regna vestra citò fluunt.*

Et simili pacto potest variari per cæteras alias figuras patheticas, de quibus diffusiùs, cùm de elogijs agemus.

PROLEGOMENVM VNDECIMVM.

Expenditur vltimus modus variandi eandem sententiam per series argutiarum.

ARgutæ Palladis inter vireta nihil est, quod iucundiùs rideat, ac arrideat animis; quam eadem sententia per argutiarum seriem variata: hæc enim est veluti Aegyptius ille Protheus semper idem, ac diuersus: est veluti sertum ex varijs compactum floribus, quia suauitate quadam se in animos insinuat.

Vt possimus hanc argutiarum seriem exhaurire: tangendus hic est fons argutiarum, qui ex Aristotele est assignatio non causæ pro causâ, vt si quæris, cur Christus, vt audiuit à transeuntibus per viam: *vah, qui destruis templum, & in triduo reædificas illud. Salua temetipsum si filius Dei es*, si quæris inquam, cur dixerit, tunc Christus: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: & antea *sicut agnus coram tondente se, sine voce obmutuerit*; à non causa pro causa dici potest; Christum nihili fecisse corporis vulnera, quia tunc tacebat, sed quando audiuit detractorum verba, quibus feriebatur in anima: tunc non potuit non loqui, vt nos doceret detractorum verba, peiora esse quocumque vulnere: audi Diuum Cyprianum in illa verba Christi (*Deus meus ad quid dereliquisti me*) sic ait: *Clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus; de vul-*

vulnerum anxietate nō loqueris: de spinis sacrum caput pungentibus non quæreris: sed satagis, vt innotescat, quare derelictus à Deo videaris expositus contumelijs, & ludibrijs Iudæorum.

Istæ non causæ pro causis peti possunt à metaphoris, vel similitudinis, vel hyperbolis; sunt enim considerandæ qualitates, vel ália prædicamenta subiecti, quod intendimus argutè variare, do exemplum; video iuuenem gracili corpore; candidis, ac rubicundis genis, vt sunt illi, qui ab arte, ac industria colores emendicantes pulchritudinem affectant: iam considero qualitates coloris albedinis, & rubedinis, deinde considero ea omnia, quæ sunt, vel alba, vel ruba: vt sunt nix, lilium, rosa, flamma, dico igitur per metaphoram similitudinis: Iuuenem nutrire, rosas, ac lilia in vultu, & si adderem hyperbolem, dicerem hunc vultum viridarium, in quo assiduè vernant, ac rident cum rosis lilia: si verò vellem quærere non causam pro causa huius coloris, quo pingitur vultus Iuuenis: dicerem; non miror si lilia, ac rosæ florent in vultu iuuenis; debebant in ipso erumpere flores, quibus ostenderetur illius ætatis verna temperies: non causa pro causa est erumpit in flores, quia est in vere suæ ætatis, sed argutiarum fontes diutiùs expendam in tractatu de argutijs.

Pro nunc sumatur argutè variandum subiectum thema, *Amasia Magdalena æstuans amoris flammis, lachrymis lauat pedes Christi*, primò à non causa pro causa, dico.

Mirum non sit, si pedes Christi lauat Magdalena; iure lachrymas dare incipit, quæ renascitur, mortua enim antea erat peccato: Hæ tamen lachrymæ non sunt, vt illæ aliorum nascentium hominum, scilicet calamitatum prophetiæ, sed professæ iam sunt tranquilitatem; nempè nubes propè Solem pluit, fœcundatura cordis solum: Nisi copiosi virtutum fructus expectentur irrigua ab hac tellure. Vt emat ingenti fœnore gaudia, lachrymarum soluit argentum. Quidni in iridem cito vertitur liquescens in lachrymarum pluuias nubes; hanc crede, non fictis, sed veris condecoratam coloribus, quia in ea iam rubum Charitatis, viridem spei, candorem finceritatis, pallorem pœnitentiæ vides. Mirari volueram si tales post pluuias subsecutura non fuisset nouæ vitæ tranquillitas. Credebam Aetnam vnicum iocantis naturæ prodigium, cum vidi ibi colludentes cum flammis intactas niues; ast prodigiorum phœnicem negant Magdalenæ oculi, quia si erumpunt

punt

punt in lachrymarum aquas, huius aquæ mater, Amoris est Flamma: Fateor naturæ prodigium in Aetna, dum impunita cum niuibus iocantur incendia: verùm maius prodigium contemplandum porrigunt Magdalenæ oculi; vbi ignis aquam, aqua ignem parturit. Aqua, & flamma discordes riuales, socordes modo contubernales in Magdalenæ oculis maritali vinculo iunctę perpetuò viuunt fœdere. Nimia erat Amasiæ flamma, ac nimia lachrymarum pluuia, magistri plantas mersisset, nisi flammæ vndas exsiccassent: adusisset, nisi vnda temperasset incendium. Macte esto sancta Peccatrix: quæ ipsa eadem piaculum, & expiatrix, profanum cordis fanum igne, & aqua; flumine lustras, ac flamine. Deducenda eras in refrigerium, benè transis per ignem, & aquam Amoris, Lachrymarum. Eras Peccatrix, iam facta es Piscatrix, assueta insidiari hominibus; insidias nectis, & Deo, eius pedes capillis irretiens. ah fallor: noua nupta Magdalena Thalamum auspicatissimum ingreditur: consueta nouarum nuptarum cerno Parerga, ignem, & aquam in limine. Licèt de Virginibus vna non esses, sumpsisti tamen oleum tecum, ne excludi posses à nuptijs, & vt melius sponso adhęreres sponsi pedibus te alligasti. Ac conscia fœtidi tui spiritus, non es ausa sine antidoto odorosissimi vnguēti accedere. At Paranymphus Amor, geminas agitat lampadas oculorum; in quibus Amoris Lychnum lachrymarum aquæ alunt, ludus est iste amoris: miscentur cum vndis flammæ, ad antiquum chaos Magdalenæ Amor mundum reuocat muliebrem: rursumque discretis Naturæ primordijs; ex aqua, & igne mundiorem mundum instaurat; prophani Cupidinis versata inter flammas lachrymarum fudit aquas, illas extinctura, vt quæ habuit in aquis natale Venus; haberet etiam tumulum. Vel perdere cupiens lumina, quibus tenebras fouit; fulgura in pluuiam fecit: erat propè Solem Magdalena, non poterant gemina suæ frontis sydera eclipsim non pati: parùm interest si naufraga lachrymis, vel obuoluta tenebris. Dicerem non lachrymas fundere, sed vniones, qu bus, vel suo vniretur Numini, ac Lumini, vel vt venale sibi faceret cœlum. Felix Peccatrix? mare construit planctus; vt fiat Piscatrix Dei gratiæ. Culpis, quæ ad multitudinem arenæ littoris accesserant, nisi mare luctus erat satis. Norat suas maculas, has vt Christus lauaret, aquas ministrat Magdalena ab oculis. Dominum volens ad sui culturam allicere, lachrymis eum cępit rigare, vt ei

D se

se ostenderet hortum irriguum, quem prænouerat hortulanum, ac flores fructusque daret, quos expectabat. Olim insano igne perculsæ Puellæ, Erycino se templo deuouebant, Amorem rogaturæ, vt gelidâ aquâ lampadem extingueret; en Magdalena olim amens, quia amans ad verum nunc properauit Amorem; molestos ignes extinctos in ea crede; & impuram Venerem in aquis natam, aquis præfocatam. Venite, & vos debiles iuuenum Pyraustæ ad ista vaporaria Leucadio fonte salubriora; balneator Amor Christus est; vestras perdet flammas, in quibus non phœnices, sed infelices papiliones vritis ad excidium. Ne mireris, si in lachrymarum riuulos erumpit Magdalena ante pedes Magistri, ac in domo conuiuij, inter nuptias, vbi omnia ad risum, ad hilaritatem potiùs prouocant: causam dicam, Christum vitæ lignum in suo corde plantauerat, voluptatis se paradisum agnoscens congruentissimè riuulos ad irrigandum emittere debuit. Prudentissima mulier nouerat melius esse ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, nesciens differre pœnitentiã, quoad vsque exiret Dominus è domo conuiuij, quam audacter ingressa conuerterat domum conuiuij in domum luctus. Et quis non credet imposterum ingens gaudium esse in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente? dum accedenti ad pœnitentiam Magdalenæ Christus ipse se exhibet epulantem? comas soluit siccatque pedes Christi, qui aurei dicebantur radij crines, iam veri sunt radij, quibus Diuini solis pedes affulgent: Didicerat à Spartis totam in hostium terrorem comam fundere; quidni crinium catenulis, quibus sui Numinis pedes vincit, vincit hostem.

PROLEGOMENVM DVODECIMVM.

De Argumento, ac stylo eligendo iuxta proprij ingenij vires.

Litteraria in facultate superbiæ fumus etiam quamplures excæcat, vtinam sine lacrymis, qui enim ingenio sunt Pygmæi videri volunt Athlantes, itàvt quos natura fecit testudines superbia procreet aquilas; vtinam non faceret Icaros, quia Cereis suffulti alis, ac propè Solem volitantes, ibi mortis inueniunt vmbras; vbi Gloriæ splendores credebãt exhaurire, quapropter idẽ lyricũ carmen istis competit, ac volitanti Icaro canebat Dedalus pater;

Scon-

Sconsigliato garzon, folle farfalla,
Già del fuoco vicin tocchi la sfera;
Ne ti souuien, che debili à la spalla,
Porti dentro le fiamme ali di cera?
Icaro, ohimè, tropp'alto Icaro sali,
Ferma Icaro il volo, e bassa l'ali.

Est igitur eligendum argumentum, quod obscuritate, nec nimia subtilitate laboret, sed sumendæ sunt propositiones, potiùs communes, quæ facilè probari possint: stylus pariter est eligendus iuxtà proprij ingenij, ac genij vires, qui habet efficacem mouendi modum, hic vtatur stylo morali sententioso absq; descriptiunculæ leuitate, sicut enim omnium plausus sibi trahunt concionando, ac perorando moraliter: è conuerso omnium risus excitant dicendo leuiter. Stylus igitur, ac propositio eligantur ab oratore iuxtà proprias vires. In hoc præcipuè peccant Tyrones, sed sciant non omnes esse Isochrates, qui viginti talentis vnicam vendant orationem, tùm quia non sine scrupulo ecclesiastes vti debet hoc stylo, qui non habet nisi florum folia, sine fructu; Concionator sic perorare debet, vt à peccato auertat creaturas, & conuertat ad Deum: stylus floridus, ac læuis famem potiùs concitat, quam expellat, ac auditores Tantalos facit, qui

In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur vndas. Abluit mentum latex,
Fidemque cum insæpè decepto dedit,
Fugit vnda: in ore poma destituunt famem.

Circa stylum animaduertendum est, ne in eadem oratione mutetur stylus, qui error, quasi semper irrepsit in oratores, qui aliquam perpolitam, seù vanam descriptionem ponunt in medio styli moralis, ne igitur chimera potiùs, quam oratio componatur, est semper idem seruandus stylus in principio, ac in fine.

Sunt etiam nonnulli, qui non explicant propositionem probandam, & progressu orationis talia adducunt argumenta, vt contrarium potiùs videantur probare, transeundo de genere, in genus absque eo quod transeant per medium, & tamen non sunt Angeli. Alij etiam tali argumentorum diuersitate vtuntur, vt videantur potiùs conficere Mithridaticum illud Plinij Antidotum, quàm orationem. *Mithridaticū enim antidotū,* ait Plinius, *ex rebus quinquaginta quatuor componebatur, interim nullo pondere æquali.*

D 2 PRO-

PROLEGOMENVM DECIMVMTERTIVM.

De Distributione Partium totius discursus.

SIcùt monstrosum esset illud corpus, cuius caput non secerneretur à pectore, pectus ab vtero, sic monstrosa est illa compositio, cuius partes ad inuicem non distinguũtur. Maximus est igitur oratoris labor, inuentà materià, sibi, ac auditoribus proportionata: talem partium symmetriam orationi tradere, vt vna pars non videatur aliam excedere; quamplures enim post exordium; vel nescientes, vel confundentes probationem, ac argumentorum partes, nouum chaos videntur sine ordine contexere; vtinam illis non deesset edoctus amicus, sicut chaos non defuit amor, qui incompositam hanc compositionem melius suis partibus distingueret: è conuerso maxima est laus illius oratoris, qui in sua oratione, ita per diuersa vagatur, vt eandem semper seruet dicendi methodum, ac AEgyptius Protheus videatur semper idem, ac diuersus, ac tali ordine distinguat partes;

Ne primo medium, medio, nec discrepet imum.

Non sunt replendi discursus crebris descriptionibus, nec ex omni herbarum genere, vt vulgò dicitur, fasciculũ debemus componere, quia sæpè copia partes lædit, ac reddit monstrosas, & hisce oratoribus cum Ippocrate dici posset; *Quo plus nutries, eò magis lædes*, & quis crederet; hæc copia inopem orationem facit.

PROLEGOMENVM DECIMVMQVARTVM.

De Paranda Sylua.

ERrat, qui censet orationes texere absque præcedenti lectione, vel sylua parata, non enim taliter iactandum est humanum ingenium, vt illi potentia creatiua tribuatur, ex nihilo fit nihil; sunt nonnulli ita in proprijs fidentes viribus, vt parato dumtaxat calamo, alboque folio, illorum dictante ingenio præsumant orationes conficere, quid parturiunt! nisi infinita principia sine principio, ac fine orationis, benè illis conuenit carmen illud Maurilij;

Victuros agimus semper, neque viuimus vnquam.

Adderem

Adderem ego *dicturos agimus semper, neque dicimus vnquam.*

Modus hic componendi adamussim assimilatur ludo talorum, quem in pœnam Seneca dederat Claudio Imperatori, scilicet quod semper esset in actu eijciendi talos, sed nunquam eijceret. Ait Seneca;

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo,
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti
Decerpere fidem.

Precedere igitur debet compositionē grandis, ac prolixa lectio, qua ita fecundetur memoria, vt intellectus dumtaxat habeat vnire ea, quæ in memoria sunt impressa: quia verò memoria est labilis, & in ipsa tumido veluti in mari sæpè sæpiùs naufragium obliuionis patiuntur, quæ legimus. Ideò cum magis peritis Doctoribus necessarium censeo in papyro imprimere, quæ diutiùs legimus.

Qui sine sylua conceptas propositiones audent extendere, ac probare; prolixis meditationibus totum mentis viridarium percurrunt, nec vllum sciunt florem carpere, & quasi sit calamus, qui nesciat conceptus scribere, non mentis sterilitati, sed ipsi calamo culpam refundentes ingrato dente illum lacerant, ac mordent cubiculi tecta suspicientes: vtinam Tantalos non exprimerent in actu semper scribendi, quę conceperant, & nunquam scribunt; *Ne igitur resupini*, dicam cū Quintiliano lib. 1. *respectantésq; tectum, & cogitationē murmure agitantes expectemus, quid obueniat*, Addā cum Tull. 3. de orat. *Syluam rerum, ac scientiarum parandam esse, ex rerum enim cognitione, & florescere debet, & redundare oratio*, qui animatam non gerit in cerebro bibliothecam; syluam paret. Parum enim iuuat nobilem concipere propositionem, si posteà ob syluæ defectum remaneat improbabilis, Palladis syluæ in hoc differunt à Dianæ nemoribus. Hæc sterilescentia poma non procreant, illæ in dulces, ac in maturos erumpunt fructus: Propositiones gignere elegantes, non reperta materia, qua probentur, illas est imitari parturientes mulieres, quæ post partum lacte carentes mortuum cito vident, quem viuum pepererant, *vt enim natus infans sine nutricis lacte non potest ali, nec ad crescentis vitæ gradus perduci; sic inuenta propositio, non repertà materià confestim euane-*

euanescit, & hæc ingenia non sunt dicenda diserta, sed deserta, ac sterilescentia, quasi arenosam gestantia Arabiam, aliqua parturiunt herbarum olera, sed humore carentia, sicca vertuntur in cadauera, etiam Stasicrates taliter Athum Montem scalpro carnifice extenuare, ac lacerare conceperat, vsque dum Alexandrum exprimeret saxeum, qui manu integram substentaret Ciuitatem, quæ Ciuitas, quia sine camporum planitie inhabitabilis redebatur, ob hunc defectum grandis Stasicratis idea corruit. *delectatus enim Alexander,* ait Vetulus, *ratione formæ, statim quæsiuit, si essent agri, qui possent eam Ciuitatem re frumentaria tueri*.

Sylua hac methodo confici potest: parato Syluæ libello erit diuidendus per literas alphabeticas, a, b, c, deinde quælibet litera suos habebit peculiares titulos sub litera a, erit Amor, Auaritia, sub litera c, Correctio fraterna &c. de alijs literis: deinde legendi sunt libri maxima attentione, ità vt, quidquid legatur attinens ad amorem, siuè sint conceptus, siuè historiæ, siuè axiomata, Hieroglyphica, Apophtegmata, fabellæ, scribātur sub titulo amoris, & sic de alijs literis, quæ pertinent ad mortem sub propria cathegoria, ac titulo mortis; cauendum tamen est ne legantur libri leues, sed à quibus fructus legere possitis.

Libri autem diuersi, pro diuersa materia hi esse poterunt, pro sacris historijs Scriptura Sacra, pro historijs Iudęorum, ac veteris testamenti Ioseph Hebręus, Filo; pro expositione scripturarum Antonius Belinger, qui diuisit scripturas in quosdam locos communes, Aia Gallus, Cornelius à Lapide; pro scripturarum interpretatione Diuus Hieronymus, Io: Chrisostomus, Petrus Chrisologus, Eutimius, Theodoretus, Theophilatus, Tostatus, Lyranus; ex modernis Celada, Mendoza, Forerius, Iansenius, Ribera, Maldonatus, Gerebardus, Pineda, noster Agelius, noster Ghislerius, noster Nouarinus; pro sensu allegorico Origenes, Diuus Ambrosius, Rupertus Abbas, Gregorius Magnus in suis Moralibus in Iob; pro sensu morali Bernardus, Aug., Vgones ambo, Zeno, Chrisostomus; pro Adagijs sacris noster Nouarinus, Martinus del Rio; pro Adagijs profanis Chiliacas, Manutius; pro sacris historijs Baronius, Reynardus, Spondanus; pro his quæ spectant ad veterem legem Salianus, & Nicephorus; pro vitis Pontificum, ac bellis elapsi sæculi, vsque ad Incarnationem Verbi, Platina; pro historijs profanis Sabellicus, Andræas Eborensis, Bonsilius, Contarinus

tarinus, officina Textoris, sed omnia dicam in vno, Theatrum vitę humanæ; pro gentium moribus Alexander ab Alexandro, Celius Rodicinus, Theatrum vitæ humanæ; pro proprietatibus gemmarum, herbarum, plantarum, locorum, metallorum, fontium, fluminum, Plinius, Maiolus, Atheneus, Olaus Magnus; pro animalium proprietatibus vnicus est toto Orbi Vlyses Aldrouandus Bononiensis; pro figuris, ac habitibus Deorum, Vincentius Cartari Imagines Deorum; pro fabulis Poëtarum Ouidius, Natalis Comite in Mytologia, Hyginius in centum fabulis, Boccacius in Genealogia, Cicero de natura Deorũ; pro Emblematibus Alciatus; pro Hieroglyphicis Pierius; pro Symbolis, vulgò Impresijs noster Aresius, quē Principē cēseo, Ruscelius, Iouius, Tyborius.

Parata Sylua facilè erit orationem texere, vt qui iam legit fructus mensæ apponendos, dumtaxat in disco adaptat; oratio tamen prima vice contexta non subito est recitanda, sed insuper benè perscrutanda, ac auferre, quæ sunt auferenda; addere, quæ addenda, deinde est videndum an tota partium symmetria sit benè disposita; etiam Apelles, Zeusis, Parrasius in arte pictoria facilè principes bis, ac ter picta delebant, vsque dum picturam ad meliorem formam restituerent.

Animaduertendum est insuper; ne omnia, quæ sunt in sylua orationi conficiendę applicentur; est enim error vulgaris illorum, qui copiosas plantauere syluas, nolunt hi tales, nec vllam quidem omittere historiolam, seu fabellam, ideòque non Gigantem, sed Monstrum progignunt, ac de illis melius poterat meo iudicio asserere Seneca, quod de Asiatico Ablutio dixit; *Non quidquid debent, sed quidquid possunt dicunt*, non est igitur imitandus Capitolini Fani Iuppiter, de quo cecinit Ouidius.

Iuppiter angusta vix totus stabat in Aede,
Inque Iouis dextra, fictile fulmen erat.

Quia in legendis libris, quamplures, quasi succina habentes ingenia ab ipsis libris nisi paleas, ac festucas rerum læuium ad sese attrahere sciunt, relinquentes, quæ maioris sunt ponderis, & quasi Mineruæ apes in viridario librorum lęuium florum, non grauium fructuum diuitias carpunt, & persæpè cum gallo Aesopi etiam adamantes relinquunt, vtinam pro floribus etiam saxa non carperent, quibus duritiem ingenij ostēderent: ad talem effugiendum errorem aliqua ponam circa libros legendos.

Tyro-

Tyrones in librorum lectione Israeliticam imitentur gentem, quæ Aegyptiorum in domibus Idola ex auro conflata despiciens, vasa aurea, ac argentea, aliasque huiusmodi generis diuitias secum portauit, qui Aquilarum iactat acies scit sapientiæ in Sole maculas detegere: etiam Magnus Alexander Parydis lyram despexit, quia sępè Elenæ pulchritudines cecinerat, & è conuerso plectrum concupiuit Magni Achillis, quo adoreas canebat exeso in antro senis Chironis; manibus, quæ adhuc calidum fumabant Tigridum sanguinem. Non solùm aureis in annulis, Demosthenis, Cleopatræ, & Annibalis gemma, venenum, verùm etiam in librorum amænitatibus, *latet anguis in herba*. Ideò, quia per insidias iter est, formasque ferarum, Aegyptij sunt imitandi canes, qui fugientes, Nili ebibunt vndas, ne dum suam extingunt sitim, simul alicuius Cochodrilli intempestiuam satient famem, quæ in libris profana, ac impudica sunt, vel non legantur, vel cito percurrantur aliquando enim nescire, quam scire melius est.

PROLEGOMENVM DECIMVMQVINTVM.

De varijs Stylis.

MVltiplex est styli genus pro compositionum, ac ingeniorum varietate, maxima enim est laus nobilis, ac elegantis Oratoris taliter auditoribus ea, quæ dicit exprimere, vt simul doceat, delectet, ac animos moueat, ac perfectè suo fungatur munere, & pro rerum diuersitate variare dicendi modum, quod fit diuersis stylis, seù vt loquitur Hermogenes diuersis dicendi ideis. Ideò aliqua de stylis dicam, & quamuis illa Tullij sententia, vsque ad sydera extollatur, ab omnibus commendetur nempè *Summum Oratorem nihil aliud esse, quam summum populo videri* tamen non est ita intelligenda, vt si deterrimus aliquis stylus imperitorum aures mulceat, ac populorum torrentes ad sese attrahat, statim huiusmodi stylus censeatur perfectus, sed alij erunt perfectiores ratio est, quia quidquid dicitur ab Oratore ex quantitate, & qualitate metitur ad quantitatem pertinent prolixitas, & breuitas discursus, ad qualitatem efficacia inefficacia, frigiditas, vehementia, dulcedo, asperitas &c. dicendi formæ.

Aliud est styli genus, quod copiosa verborum messe est consi-

tum,

tum, ſed reverà nihil in eo reperitur nerui, ac roboris, de quo ſtyli genere dici poteſt illud garrulæ filomellæ, *vox vox, præterea nihil*, & Scaliger illud appellauit, *verborum mare ſine ſalis guttula:* ait ipſe, *Stylus eſt, qui nullo certo pondere innixus verbis tumidis, ac lapſantibus diffluit, cuius orationem benè exiſtimatum eſt in ore naſci, non in pectore*.

Alius eſt ſtylus inflatus, qui vtpotè ventoſus leuitate facilè diffluit, qui tumorem habet; verba, vel ventoſa, vel ineptè tranſlata, vel Hyperbolica, ac affectata, vt ſi diceretur, *Grammaticæ Magiſter Scientiarum Coripheus, Princeps Reip. Athlas populorum*; vnde hic ſtylus in tumidas ineptias, ac phaleratas nugas præceps abripitur, & veluti rana Aeſopi, quæ bouis ſpeciem videns, ac prægrandem corporis molem; Boui ſimilis voluit fieri, quidni? aquas bibit iam ſuper corpuſculi vires, ac naturæ conditiones tumet, at miſera ſupra naturam tumida crepuit, egitq; ſpiritum: ſic ſtylus inflatus in id deuenit, vt in compoſitione niſi fumos, ac ventos oſtentet, ſic Nonnus poëta vſurus hoc ſtylo in haſce effudit ineptias, *ſe iactat Aurigaturum Cælum fratrem ſuum (cum vellet dicere calcaturum Cælum) omnes ſtellas nouis inter ſeſe nuptijs copulaturum, ac Cæleſti Eridano pro balneis vſurum*; inſęlicia ſydera ſubiungerem ego, quę ab ineptijs tumidi hominis poſt tot ſeculorum cælibatum illum perditis florem, qui ſemel amiſſus nullo fit amplius pretio venalis?

Alius eſt ſtylus frigidus, qui conſtat ex ſenſibus nouis, peregrinis, ac tumidis, qui ſenſus non ſunt ad rem; vnde animaduertatur, quod hic ſtylus non dicitur frigidus, eo quod langueſcat ſine neruo, ac robore, ſed quòd pernicioſus ſit, ac non benè temperatus, & in hoc ſenſu Ariſtophanes comicus non modo frigiditatibus, verùm, & niuibus inſperſa cuiuſdam inepti poetæ carmina commemorat, at meo iudicio hic ſtylus debet potiùs dici frigore, quam niue inſperſus; niueus enim ſtylus candorem, ac claritatem connotat. Exemplum frigidi ſtyli habetur ex Plutarco, & Caſſio ſuper Alexandri Magni natiuitatem; natus enim erat Alexander ea nocte, qua Dianæ Epheſiæ prægrande Fanum conflagrauit. Igitur ab hac circumſtantia Hegias, qui inter frigidos ſophiſtas commemoratur à Longino, ſic Alexandrum laudat, & adducit rationem huiuſmodi incendij: *Minimè mirandum eſt ſi Dianæ Templum, tàm graui incendio arſerit, quippe Dea in ipſo Olympiæ*

E *partu,*

partu, quo Alexander est editus, obstreticandi laboribus, & curis districta ignem non valuit restinguere.

Alius stylus est puerilis, in quo facilè peccant Tyrones, hic stylus varias habet descriptiunculas, digressiones ineptas, allusiones ad fabulas, quæ ad rem non faciunt, verba affectata, luxuriantes figuras, & quod peius est inopiam iudicij sine sale verę elocutionis, puerilia ludrica, ac nugarum læuitates, vt videntur esse Hadriani Imperatoris versus isti;

Animula, vagula, Blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nam abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles dabis iocos.

In huiusmodi styli vitia pueri persępè incidunt, qui Psittacum, aut passerem, vt Heroem Magnum laudant, & pedagogum, vt Mercurium sapientiæ numen, ità vt non quidquid conuenit scribant, sed quidquid possunt.

Alius est stylus iocosus, ac facetus, elegans, vrbanus, & ingeniosus multas habens admixtas amænitates, quo stylo iocari quandoque, sed temperatè, ac modestè licet, non verò in omnem ludendi licentiam debet effundere orator, sed ea datur ludendi licentia, quæ ab honestis actionibus non sit aliena, & quæ in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen admittat, quapropter nos docet Lucanus hac in re imitari oportere medicos, dum amara porrigunt ægrotis pharmaca, ait ipse;

Qui veluti pueros Absinthia cruda medentes,
Cum dare coguntur, priùs aurea pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore.

Hoc enim modo puer Pharmaci amaritudinem non sentit, sic quandòque auditorum animi facetijs alliciuntur, tritum est Demochratis factum sanè perelegans, is impietatis accusatus Athenis, damnatusq; capite; ioco non modò pręsens, ac imminens euasit periculum, sed honorem consecutus est. Varijs floribus, ac fructibus caput suum cinxit, confestim publicam in plateam prosilijt, sicque fari cæpit: impietatis accusor, quod misteria contempserim, non ego contempsi, sed initiari nolui, quia si bona vidissem sacra dedissem omnibus: si mala iam ab his initiatis deteruissem, hoc si malum est, ecce me victimam coronatam, ma-

ctate

ſtate me, quidni; Populus Athenienſis illum excipiens plauſu, non morti damnauit, imò ſummis coluit honoribus.

Theochritus contra Antigonum Monoculum, quia tacere breuiter noluit, tacere ſemper fuit coactus; promiſerat ei veniam mitis, ac beneuolus Rex, ſi ſupplex veniſſet in aſpectum ſuũ; igitur rogatus à ſuis, vt ante Antigoni oculos veniret ipſe Regem irridens, dixit, *impoſſibile eſt: hoc actum eſt de me ante oculos Regis venire non poſſum.*

Multi ſenes Dimnum adoleſcentulum varia imbutum eruditione prouocauerant, vt ſecum Academicè diſputaret, *non faciam*, inquit, *nimia diſparitas eſt: vos pugnam geritis ante domos veſtras hinc animatiores eſtis, erant enim ſenes illi propè cœmeterium.*

Cato cum vidiſſet domunculam ab igne voratam, cujuſdam, qui reliquum patrimonium in coquinis decoquerat dixit, *ceſſabit nunc ſacrificium, vbi reliquiæ ciborum, quotquot ſupererant flammis aſſumendæ dantur.*

Iulia Auguſti filia, vt eſſet corpore turpis; ita fuit animo pulchra propter ingenium, admonita à patre de moderatione morum, veſtium, ac nimiæ licentiæ, ad patrem in hanc ſcripſit ſententiam, *tu Cæſarem te obliuiſceris: ego Cæſaris me filiam recordor, nec me dedecet munera elargire, ac hab tuum pompa.*

Auguſtus ad Cænam inuitatus non renuebat: ſemel tamen pauperrima exceptus menſa excuſanti domino, dixit, *non putabam me adeò tibi eſſe familiarem*: lingua enim ſine telo vulnerat, ſine gladio ferit, ſine dumis pungit, vnde Scipio Africanus poſt debellatam Africam, ac Romæ accuſatus, quod Aerarium minueret coram patribus conſcriptis, dixit, *ſe acutiores experiri Romæ linguas, quam Cartagine enſes* v detur os, ſagittis vidua pharetra, contrarium tamen fatentur hominum mores ab ipſo ore vulnerati. Sic Martialis medulitùs expungebat ipſa lingua, ſic Poſthumum pungit, qui vt tegeret fœtorem, qui varijs emanabat è vulneribus, ſuaues adhibebat odores, ait Martialis;

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene poſthume ſemper,
Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet.

Et hac ſatyrica expungi poteſt Hipocrita, *quia odor bonus, etiam ad tegendum fœtorem adhibetur.* In molitèr comptum, ac luxurioſum iuuenem talis poteſt confici iocus;

Natura mas eſt, ſed fœmina redditus arte,

Communis generis, denique factus homo est.

Et in Medicum dici potest, *res misera medicus est, cui nunquam bene est, nisi male sit, quam plurimis*, vel hoc aliud,

Si tardè cupis esse senex, vtaris oportet,
Vel modico medicè, vel medico modicè.

Et per hanc inuersionem amenus est iocus Cæsaris cum Floro, cum enim dixisset Florus;

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicæ pati pruinas,
Respondit Cæsar,
Ego nolo Florus esse
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos,

Minorem nec habet amænitatem iocus Camilli Querni poëtæ, cum Leone Summo Pontifice; cum ambo essent ad mensam, dixit Quernus Pontifici;

Archipoëta facit versus pro mille poetis,
Subdidit Pontifex,
At pro mille alijs Archipoëta bibit.
Subiecit Quernus,
Porrige, quod faciam mihi carmina docta falernum;
Respondit Pontifex,
Hoc etiam eneruat, debilitatque pedes.

Alludendo ad *pedes* carminum, & simul ad *morbum* Querni: articulari enim morbo laborabat. Nec minorem habet leporem, hic alius Ludus Archipoëtæ cum Maximo illo litteratorum Mecenate Leone X. super vocem *Opis*: asserunt poëtarum commenta, quod *Dis* numen sit, ac Deus diuitiarum, & *Opis* fingitur illius mater, quia ad cumulandas gazas necessarius est principum fauor: prima syllaba *Opis* quandò significat Deam, ac matrem *Dis* Numinis diuitiarum producitur, & est longa: quandò verò significat auxilium corripitur, & est breuis: hoc supposito explicans Archipoëta suam pauperiem Pontifici, opem ab eodem petens, dixit Pontifex,

Dic mihi? cur dites, non cernimus esse poëtas;

subdidit Archipoëta alludens ad fabulam, ac amęnè æquiuocans,

Dis

Dis *fierem, fieret si mihi mater* Opis;
vnde sumit vocem *Opis* pro auxilio Pontificis, cui respondit Pontifex,

Culpa tua est: vitio ignaui, nam carminis Opem,
Quam reliqui Longam, *tu facis esse* Breuem.

Alius stylus est Parenthyrsus, hoc est nimio addictus furori sine necessitate, & qui intempestiuos mouet affectus, vt facit Aristides sophista in illa illachrymabili monodia de Smyrna collapsa; inter ceteras nenias, ait, *si Gorgones reuiuiscerent, non iam Medusam, aut oculum suum flerent, sed Smyrnam communem Asiæ oculum deplorarent*. Nonnulli etiam Parenthyrso vtuntur, dum pro rebus modicis; sic irascuntur, ac insanæ mentis estuant furore, vt rem maximam videantur iactare, at quid faciunt hi tales, nisi imitari sine iudicij sale Oratorem illum, qui apud Lucium Apuleiũ pro tribus vtrib^9 ab ebrio iuuene multis ictibus perforatis, quasi pro trucidatis, ac cęsis iuuenibus perorat; & hic stylus *parenthyrsus* dicitur, quasi ad *Tyrsum* accedens, hoc est furori proximus, *Thyrsus* enim appellabatur hasta illa induta frondibus, quæ à Bacchantibus gestabatur.

Alius stylus est Poëticus, quo oratores, qui hac tempestate videntur attigisse culmen argutæ elocutionis, intempestiuè tamen soluta in oratione abutuntur, & ne dum Metaphoris remotis, verbis tumidis, ac alijs poëtarum licentijs Orationes texunt: verùm vel carmina ipsa canunt, vel poësis carnifices carminum pedes obtruncant, ac mutilant; principium confundentes cum fine; ac ipsa mutilata carmina audent recitare, quasi ad orationis normam illa reduxissent: hic error ne dum irrepit modernos per oratores, sed etiam antiquos scriptores labefactau.t, inter alios hac in re importunus semper fuit Amianus; sicque poëticè loquitur, *Cum primum aurora surgeret vniuersaque videre poteram armis stellantibus corruscabant, & ferreus equitatus campos opplebat, & calles*; & paulò post sic hyemem describit: *Hyeme vero humus crustaca frigoribus, & tanquam leuigata, ideoque labilis, incessum præcipitantem facit, & patulæ valles per spatia plana glacie constipata vorant nonnunquam transeuntes*: quæ verba si bene consideres, quid aliud sunt, quam mutilata carmina.

Plerique tamen possent mihi obijcere Dionysium Halicarnassensem ingeniorum, ac compositionum censorem accerrimum, qui

qui affirmat *Optimam orationem poësi simillimam esse debere:* Lucianum etiam possent obijcere suadentem ei, qui eloquentiæ culmen cupit attingere, *vt primũ optimos quoq; poëtas legat, vt stylus oratoris cum poëtico conformetur*. verùm, si benè comprehendatur mens Dionynisij Halicarnasensis, videbimus structurã verborum, ac numeros, oratoribus, dumtaxàt commendasse, quod ad mulcendos animos suauitatis lenocinijs, efficacissimum esse probat: sed audi, quid ipsis obiectis respondeat Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Theophrastus*, inquit, *Quintilianus: dicit oratori conferre lectionem poëtarum, multique eius iudicium sequuntur, neque id immeritò; nam ab his, & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor habetur, præcipuèque velut atrita quotidiano actu forensi ingenia, optimis rerum talium blanditijs reparantur:* meminerimus tamen, non in omnibus poëtas esse ab oratoribus sequendos, non in libertate verborum, ac licentia figurarum.

Alius stylus dicitur miscellaneus, quia omnia dicendi genera confusè miscet, præclara cum putidis, grauia cum læuibus, amæna cum tristibus, & hoc stylo præcipuè vtuntur Tyrones, qui multa lectitantes; variorum authorum eruditiones, sententias, fragmenta, descriptiunculas, argumenta, adagia, ac tenebricosas historiolas, arripientes, omnia hæc simul copulant, ac orationem conficiunt, quibus dici posset, vt illi pictori *caue à die iudicij*, quia hic stylus ex omni herbarum genere fasciculos construit, illo nihil inuenies monstrosiùs, chimæras enim generat, multas vniendo dicendi naturas, quapropter non vnico errore contentus omnia omnium stylorum peccata committit; mox enimtumet super cothurnos etiam Tragicos, modò cum hyeme frigescit, modò cum verè læuiter ludit, ac puerilitèr lasciuit, mox cùm æstate furoris flammas euomit, mox cum autumno etiam in fructuosas erumpit sententias, modo dulcitèr effluit, modo instar torrentis per saxa duri, ac abrupti sermonis, non sine aurium offensione obstrepit, in ipso nunc particulas versuum concisas, ac mutilata carmina vides, nunc græca verba legis, nunc effosa ex dirutis antiquitatis ruderibus vocabula antiquitate fumosa, non famosa; quapropter censeo hunc stylum, esse omninò reijciendum, quia ab eloquentia longè aberrat, puerilia enim ludrica, ac ineptas phaleras sola dicendi prurigine quærit, & quamuis Tyronibus

nibus videatur amænus, nihilominus dedecet ingenij maturitatem. Ab istis vitijs cauere erit facilè, si librorum turmæ diuersi styli non legantur, sed adolescentes, ac Tyrones paucos sibi proponant legendos libros melioris notæ, vt optimum acquirant stylum, quo acquisito poterunt postea pede libero omnes percurrere libros.

Alius est stylus allegoricus, seù periphrasticus, & est continuata translatio metaphoræ, quæ aliud dicit, vt cum prolixa metaphora explicamus tumultum populi, ac Reipublicæ similitudine nauis ab vndarum agitatæ procellis, hoc stylo vtitur Cic. in Pis: nu. 20. Neque tam fui timidus, vt qui maximis in turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernassem, saluamque in portu collocassem frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem, alios vidi ventos, alias prospexi procellas.

Hic stylus omnes quærit dicendi amænitates mentis acumina, verborum lusus, allusionum sales, itàvt orator fauos loquatur, & per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componat, ac peregrinos epuli sapores auditorum labijs infundat, vt sunt verba, quæ habentur in Paneg. Theodorici Imperatoris, *Et adhùc cano flore degebas adolescentiæ, nec virtutū messem lacteus ante experimentum culmus attulerat. Adhuc blanda erat imago pubescentis, nec tingens faciem lanugo vestiebat; quando æui purpura, & flosculus superuenientis imperij promittebat sollicitis de gratiæ commutatione terrorem.* Aduertendum tamen est, quod hic stylus metaphoricus ad orationis delicias non ad communem quotidiani sermonis vsum repertus, ad aures mulcendas valet, non ad animum satiandum.

Alius stylus dicitur exanguis, & humilis, qui sensuum exilitatem, compositionis tenuitatem continet, sensus humilis fit, cùm minutulæ res super necessitatem discutiuntur per verba, rustica, trita, & hæc dicendi forma nullum habet acumen, nec vllam sibi vsurpat metaphoram; vnde hic stylus orationem texit, tam ab ornatu alienam; vt non ciuilem, sed rusticam censeas: ne rusticus videaris cauè ab hoc stylo.

Alius est stylus adulatorius, & est quædam forma dicendi ad voluntatem alicuius, vel ad amicitiam; non ad veritatem accommodata; qui stylus cum puerili, & periphrastico; ac frigido affinitatem habet, & in huius styli errores facilè prolabuntur Tyrones

nes

nes in suis Panegyricis, & qui in laudem alicuius principis, à quo sunt aliqua præmia expectaturi perorant, vel qui alicui adhærentes illum super rei veritatem euehunt, numinibus, æquiparant; hocque dicunt luxuriantibus figuris, affectatis verbis, redundantia sermonis, tumidis argumentis, vt est subiectum encomium Apologeticum supra Cic. stylum cuiusdam viri eruditissimi; cuius nomini tamen parco, ait enim de Cic. *Attigimus humanæ culmen eloquentiæ, iam quo progrediatur stylus non habet, hic ille est Marcus Tull. dono quodam prouidentiæ genitus in quo totas vires suas experitur eloquentia, par Imperio Romano ingenium, os magnum sapiens, beatũ, nectare, & ambrosia diffluens, ex omnium sæculorum ingeniorumque virtutibus collecta in vnum perfectio. Vir de quo dubites, an ipse totus ex eloquentia, an ex ipso tota eloquentia sit confecta, certè nihil est facundius, tot sunt in eo virtutes, quot genera eloquentiæ, quot dicta tot purpuræ, quot verba tot flores, Achates est profectò eius stylus, qui lapillus tam fertur esse varij colorum generis, vt vnum lapidem esse minime credas candidus quidem est rubeus, croceus, cinereus, viridis, niger, ceruleus quid moror? huic vni, nec omnium aliarum gemmarum colores sufficiunt: Ille lucos prata, animalia, flumina, flores, & arbores refert mirabili naturæ lasciuientis ludo. Non dissimiliter in Tullio amæna orationis varietate omnes Rhetorum colores, omnes ingeniorum virtutes, omnes elegantiarum delitiæ, vsque ad certamen luxuriant.* vides, quam sit adulatoria hæc forma dicendi, Cicero enim solùm habet stylum candidum clarum, ac suasorium, ità vt verborum amænitates, ac acumina raró ibi appareant; vnde idem author, qui Cic. stylum sic adulatur fatetur alibi. *Marcus Tull. Cic. licet ad omnia eloquentiæ decora fusum haberet ingenium, tamen consultò, aut abstinet, aut rarius vtitur verborum amænitatibus, ac acuminibus: forsan, quod & temporibus illis, & auribus hoc dicendi genus non putaret accommodatum;* quippèqui idem Author proprio ore fatetur se fuisse Ciceronem adulatum; hic stylus reijciatur, vtpotè puerilis, ac frigidus, quis nescit? hunc stylum tantùm homines extollere, vt etiam Deos faciat, ac pumilionem gigantem.

Stylus perfectior mihi videtur esse, qui simul cùm claritate mentis acumina, eloquentiæ flores, elegantiarum delicias, ita amplectitur; vt à veritate non aberret, nec argumenta eneruet: ità vt in ipso miremur maiestatem Platonis, energiam Tullij,

suaui-

ſuauitatem Iſocratis, vim Demoſthenis, ſubtilitatem Lyſiæ, venuſtatem Hyperitis, elegantias Theophraſtri, periodorum rotunditatem Diui Leonis Papæ, alluſiones Tertulliani; qui Crebras ſeruet ſententias, laconicis verbis, & ſicut in minoribus cunchis illuſtriores generantur margaritæ, ac vniones, qui vniunt breuitatem, cum pretioſitate, ità perfectior ſtylus debet breuitate generoſiores explicare ſenſus, tandem hic ſtylus aurea debet videri Xerxis arbor læta, ſublimis, in florum, ac fructuum meſſem erumpens; potiſſimùm hic ſtylus effloruit apud Græcos, quem elegantiores latini ſunt ſecuti Seneca, Salluſtius, Plinius, Iunior Cornelius Tacitus, Diuus Leo Papa, Zeno Epiſc. Veronenſis, & quamplures moderni, quos, & acerrima vi ingenij, & politiſſimi iudicij lumine liberalior natura locupletauit.

PROLEGOMENVM DECIMVMSEXTVM.

De Stylo Concionatorio, Inuectiua, In fucatos, ac phaleratos concionatores.

PROH dolor! vitia vitijs agglutinantur; peccatum peccato viam emollit, & concionatores in verborum phaleras, ac fucatas nugas irrumpunt? Ità ne? Verbi Diuini diſſeminatores, in quibus venerabilis operum, ac ſermonis ſanctitas effulgere debet; ineptiarum vaniloquia, fabularum concinnatas ſeries, deſcriptiuncularum frigora effundunt? Ità ne? ſpirituales medici, quorum munus eſt amara pharmaca minarum, ac correctionum; ægrotis peccatoribus præbere: verborum numeris, ac lenocinijs ad mulcendos animos perorant, ac fauos loquuntur vaniſſimæ eloquentiæ? Ità ne? qui ſterileſcentes animos, vſque ad ſpiritus pinguedinem debent fecundare, vitiorum dumos erradicare, ad virtutem frigidos ſuccendere; ignauiarum, ac tumidorum verborum torrentes, ac ſpumam puerilium verborum, *quà imperitæ aures*, (vt loquitur Claudianus Mammertus) *conſpuuntur* diffundunt? & fucoſam eloquentiam, vaniſſimiſq; nugis ſuperbam inducunt in Eccleſias Dei? Ità ne? qui conſtanti pectore honorem Dei tueri tenentur? cultumque amplificare, ipſi, domos Dei publica vertunt in Theatra, vbi mox verborum iocis ad cachinnos prouocant, mox luxurianti ſermone; ne dum aures permulcent:

 verùm

verùm proh dolor? animos ad prophana accendunt; vęh ijs; ait Ezech. 13. *Væh illis, qui construunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruical.a sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.*

Iactant forsan isti imprudentes, putidi, ac superbi perspicaciora ingenia, quam habuerint Diuus Paulus, Diuus Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus? & tamen nonne Diuus Paulus dicebat 1. Corint. 2. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus, & virtutis;* & Diuus Hieronymus in ep. ad Eph. cap. 1. nonne inquam fatetur, conciones Diui Pauli fuisse absque Rhetorici sermonis nitore, verborum numero, & eloquij venustate? & tamen sine hoc choragio verborum, nonne? tonitrua, & fulmina vibrare;non verba disseminare dicitur? lectitent hi tumidi homilias Diui Augustini, sermones Diui Leonis Papæ, discursus Diui Hieronymi, conciones Diui Ioann: Chrysostomi, & videant; sed simul erubescant, qua sanctitate, quo candore, quo feruore, sine fucis, ac phaleratis verbis, ac sine calamistris profluant limpidæ orationes: fateor quidem aliquos effudisse flores, sed ad prudentiæ, ac sanctitatis condimentum.

Hi sunt imitandi; non Herculis Gallicani aureæ catenulæ, non Paridis iudicia, non Niobe lachrymæ, non Mercurij sales, non Ayacis furores, non Pindari pigmenta, non Chariclеæ suspiria: hi inquam sunt imitandi, qui vt nitidissima lumina virtutum, radios emiserunt, non profani oratores: audiant, quid eruditissimus Cyprianus ep. st. 2. ad Do. nobilius Africæ monstrum loquatur, *In iud cijs, in concione, pro rostris opulenta facundia, volubili ambitione, non iactetur; & cum de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone ambitiosa, sed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia;* qui Theodoretus Grecorum irridens fucatam eloquentiam ait, Christum pro suis legislatoribus non elegisse phaleratæ eloquentiæ Salomones; sed ignorantes, non edoctos, nisi in arte nautica, vt piscatorum solæcismi Atticorum vincerent Syllogismos, & Petrus Damianus, sic Bonifacium monet circa stylum, quo vti debet concionator. *Tu itaque dilectissime in nostris litteris noli prurientem mordacis eloquij sperare salsuginem; noli accuratè vrbanitatis quærere venustatem, omnia*

tibi

tibi simplicitas placeat, quæ ad Deum prouocat; non serpentina calliditas, quæ lethale virus instillat. videant modo vani, ac phalerati concionatores, si concio, quasi picta Venus, vel fucata meretricula in publicum incendere debeat ad mulcendas aures. Quid aliud sunt huiusmodi notæ concionatores, quam cytharæ alijs armonicæ, & sibi mutæ: vnde de illis bene dixit per Ezechielem Prophetam Deus, *& facta est eis vox, quasi vox cytharæ suauiter canentis, & benè composita, & audiunt verba sua, & non faciunt ea,* quid aliud inquam sunt huiusmodi notæ concionatores? quam gemmarum carbunculi, quorum ignis frigidus est? quam Eliogabali florei nimbi? imò quid aliud sunt, quam florei hortuli ad voluptatem, non pomaria ad vtilitatem? sterile ver, non fecundus autumnus? Neronis nautica expeditio ex Aegypto, non annona plena, ad sedandam famelicæ Romæ rabiem, sed macra onerata arena ad magis prouocandā: Chelis, sed Dauidicæ opposita ad accendendos, non extinguendos insanos spiritus. Syrenulæ blandulæ, non vitæ, sed mortis funebres cantatrices? ranarum turbæ, non vinum probatæ sapientiæ, sed turbidam vanæ ostentationis aquam propinantes? Priami imbelle telum ad vulnus confodiendum nequaquam validum, scenarum personæ, quarum actus, & affectus ficti sunt, non veri? tormentum bellicum multò oneratum puluere ad tumorem tātùm, nō ad ictum; at mirum non sit, si vulnera infigere nequeunt, ac vitia profligare: pugnare nempè nequit, qui totus vinctus est, & adstrictus legibus numerosæ orationis, ferire non potest, qui mellea, ac picturata euibrat iacula, non veniunt ad pugnam hi concionatores; sed ad pompam: at nonne diuina verba hisce minutulis nugis illudunt, nonne auditores, qui multi persæpè sunt hebetes ad istum tinnitum dormiunt? Nonne christianæ virtutis amasij indignantur? nonne? improbi, & læues modicè titillati, sine fructu animarum discedunt; *væh vobis* repetam cum Ezechiele, *qui construitis puluillos sub omni cubito manus, & facitis ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.*

PROLEGOMENVM DECIMVM SEPTIMVM.

Qualis esse debeat Concionatorum Stylus.

QVIA hac tempestate vitiorum turba vehementiori impetu fidelium animas obruit, ac fauciat: concionatores, non verba, sed fulmina deberent euibrare ad vitia profliganda, ac peccatores è lacu perditionis auertendos: quidni? concio ipsa nonne cum fulmine similitudinem seruat? iacitur è nubibus fulmen: & è capite profluit côcio: nubium collisione murmurat illud: increpat, ac clamitat etiam concio: Illud in ignis fulgores succenditur: hæc in flammas diuini amoris: fertur illud, & rectè & obliquè: sępè hæc per circuitionem verborum in animos sceleratorum se insinuat.

Concionum stylus solidus esse debet, sanctus, grauis, sobrius, & castus, maxime cum de arcanis mysterijs est sermo, debet etiam esse clarus, disertus, purus, integer, ardens, pugnans, qui ingeniorum phaleratas nugas respuat, qui calliditatem, & versatilis pectoris lubricos luxus reijciat, rarò blandiatur, nunquàm aduletur, charitate æstuat; exemplis, ac historijs sacris vtatur; sensus sculptos, amabiles, & lasciuos fugiat, nec ad memoriæ ostentationem per ascensum, & descensum plura enumeret, quod accidit, cùm multis enumeratis, ea ordine inuerso sæpe resumimus, de quo Panigarola dolet, se plusquam oportebat, frequentiorem fuisse, secùs si huiusmodi repetitio rara fuerit, omnisq; ostentationis expers ad mulcendos animos inseruiet.

Qui concio amat quidem eloquentiam; sed sine affectatione; candorem, sed sine fuco; grauitatem, sed sine tumore; quæ sit mediocritèr acuta, non tam humilis, suauis non ingrata: viuida, ac succi plena, non abiecta. Demùm orator debet stylum eligere, quo intelligatur, ac concio conformetur, cum auditorum intelligentia, & videat quid ad salutem hominis conducat, illudque sequatur.

Concionatori plura dicendi genera conueniunt. Exornatiuum, Adhortatiuum, Didascalicum. Genus Exornatiuum adhibetur in Panegyricis, & hoc genus expetit eloquentiæ flores, ac facundiam, dicendi acumina, ac amænitates, licèt omnis oratio de rebus diuinis, plus debeat habere grauitatis, ac sanctimoniæ, quam artis,

artis, ac amænitatis, tamen in Panegyricis super Verbi Incarnati, Virginis Matris, ac Sanctorum encomia, dicendi flores, mentis acumina, phaleratas periodos, & cætera huiusmodi sunt admittenda; hoc enim non dedecet Concionatorem, & hisce floribus suas exornarunt orationes ipsi Sancti, vt Diuus Ambrosius super Diuam Agnetem Mart. Augustinus super Martyres, & alij. Genus adhortatiuum nitorem exigit, amænitatem, ac cōcinnitatem, sed plus caloris, ac efficaciæ, elegitque quædam capita, quibus hortetur ad virtutem, dehortetur à vitio; quia verò voluntatis nostræ obiectum est ipsum Bonum, ideò amplectitur dumtaxat, quod illi videtur bonum, & hoc est, vel vtile, vel honestum, vel delectabile; ideò per hæc tria capita poterit concionator hortari ad virtutem, quia virtutes sunt bonum honestum, illarum finis est bonum vtile, nempè gloria æterna, ac visio Beata, & ipsa fruitio summi boni, nempè Dei, quæ fruitio est bonum delectabile: sic è conuerso dehortari poterit à malo, probando vitium esse inutile, inhonestum, & nociuum. Genus Didascalicum duplici modo tractatur, vel ad popularem captum, vt quando quęstiones subtiles ad rudiorum intelligentiam reducimus. Aliud genus tractatur ad eruditorum institutionem, & hoc genus aliquas admittit amænitates, ac eloquentiæ flores. Concionatores melioris notæ debent videri Soles, qui simul illuminent, ac inflamment ad pietatem gelida corda; sunt enim celestes Mercurij eloquentiæ, ac sanę doctrinæ Caduceo Martis, ac Veneris furores extinguentes; sunt fęliciores Amphiones, qui verborũ sonitu, si non Thebarum mœnia, saltem Ecclesiæ muros construunt: sunt armonici Ariones, qui dulci concentuum sono, inter huius vitæ procellas, si non Delphinos saltem perditos, ac nefarios homines alliciunt: sunt Hercules Gallicani, qui aurea eloquentia, vt fecit os aureum Diui Chrysostomi virtuti vincire animos sciant: sunt nubes, quæ fęcundis pluuijs sterilescentes homines fęcundent: sunt Ecclesiasticæ arcis munimenta solida, ac mille debent ex illis pondere doctrinarum clypei: sunt micantia sydera, quæ nocturno huiusce mundi in itinere rectum tramitem, ac callem ostendunt: sunt tutæ cynosuræ salutis in portum naufragos homines educentes: sunt nitidissimi phosphori vicinæ auroræ, nempè æternæ gloriæ nuncij: sunt vibratæ Diuini Iouis ab arcu sagittæ, quibus ad pietatem Deus ipse animos expungit, ac vitium ferit: sunt

melio-

meliores Orphei, qui è tartari faucibus, non vnam Euridicem, sed multiplices animas extrahunt.

PROLEGOMENVM DECIMVMOCTAVVM.

Quod Rhetoricæ Dynasta debeat correctioni, ac prudentis, seu sapientis Viri iudicio compositionem subijcere.

NON sunt censendæ compositiones Apellis Veneres, quæ nullum tolerent errorem, quamuis nonnulli reperiantur, qui propria scripta tanti faciant, ac si essent oracula ex Delphis Tripode, ac Dodonei Iouis sortita quærcu, & reuera multis scatent erroribus; audiant isti Diuum Ambrosium horum scripta æquiparantem filio à patre dilecto: ait enim, *Vnum quemque fallunt sua scripta, atque, vt filij etiam deformes delectant parentes, sic etiam scriptores indecores, non benè correctos suos diligunt discursus.*

Est igitur à tyronibus præcipuè subijcienda compositio eruditorum consilio, vt alij in arte periti videant, vt in compositionibus Remigij Sydonius. *An sit opportunitas in exemplis, fides in testimonijs, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis &c.* etiam experientia, teste Seneca, quotidiano nos docet experimento, quòd res, quæ nobis, dûm actualiter componimus videntur optimæ, & omni eruditione conspersæ, post aliquod temporis interuallum, si relegantur, non amplius nobis videntur eædem compositiones, nec author, vt ait Seneca, *se agnoscit in illis*, huius causa est; quia dum componimus furor mentis, ac spirituum feruor taliter iudicium obcæcat, vt omissa serenitate, rectè non valeat iudicare: propterea verùm est illud Senecæ; *ferè, quæ impetu placent, minùs præstant ad manus relata*, & Quin. lib. 10. cap. 3. de ipsis loquens, ait, *repetunt deinde & componunt, quæ effuderant, sed verba emendantur, & numeri, manet in rebus temerè congestis, quæ fuit leuitas*; quippequî intellectus partus debet assimilari vrsæ fœtui, sicut enim Vrsa mater edita massa carnea linguæ scalpro deformem efformat partum; sic expleta compositio debet iterùm, atque iterùm perscrutari, ac in meliorem formam reduci; quia verò in re propria obcæcatur iudicium

ab

ab amore proprio, ideò meliùs erit alieno iudicio, quæ scripsimus subijcere, etiam Sol, Luna, Stellæ, quæ sunt corpora clariora suas habent maculas; non.n. quod claret, caret errore, nam vt loquitur Manilius lib. 2. Astr. scribens ad quendam mancum, vt pro suo non tristaretur errore;

Quod si sollerti circumspicis omnia cura:
Fraudata inuenies amissis sydera membris;
Scorpius in Libra consumit Brachia: Taurus
Succidit in curuo claudus pede, lumina Cancro,
Desunt Centauros, superest, & quæritur vnum.
Sic nostros casus solatur mundus in astris
Omnis cum Cælo fortunæ pendeat ordo.
Ipsaque debilibus formentur sydera membris.

Est enim satis tritum illud adagium plus vidēt plures oculi, quam vnicus. *Familiaritèr domestica aspicimus* loquitur Histoicus, *& semper iudicio fauor officit, nec est quod nos magis aliena iudicet adulatione perire, quam nostra.*

PROLEGOMENVM DECIMVMNONVM.

Quod Tyrones debeant diutiùs Lectioni immorari.

TRitum est philosophicum axioma, nil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu, ideò diutiùs esse immorandum lectioni censeo, vt memoria fecundetur ex multiplici rerum cognitione; quia verò res non imprimuntur in memoria, nisi per species ab oculo ad intellectum transmissas; & oculi illas non recipiant, nisi libros lectitando, ideò quàm necessaria sit hæc librorum prolixa lectio, facilè patet; sapientiæ splendores, nisi ex librorum vmbris exhauriuntur, vt facilè testantur clariora rei litterariæ lumina. Sic Plato Aristotelem Agnostem appellauit; hoc est perpetuum lectorem, vt etiam Tullius, Catonem librorum eluuionem. Hosius non tàm dignitate, quam doctrina Eminentissimus, dum curru vehebatur assiduum adhibebat lectorem, quem audiebat libros lectitantem, & cum semel eandem repeteret legendo periodum, exasperata paulisper fronte; dixit an me non satis intellexisse putas? & Solon sapientiæ gloria apud Græcos conspicuus gloriari solebat, se aliquid quotidie adiscentem, senem fieri,

fieri, sic pari studendi ardore vltimam senectutem, ac primam adolescentiam litteris aluit. Aldus Manutius, qui tanto opere de latino sermone scripsit ante sui Musæi Fores dodrantalibus litteris exposuerat hoc lemma. *Quisquis es rogat Aldus, etiam, atque etiàm, vt si quid est, quod à se velis citiùs agas, deinde, ac tutam habeas, nisi tanquam Hercules defesso Atlanti; veneris suppositurus humeros, semper enim erit, quod, & tu agas*: Aug. Sterchius inter Diui Augustini Regulares Canonicos celebris, annos septem ad pensilem, ante aram Principem lychnum studuit: etiam ex Dominicana familia Ludouicus Granatensis, ne itineribus à studijs remoueretur, ita libros ephippo accomodabat, vt eos cõmodè posset percurrere, & Siluius Iulianus addebat, *si alterum pedem in sepulchro haberem adhùc ediscere vellem*. Quid de Virginio Cæsarino dicam; qui vt Principem Romani sanguinis decebat, nulla prandij, nulla cenæ cura, octo continuabat horas studio, imò stipato libris vndique lectulo, nonnisi inter eruditissimos labores quiescebat. Antoninus Diana in Re Morali facilè princeps ex Clericis Regularibus, vt studio vacaret domesticas fugiebat confabulationes; & crebrò totam in lectione percurrebat noctem. Quid de Cleante dicam? qui noctu exhauriebat aquas, vt die magistro mercedem tradẽs litteris nauaret operam? Quid de Theodorico Imperatore? qui diurnis lectionibus, nequaquam contentus, nocturnas addebat. Quid de Fiderico Borromeo, nostra ferè ætate purpuratorum patre, ac eruditorum principe? hic enim tanto studendi ardore succensus fuit, vt etiam in quadriga, dùm iter haberet eruditorum peruolueret volumina. hinc testatus est in oratione funebri nostræ Religionis eruditissimus Paulus Aresius, tot Borromeum edidisse in lucem libros, quot diebus voluitur annus; exemplo igitur tot sapientiæ luminum diutiùs immorari debent Oratores eruditæ lectioni librorum, si antecellere velint oratoria in facultate, & quamuis laboriosum nimis videatur opus, tamen sciant rosas, ac lilia non florere, nisi inter spinas: etiam fructuum initia acerba sunt; finis tamen, ac maturitas dulcis. Aristoteles Stagyrita interroganti, cur in musæo semper solitarius esset; & cur defatigatum non relaxaret animum, respondit, *artium radices esse quidem amaras, sed dulcissimum adferre fructum*.

PROLEGOMENVM VIGESIMVM.

De Memoria.

MEmoriæ beneficium ità Oratori est necessarium, vt ipso destitutus, quamquam multis præcellat partibus, rudis, ac imperitus videatur, memoria est veluti mentis horreum, in quo optimarum artium fruges reconduntur, vt animus suo tempore prægrandi pompa, illas exponat, imò thesaurus est omnibus scientiarum diuitijs expletus, & sine ipso pauper semper, ac mendicus habetur Orator; Quid præstantius excellenti memoria inueniri potest: hanc series rerum accedentium non modo cumulant, & explent; verùm magis dilatant, ac ampliùs laxant, nouosque semper sinus, ac recessus intus latè lacunosos aperiunt. Quid admirabilius, quam rerum, ac verborum perlongas congeries, sensu discrepantes, numero penè infinitas, memoriæ in angustijs, ità distinctè conseruare, vt inter se rerum copiæ nequaquam confundantur? Quid accomodatius, quam simulacrorum ingentes imagines, tanquam adictam sibi sacramento militiam inter sese nexu, ac fide coniungere, vt varijs serijs iterùm, atque iterum repetantur. Solet autem memoria quietos, ac tranquillos animos comitari, secùs inquietis, & leuibus commorari nequaquam potest, eo modo, quo nec profluenti sigillum imprimitur. Hæc in senescentibus, ac adultis hominibus propter impedimenta naturalia, & tot imaginum multitudinem partim eneruatur, & partim eradicatur; è contrà in iuuenibus propter calorem, ac feruentiores spiritus, promptior, ac fidelior est memoria: quì miraculum videtur, quod de quodam puero Corsico refert Muretus lib. 3. vari. lect. cap. 1. Audieram, ait ipse de puero Corsico, tenere eum artem quamdam memoriæ, planè prodig osam, quarè vt eius, specimen aliquod daret, vna omnes, qui aderamus in proximum cubiculum ingressi consedimus; cepi ego dictare nomina Latina, Græca, Barbara significantia, & nil significantia tam varia, tàm nihil inter se coherentia, tàm multa, vt ego dictando, & puer, cui mandatum erat; vt ea exciperet scribendo, & cæteri, qui aderant audiendo, ac spectando fessi iam essemus omnes, ipse vnus ex omni numero alacer, ac recens assidue plura poscebat, at cum ego dixissem; abundè mihi satisfactum iri, si vel dimidiam partem

tem eorum, quæ dicta erant recitare potuisset: tùm puer fixò ad terram obtutu magna nostra omnium expectatione tacitus aliquandiù stetit. Quid verbis opus est; vidi facinus mirificissimum, exorsus puer loqui; planè omnia, eodem ordine, nunquam insistens, nusquam hæsitans nobis stupentibus reddidit, deinde ab vltimo incipiens, retrogredè omnia iterùm redixit; & demùm quo quisque voluerat ordine sine vllo errore omnia referebat.

Memoria igitur est firma orationis perceptio, qua destitutus orator inhabilis fit ad elocutionis apicem attingendum, quapropter memoria ne dùm est sacro oratori perutilis, verùm cuicumq; studioso: definitur etiam memoria, quòd sit vis quædam animæ, ac potentia, qua eadem anima res comprehendit, ac retinet; hæc potentia veluti intellectus pedissequa, & voluntatis ancilla, quid illi credendum, quid huic amandum, proponit.

Albertus Magnus maximusque Dominicanæ Familiæ decor, trifariam partitur hanc animæ potentiam, quę memoria vocatur; vnam vocat conseruatricem rerum sensui obiectarum, quę veluti pedissequa deseruit ratiocinatiuæ: altera inest superiori parti rationis; & vocatur retentio, seù essentialis conseruatio similitudinis omnium rerum: tertia est conseruatrix specierum intelligibilium, quæ rationi subest; at quidquid sit de hac triplici memoriæ distinctione: dico memoriam esse illam animæ potentiam, in qua rerum species imprimuntur, & conseruantur: quam memoriam felicissimam habuisse Mithridatem testantur antiqui scriptores aientes, hunc Mithridatem Regem Ponti duas supra viginti linguas assecutum fuisse: Cyrum etiam Persarum Regem, felici memoria insignitum fuisse, aiunt alij, eo quia multa millia hominum proprijs nominibus recenseret; hæc potentia in posteriori parte cerebri hæret, vnde si ferro, vel aliquo alio vulnere læditur hæc pars, plurimum nocumenti affertur memorię: insuper in occipite tumor fœlicis memoriæ signum esse dicitur: hoc etiam quotidiana experientia nos docet, quòd, qui celeriter apprehendunt plerumque non admodum memoria valent: secùs, qui tardi sunt in apprehendendo diutius recordantur eodem prorsus modo; quo imagines, quæ maiori difficultate, ac prolixiori tempore in ære, vel auro, argentoue imprimuntur, magis resistunt voraci temporis denti; ac diutiùs illæsam seruant propriam integritatem; è conuerso imagines blandæ ceræ, quæ facile sigillo imprimuntur,

facile

facilè etiam delentur. Primarum qualitatum temperatio florescentem indicat memoriam, vbi frigiditas, humiditas, calor, siccitas, benè temperantur tranquilitas mitescit, quæ obiectorum species benigno fouet in sinu, tueturque; ne in tam grata malacia vllum passiantur naufragium. Qui verò eam partem cerebri, in qua veluti in solio residet memoria, humidam, & calidam habuerint, vt plerumque sunt pueri in sinu Palladis pubescentes, facilè rerum copias mandant memoriæ; sed citò etiam obliuiscuntur: sin autem præualet siccitas, retinent diutius, licet tardius ediscāt. Memoria verò non benè valent, qui frigidi sunt, vt senes, vt etiā, qui frigidum, & siccum occiput habent memoria carent.

Physici tamen huic morbo suum adinuenere pharmacum, sicut enim contraria contrarijs curantur; ità quia origo deficientis memoriæ est frigiditas; restaurari poterit hic naturæ deffectus aliquo pharmaco calido, nempè nuce myristica, rosmarini flore, amaraco, mellissophyllone, cassia, cynamomo, ac zinzibere viridi melle condito, vel cæteris cibis, qui calidioris sint naturæ: adiuuatur etiam memoria si occiput frigidum, vel manu, vel panno, vel linteo asperiori perfricetur, si verò siccitas memoriæ officiat restauranda erit pharmaco humido, vt aliquando caput tepenti aqua intingere: coriandri itidem grana saccaro induta, corda pullorum columbarum combusta in puluerē redacta, ac vino epota memoriam stabiliunt, victus etiam salubris, ac temperatus memoriam recreat; è contra memoriæ officiunt cibi crassiores, vt caseus, lac, olera, legumina, vinum. vtilius tamen pharmacum censeo esse ipsam reminiscentiam, vnde frequenter versare, & repetere debet orator, quæ vult recordari, quia consuetudo experientia teste est altera natura; & Aristoteles libro, *de memoria, & reminiscentia*, ait, *memoria est positio sub ordine, & frequens meditatio per reminiscentiam.*

Memoria, quæ ab Oratore est excolenda duplex est naturalis, & artificialis, prima est à natura indita; secunda artificio acquiritur, & huius memoriæ artificialis authorem faciunt Chium Simonidem, eo quod meminisset loci cuiusdam, in quo priùs fuerat commoratus, & hæc memoria appellatur à Cic. rerum omnium thesaurus, & à Plutarco Cella omnium disciplinarum, & præcipuè acquiritur exercitio: monet enim nos Cicero, vt quod singulis diebus discerimus, audiuerimus, egerimus, vesperi commemoremus;

mus; ad memoriæ mandandam orationem aliquam, non parum proderit, si signentur in margine quædam loca, seù notulæ, quæ veluti animum excitent, neque enim est quisquam adeò naturæ præsidijs destitutus, qui nesciat, vbi notulas signauerit, nam cum in loca aliqua post longum temporis interuallum, reuertitur, non solum loca, verùm etiam, quæ ibi fecerimus aliàs reminiscimur, deinde vt faciliùs res memoriæ mandentur sunt deponenda omnia alia negotia, quæ ipsam mentem impleant varijs cogitationibus: sin autem, quæ sunt memoriæ mandanda prolixa sunt, per partes erunt discenda, ac singulæ partes signandæ aliquo numero u. c. si oratio recitanda erit prolixa diuidi poterit in sex, vel octo partes, quæ singulæ suum peculiarem numerum habeant, postea mandata memoriæ prima parte, ediscenda erit secunda, & sic de cæteris, & hic modus facilior est ad ediscendas orationes. Nocturnam etiam debemus sumere quietem, & mane è somno excitati reuoluere, quæ sunt memoriæ, iam mandata, maximè etiam prosunt ad acquirendam hanc memoriam artificialem temperantia, animi candor, non nimio vti vino, teste enim Plinio lib. 4. cap. 12. *præmium ebrietatis est libido, portentosa rerum omnium obliuio, morsque memoriæ*; vinum enim ait Ficinus lib. de trip. vita humidum, ac turgidum efficit cerebrum; quò fit, vt nequeat species reseruare.

PROLEGOMENVM VIGESIMVM PRIMVM.

De Pronunciatione, & voce.

PRonunciatio est quædam linguæ actio, mediante organo vocis, qua actione claré, ac distinctè internos conceptus exprimimus, & sicut syderum turbæ à Planetarum Principe lucem exhauriunt, qua splendeant; ità actiones corporis ab intima mente profluunt; imò oratoris mens, per verba, per vultum, per oculos, & manus, veluti in speculo contemplatur. Quare Orator non parùm debet insudare in perpoliendis actionibus. In voce, ac pronunciatione cauendum est, ne canere videamur, hoc est, ne in clamosam quandam, & subsultantem, vno firmè tenore næniam incidamus. quia oratio non est recitanda eodem semper tenore vocis; sed provt variantur sensus, & narrationes,

debet

debet etiam variari vox ipsa: deinde cauendum est, ne magna contentione spiritus pronuncientur res, quia vox semel incitata, quasi effrœnus Numidarum equus ruit, & nulla moderatione temperatur. Huius neniæ cantilena pręcipuè pullulàt ex scholis, in quibus pueri assueti rebus tragicis, vel carminibus, recitant posteà orationes, eodem prorsùs tenore, ac si cędem Priami, aut Niobe lachrymas declamarent. pharmacum pro cantu est, crebro recitare naturaliter per Dialogismum, vbi opus sit, persæpè linguam flectere. Vitandus etiam est coccysmus, & est vox supra vires elata; in qua elatione vox suffocatur, ac minùs clara euadens in illum erumpit sonum, cui Græci nomen ab immaturo Gallorum cantu dedere. Fugiendus est etiam Branchus, & est longus plenus, & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis ideòque tremulus, ac dissonus; sed mutanda est vox, provt occasio postulat, nec imitari debemus furiosam, ac vlulantem vocem, deinde vox non debet esse, nec nimis tarda, sed facilis, vrbana, benè articulata, ne vltimæ syllabæ absorbeantur; sed benè exprimantur: in blanditijs, & præcibus debet esse lenis, & submissa; in suasionibus, monitionibus, consilijs, grauis; in metu còntracta; in hortationibus, fortis; in disputationibus, teres; in miserationibus, flexa, & flebilis; in concitandis affectionibus vehemens iuxtà affectus concitandos.

Virtutes bonæ Pronunciationis quatuor præcipuę sunt, *Puritas*, *Perspicuitas*, *Cultus*, *Habilitas*; *Puritas* est vox limpida, ac taliter argentea, vt nullum committat vitium, hæcq; virtus exigit os facile, explanatum, iucundum, in quo nulla resonet rusticitas; quamobrem, vt ait Quintilianus, Cicero 3. de orat. 41. omnino condemnat, vocem mollem, muliebrem, extra modum absonam, vel agrestem, vel rusticanam: vultque pronunciari non hiulcè, ac rusticè; sed presſè, ac lenitèr. *Perspicuitas*, emicat in recta, & expressa pronunciatione verborum, absque syllabarum lisione; de hac virtute sic loquitur Fabius lib. 11. *Pronunciatio erit dilucida si verba omnia exegerit, quorum pars deuorari, pars destitui solet plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent.* *Cultus*, est nitor vocis, cui plurimùm suffragatur à natura vox sonora, facilis, flexibilis, firma, dulcis, clara, pura, erecta, auribus cedens. *Habilitas*, est in constanti quadam æquabilitate, pro argumentorum diuersa ratione, iucundæ pro-

nuncia-

nunciationis varietas; pro diuersitate enim argumentorum, ac orationis est varianda pronunciationis vox; in monodijs debet esse flebilis, tristis, vt valeat affectus miserationis, ac tristitiæ excitare; in panegyricis orationibus debet esse clara argentea flores elocutionis disseminans; in concionibus est varianda vox iuxtà varietatem figurarum, ac argumentorum; & certè exprimi non potest quantam habeat gratiam ars illa variandi, & quantùm ad mulcendas aures valeat, quantùmque Auditores exhilaret, & ipsum oratorem laboris vicissitudine reficiat, & hanc virtutem Ausonius commendat in Gratiano. *Quis tenor vocis, cùm remissa, quæ temperatio, cùm vtraque dispensas? Quis Oratorum læta iucundiùs, facunda cultiùs, pugnantia dentiùs, aut densata glomeratiùs dixit? aut, quod est cuique liberum cogitauit?* Cic. 3. de orat. 216. pronunciationis genus multiplex esse dicit; aliud lene, asperum, contractum, diffusum, fractum, scissum, flexum, attenuatum, inflatum: & Quintilianus præcipit lætis in rebus, vocem debere esse simplicem, hilarem, fluentem: in certamine erectam, ac neruosam, in ira atrocem, asperam, ac densam, in timore demissam, hæsitantem, & abiectam.

Quia conceptus intrinseci, ne dùm sola voce, verùm & gestibus sunt ab oratoribus exprimendi, ideò nonnulla hic de ipsis gestibus dicam. Perfectus enim Orator nemo esse potest, nisi in dicēdo corporis gestus animi motibus assimiletur; gestus enim dicitur loquax silentium; gestus præcipuè manibus, ac brachijs debent fieri; ità vt etiam manus, simul cùm lingua loqui videantur: vt plurimùm tamen gestus dextera manu debent fieri, & licèt aliquando etiam ambæ manus sint adhibendæ ob maiorem rei expressionem, sinistra tamen nunquam sola debet gestus efformare, in quibus manus non debet esse stricta, sed extensa; nec vnico digito sunt res signandæ, sed tota manu simul extensa; vnde sinistra manus nunquam sola gestum faciat, sed cum dextera associata distinguat, aut abominetur; cum autem sola dextera exercetur: sinistra latere suo innixa quiescat. In exordio raro debet gestire Orator, prima, & secunda periodus dicuntur sine gestu, Orator verò nūquam è medio rostri in exordio discedere debet, nec per suggesti latera vagari, & ità Romæ, Venetijs, Taurini, ab egregijs, & nulli secundis Verbi Dei declamatoribus obseruari cōspexi, probationem verò incipere poterit è latere sinistro.

Errant

Errant tamen, qui in oratoribus comicorum actiones putant posse tolerari, vt sunt manuum remigationes, cubitos per latus ventilare, dentibus frendere, labra contrahere, mordere, detorquere, nam vt loquitur Alcuinus, ita debet orator gestus corrigere; *vt facies; sit recta, ne labra detorqueantur, ne nares corrugentur, ne supinus sit vultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata sit ceruix, ne elata, aut depressa sint supercilia, ne oculi sint torpentes, extenti, & rigidi, aut lasciui, aut natantes, & quadam voluptate suffusi, aut poscentes aliquid, deinde pectus, & ventrem proijcere indecorum est.*

Obitèr hic aduertatur, quod capitis demissio luctum, ac mæstitiam indicat, hancque demissionem fingunt, qui depræcandæ diuinæ iræ causa ad squalorem se abijciunt, sic Diuus Remigius Clodouæum Francorum Regem ad Christianam demissionem ortatus fuit dicens; *Mitis deponito colla Sicamber*. Caput altum, ac erectum ouuationis, lætitiæ, ac palmæ signum est, & hoc gestu Machabæorum mater parta iam martyrij palma animatur à Diuo Gregorio Nanzianzeno. Caput attollere arrogantiam nimiam, ac superbiam exprimit: frons obnubilata, ac crispata malitiosos mores, ac noxias cogitationes animique tristitiam indicat, frons verò dura, obstinationem, & contumaciam indicat. oculi verò in quibus veluti in speculis interiorem animum speculamur, sunt teste Damascio in vita Isiodori accurata quędam animi simulacra, & si in fublime sunt elati arrogantiæ, ac superbientis animi notas referunt: si auersi negligentem, respuentem, ac fastidientem animum connotant, sic Didonis vmbra Aeneam respuit apud Virgilium;

Illa solo fixos oculos aduersa tenebat.

Oculi lachrymis liquescentes dolorem, ac interiorem tristitiam dilucidant; oculi clausi meditantem animum aperiunt. Nares fumo incensæ iram grauissimam arguunt; sic Iob. *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis ex ore eius vorabit; carbones succensi sunt ab eo, & gloria narium eius terror.* è conuerso narium latitudo summam connotat lęnitatem, ac animi mansuetudinem: digitum super os imponere silentium indicant Iuuen.

Digito compesce labellum.

Labia contrahere, & simul oculis innuere animum aperit maleuolum, ac irrisorem. Linguam propriam mordere dolorem prodit,

&

& mouere labia impatientiam, ac iracundiam. Totam faciem ab aliquo obiecto auertere auersantis, ac detestantis spiritus est nota: faciem in terram demittere, habitus est adorantium, ac trementium superiores. Insuper facies pallida timorem, ac mestitiam enucleat. Obscura, ac macie confecta animi turbationem, ac dolorem; ellata, & leta conscientiæ puritatem, animique tranquillitatem. Brachia eleuare, aut extendere potentiam, & facultatem ad rem gerendam, ac conficiendam significat, est enim signum roboris; & è conuerso brachia cohibere pudorem, ac timorem. Brachia signare; amoris, & memoriæ indelebilis est index Cant. 8. *Pone me vt signaculum super brachium tuum*, manu caput regere, & super cubitum recumbere defessi viri est nota, manum alteri dare signum est societatis, ac amicitiæ, alterius manum apprehendere admonentis, & hortantis est, sicut manum porrigere opem, ac auxilium significat; & manus supinæ in altum erectæ sunt petentium opem à cælo, ac miseriam propriam profitentium Virg. 4. Aeneid.

Dicitur ante aras media inter numina diuum.
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Aqua manus lauare innocentiæ, ac puritatis est index; sic Pilatus ad ostendendam Verbi Incarnati innocentiam manus suas lauit; manibus plaudere irridentium, ac insultantium signum erat apud Hæbreos, & tandem manuum propriarum commissio, ac implicatio, aut amplexus brachiorum; desides, ac stultos ostendit, & hæc sint satis pro Atrio nostri Pantheon argutæ elocutionis, omnes eloquentiæ Imagines complectentis ad gloriã Dei, ac Beatissimæ Virginis; necnon B. Caietani nostri sæculi Taumaturgi.

✝

LIBER

LIBER SECVNDVS

ELOQVENTIÆ PANTHEON,

Vbi omnes inuentionum Imagines conſpiciuntur delineatæ.

PROOEMIVM.

Triumphantis eloquētiæ aggredimur Capitolium, vbi palmæ, ac lauri non alio creſcunt humore, quam ſtillato ſudore impalleſcētis frontis: habet & ſuas pugnas bellatrix Pallas, quibus de hominum animis triumphet, argumentorum enim aculeata vibrat ſpicula, quæ veluti ſagittarum nimbi hoſtes terrent, ac vincunt: fateor non omnem rubere ſanguine roſam docuiſſe naturam; candidè etiam luxuriat ipſa florum Regina, omnes tamen roſæ ſuis obarmantur ſentibus, vt diſceret, & ipſa regina eloquentia, non ſēper mollescere delitijs floridæ, ac amęnæ elocutionis, ſed etiam, quandò neceſſitas poſtulat in armis durare, argumentorum iacula iacere, & de hoſte triumphare; palmæ .n. alio non amant humectari cruore, quam illo, qui prolixa effunditur in pugna. An non Ioſuė fortiſſimus ille dilecti populi Mauors, & Solis ſtatione, ac longa cum Amorrhæis pugna, triumphabat? iam claſſicum concrepat, iam bellicum canitur, haſtata ſegete horreſcunt campi, ære ferroq;

 cata-

cataphracti pedites, ac equites vndantia vexilla explicant, bellica obstrepunt tympana, nudantur gladij, cruentantur, vir viro implicitus, clypeus clypeo collisus resonat, pugnat gladiatoria potiùs constantia, quam militaris; feritur cæsim, punctìm, eminùs, cominùs, stillant multo sanguine Acinaces, & tamen sitiunt adhùc, quasi semel ebrius Mucro abstemius nesciat viuere; proh? quam audax facinus, retroactis sæculis insolens? errauerat iam totum emisphærium Sol, cùm in pœnam suorum errorum mortis occasum subire cogebatur. Quidni? occasuro inclamat inuictissimus Iosue. *Sol contra Gabeon, ne mouearis:* insolens prodigium? stetit Sol, ne staret vlterius Amorrhæus, Sol ipse exhibuit sese stationarium militem, quo statiuam in Castris Amorrhæorũ fortunam prosterneret, metam distulit diei attingegere, quo dux fidelis inimicorum palmas ad postremùm vsq; demeteret; & tãdem passus est Syderum princeps, vnius ducis voce vinciri, quo veri luminis vinceret, fugaret, & euerteret perduelles. Sic solers Orator statiuam eloquentiam in inuentionum aurifodina contempletur, vt multiplici obarmatus argumentorum iaculo de hostibus triumphet. Inuentio enim armis, clypeis, fastigiatis ensibus, aculeatis telis, pugnantis Palladis Tyrones obarmat, quibus acriter pugnent, vsque ad victoriam.

(✠)

EXPEN-

EXPENSIO PRIMA.

De Inuentione, & de eius locis in genere.

HVC vsquè nascentis eloquentiæ nitidum ortum in præpositis Prolegomenis conspeximus; & veluti aquilarum pulli eloquentiæ sole suis in cunabulis pubescente serenæ mentis acie frui nobis placuit. Mox maturiorem aggredimur eloquentiam, vberiores lecturi fructus. Inter cæteras eloquentiæ partes, principem locum, ac solium occupat Inuentio, qua argumenta ad causas nostras defendendas, ac aduersariorum rationes refellendas excogitamus: non enim Andabatarum more, clausis, vt aiunt, oculis, Palladium in campum debemus prosilire, & quomodocunque orationem scribere; sed priùs quæstionem tractandam debemus medullitùs perscrutari, & non ex abrupto dicere, quidquid suggerit mens subitanea; quia crebrò, qui sic perorant in varias ineptias, ac pueriles nugas incidunt; quod insanabile videtur Cacoëthes illorum, qui in arte oratoria aquilas se iactant, cum sint cæcutientes talpæ.

Ne in hos prolabamur errores, in ipso limine considerandum priùs est, qualis sit quæstio agitanda, pro qua vocamur ad orationem texendam, an sit quæstio thesis, an hypothesis, an simplex, an comparata, quales sint circumstantiæ, quæ possunt amplificari, quale subiectum, deinde hoc considerato inuenienda erunt argumenta, quibus probemus nostram quæstionem: nam si tollas argumenta ab oratione; quid aliud remanebit, quam eloquentia puerilis sine neruo, ac arbor viridibus induta folijs, non fructibus locupletata: loca autem inueniendi argumenta plura sunt, sed prius loquar de locis in genere, quæ vt facilius à Tyronibus memoriæ mandari possint in subiectis carminibus propono.

Materia, Interpres, Proprium. Descriptio, Forma,
Finis, Definiens, Efficiens, Species.
Exemplar, Totum, Partes, Maiora, Minora,
Dissimile, effectus, Coniugata, Genus.
Diuisa, Obsistens Transumpta, Proportio, Tempus,
Vsus praecurrens, Ortus, & Inter tus.
Subiectum, Locus, Obiectum, Priua a, Relata,

Contradictum, Actus, Disparia, ac simile.
Par, Directa, Sequens, Comitans, Contraria, Adhærens,
Humanus Testis, Dictaque docta Dei.

Ex his locis communibus alij sunt interni, alij externi, interni sunt in rei substantia, vt Definitio, Genus, Differentia, Species; alij externi, vt Causa finalis, Efficiens, Idealis &c. modò singula loca facili, ac dilucida methodo expendemus.

EXPENSIO SECVNDA.

De Causa Materiali.

MAteria hic non sumitur, vt in physicis pro primo subiecto, in quo recipiuntur formæ substantiales, ex quibus fit compositum physicum, vt lignum, ferrum &c. sed pro materia hic sumitur potiùs ipsum compositum physicum coagulatum ex materia prima, & forma substantiali, vt esset ligni, lapis, auri & cetera huiusmodi, & hoc modo sumpta materia definitur ab Aristotile. Materia est illa ex qua inexistente fit aliquid; ità vt ipsa materia componat, id quod ex ea fit, sic quia ex ære conflatur statua, æs erit materia statuæ, quia ex auro, gemmisque Regis texitur Diadema, aurum, ac gemmæ erunt materia Diadematis Regis, sic à materia Lactantius probat mundum, & suam habuisse originem, & corrumpi posse; ex eo, quod ex materia corruptibili, quæ mutationibus subiecta est constet, & principium habuit, & incœpit esse, ergo & mundum ipsum corruptibilem esse, ac initium habuisse, necessariò est fatendum: mundus enim non est, nisi hæc materia corruptibilis, Asia, Africa, America, & Europa, ac omnia elementa sunt partes huius materiæ corruptibilis: ergo si totum est corruptibile etiam partes sunt corruptibiles, & Diuus Ambr. in hexam. lib. 2. cap. 3. à materia aquæ, sic conficit argumenta; *videmus plerumque exire nubes de montibus: quæro vtrùm de terra ascendat aqua; an ea, quæ super cælos est ex longo imbre descendat? si ascendit: vtique contra naturam est, vt ascendat in superiora, quæ grauior est, & portetur aëre, cum aër subtilior sit; aut si conciti orbis totius motu rapitur aqua: sicut imo orbe rapitur, ità summo diffunditur.* Quid de Cedreno? qui à materia varijs excepit encomijs mensam illam celeberrimam ab Imperatore

Iusti-

Iustiniano Sanctæ Sophiæ dicatam, ac Bizanzij in eius Augusto Templo positam? Mensam, ait ipse, Iustinianus Imperator fieri iussit opus imitatione nulla æquandum; constabat ex auro, argento, lapillis, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas & terra fert, & mare, & vniuersus mundus: ex omni enim materia pretiosa plura: ex viliori pauciora collegerat, liquatisque his, quæ fluunt, sic ea ignis immiserat, atque in formam mensæ absoluerat; itaque varium illud opus, varijsque vermiculatum gemmis inspicientibus stuporem inijciebat.

Hæc materia tripliciter diuiditur *ex qua, in qua, & circa quam,* materia *ex qua,* duplex est, alia permanens, alia transiens; materia permanens est, quæ permanet, vt conflata statua, permanet æs, ex quo fuit conflata ipsa statua, ab hac materia *ex qua*, Cic. varijs modis Verrem expungit, eiusque furtum arguit præsertim ob raptum candelabrum ex gemmis clarissimis opere mirabili perfectum, & num. 62. *Non pauca pocula ex auro, quæ vt mos est Regius, & maximè in Syria gemmis erant distincta: erat etiam vas vinarium, ex vna gemma prægrandi, trulla excauata cum manubrio aureo.*

Materia transiens est, quæ corrumpitur, & non perseuerat; sed transit in aliam materiam, vt lignum, quod transit in ignem: Cic. 2. de Natura Deorum, sic sydera laudat num. 29. atq; hac mundi diuinitate perfecta, tribuenda est syderibus eadem diuinitas, quæ ex nobilissima, ac purissima ætheris parte gignuntur; nec vlla prætereà sunt admixta natura, totaque sunt candida, atque perlucida, & Virg. 3. Aen. sic orcum describit;

Porta aduersa ingens, solidoque adamante columnæ
Vis, vt nulla virûm, nec ipsi exscindere ferro,
Cælicolæ valeant, stat ferrea turris ad auras.

Materia *in qua* est illa, in qua aliquid recipitur, sic, quia virtutes recipiuntur in animo, color albus in pariete, animus, & paries erunt materia, in qua, ipsarum virtutum, ac coloris albi, sic substantia est materia *in qua* recipiuntur accidentia, sic Ouidius à materia in qua ait,

Quid facies Oenone, qui arenæ semina mandas,
Num pro futuris littora bobus aras?

Ab accidentibus potest etiam argui, quale sit subiectum, seu qualis materia *in qua*; sic à varijs accidentibus possum Messanæ tempe-

temperiem amplificare, ac fortitudinem. Multa sanè gloria coronatur Messana Ciuitas, in qua sese circinnant ipsius in verticem plurimi montes fortissimis coronati arcibus, quæ tormentis vallatæ bellicis Cælo proximiores, Cæli ad instar fulminant; per arduos dumtaxàt calles ascendi potest, alij alijs sunt molliores, vtpotè flexuoso mæandro tardiores; ad pedes horum montium commodè iacet Messana partim grata in planitie; partim super colles leniter assurgens. ab Ortu, & Aquilone, Messapiam respicit, cuius isthmus decem dumtaxàt numerat milliaria, atque ob affinitatem, eius amænitate gaudet, tutissimum habet Portum, vnica planè est omnium portuum phœnix, hic à latere, quo Messapiam videt à prolapsa è Cælo Saturni falce componitur, & certè non poterit non esse tutus, qui à Deorum armis custoditur; huius falcis fastigium Arx munitissima claudit, quæ in mare porrecta Peninsulæ formam efficit, osque Portus custodit crebris munita tormentis bellicis, ac maioribus instructa colubrinis, vt more hystricis videatur ferire eminùs, & cominus: varijs est sculpta Hispaniarum Aquilis, forsan, vt credatur arcium Sol, penès quam etiam marmoreæ volitant aquilæ: vel si vbi erit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, iam credatur hæc arx neruus, ac vis tota Messanensis Portus; quippequi Saluatoris gaudet nomenclatura, vt tutiùs Portum saluet; puteus adest, cuius in sinu grato amplexu seruantur aquæ, ac circum agente rota, frigidissimi latices militiæ ministrantur, qui Acropolim hanc tentare quidem hostium audacia potest nulla tamen arte, ac machina expugnare; in falcis medio prægrandis erigitur turris viuis constructa lapidibus adamant na efficientibus puncta; cuius fastigium collucet nocturnis horis splendore; Carybdis vortices ad eius pedes ludentes, in nauium exitium, ostendens; ac tutissima veluti cynosura vicinum indicat Portum, qui ex alio latere à palatiorum semicirculo perficitur, & hæc eandem seruant formam; vt magis inspicientium oculos alliciant, ac defatigatos nautarum animos mulceant, eorum structura ex constanti est marmore, vt longiùs inconstantiæ temporis resistant, Angliæ, & Olandiæ Syluæ crebrò veniunt, rei mercatoriæ causa. Si aruorum amœna intueor, lætum, ac luxuriosum ver, videtur ibi suum collocasse solium, aër gratis zephyris lucidus semper, ac serenus spirat; puriores fluunt varios per mæandros grato murmure latices, Tellus hìc in planiem modicè

porri-

porrigitur: alibi in colles placidè assurgit, & magis riget in mõte, illic herbis spontè natis, ac arbustis vestitur: ante lucanas horas, vel ipsa aurora comitante si colles percurris, vocales vndique audiuntur syluæ, circumsonant, ac salutant te suauiter chori alitum frictillantium tructulantium: ab arboribus nouis se floribus induentibus odores spirant suauissimi, saliunt Nympharum turmæ, sussurrant rami, murmurant riuuli. Demùm aprici colles, virides saltus, & opaca nemora mille aperiunt amænitatum theatra; & si Sol æstuante sub Leone ignita audet euibrare radiorum tela; confestim veluti syrenulæ blandulæ consurgunt placido e maris sinu Græci Phauonij æstiuum demulcentes calorem, ac igniuomas Leonis flammas, grato susurro obtemperantes. At quod super prodigium magis se extollit, non modo opacis in syluis fastigiatis hastis venantur feræ: sed raro aspectu etiam pisces, in mari; qui licèt ensibus obarmati, grato spectaculo, videntur potiùs ludere, quam pugnare per vndas, longa circumspicitur super inconstantis elementi sinum sublimium arborum plantata series, varijs suffulta funibus largis in nauibus, quæ parùm assurgunt, vt dum agitur de venatione, etiam mare suas videatur habere syluas: arbores binæ binæ in altum, vsque ad triginta passus assurgentes, eundem seruant ordinem, & quælibet proprium tuens locum, in fastigio excubiam recipit; à qua detectus piscis spata clamore grandi ostenditur tirremulæ, quæ per vndas longo alarum remigio pernici cursu volitans mox obliquè, mox rectè, mox tortuoso meandro, mox retrogradè, tàm diuerso gradu, vt videatur componere labyrinthum, & in ipso veluti in rete piscem captare, diuersimodè semper currit, vsque dùm armatum piscem detegat, detectum insequatur, & tandem insecutum vibrata hasta vulneret, ac inter Scyllam, & Carybdim naufragium mortis, etiam patiantur squamosi gregis nobiliores equites.

Materia *circa quam* est illa, circa quam varij actus, vel habitus, vel facultates versantur, sic ex eo quod omnes actus voluntatis tendant in bonum, & obiectum voluntatis sit bonum transcẽdens, quod ad se trahit ipsam voluntatem; materia *circa quam* actuum voluntatis, erit ipsum bonum: quia Logica tendit ad dirigendas operationes intellectus istæ operationes, vt dirigendæ, erunt materia *circa quam*. Martialis amænè à materia circa quam exprimit Bassum Poëtam lib. 5.

Colchida

Colchida quid scribis, quid scribis amice Thyestem?
Quid tibi, vel Niobe Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis,
Deuchalion, vel si non placet hic, Phaeton.

EXPENSIO TERTIA.

De Interpretatione, & quomodo, ex ea hauriantur argumenta.

INterpretatio provt hic sumitur nihil aliud est, nisi alterius mentis interpretatio, seù excogitatio, qua putamus alium sic dixisse, vt nos dicimus, ex qua interpretatione occasionem sumimus argutè, & eruditè referendi historias, argumenta, exempla peregrina, amænitates dicendi. Amedeus Grandis Rex Cipri, maximus Allobragū Dux à magni principis legatis interrogatus; an venaticos haberet canes, ipse è latere ædium pauperū ingētem multitudinem indigitans, dixit hi mei venatici sunt canes, quos alo quotidie, & quibus me cælum spero venaturum? quam mentem inuictissimi Ducis, sic interpretari possum. Sciebat inuictissimus Princeps huius telluris delitias veluti flores citò emarcescere: proindè venabatur cælestes amænitates æternum duraturas, & si Varro Rei latinæ indagator egregius testatur hoc verbum venari, dici à venis agri, quasi per agrorum venas penetrent venatici canes, vt feras capiant. Amedeus egregiè voluit sumere hoc verbum pro cælestis regni indagatione, ac inquisitione; eat quidem Nembrot venationis primus inuētor sacro Codice teste; eat per Nemorum aprica, ac mōtium exesas ambages: Diana totius venationis Dea multis sit armata iaculis, vt feras captet, eat Hyppolitus vna cum Diana tela cuibret ferarum cruore proprias humectet palmas: eat Grimoaldus Longobardorum Rex, feras insequatur, & extinguatur, antequam belluam extinguat, alant Lucani filios suos nullo alio cibo, nisi ex venatione; viuat Mythridates per septemnium extra Regiam, extra vrbem Dio sub frigido, ac in Sole, vt insidias tendat assiduas, nunc ceruis, nunc alijs feris: audeat nullus accedere Andronicę Iunonis in aspectum, sine aue, vel cane, eò quod totus venationi dedita princeps prohibuerat omnem accessum sine tali munere: certè Amedeus nobiliori exercebatur in venatione, dum mundi despiciens delicias

paupere s

pauperes pro canibus adhibebat, vt Cęlum venaretur. Meminerat enim pius Dux quantopere commendata esset sacro in Codice eleemosyna, audierat Christi verba; sicut lauacro aquæ salutaris ignis extinguitur, sic eleemosyna delictorum flamma sopitur; vel legerat illud Salomonis: Magna res est, & pretiosa vir misericors, nec illud ignorabat Nanzianzeni, nil tam diuinum habet homo, quam de alijs benemereri: quapropter ferarum despiciebat venationem, nec alios adhibebat venaticos canes, quam pauperes, quibus, vt dixit Magni Principis Legatis, Cęlum venaturum sperabat.

Huic etiam similis est illa interpretatio Diui Ambrosij, de nece Satyri fratris; *raptus est, ne malitia mutaret cor eius: raptus est, ne in manus incideret Barbarorum: raptus est, ne totius Orbis excidium, propinquorum funera, ciuium mortes videret: Postremò: raptus est, ne Sanctarum Virginum, atq; Viduarum, quod omni morte est acerbius colluuionem inspiceret.*

Plutarcus illud Alexandri, *nisi Alexander essem; Diogenes esse vellem*, sic interpretatur. Non dixit nisi Rex essem, Diogenes esse vellem; non dixit nisi diues essem; non dixit nisi magnus Dux essem, sed dixit nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem, idest nisi opere potiùs, quàm verbis certum esset philosophari, nisi victorijs totum circumirem Orbem, nisi barbaras gentes Græcis institutis excolerem, non equidem in otio desidens potentiam meam ad luxuriandum contulissem, sed frugalitatem Diogenis emulatus fuissem.

EXPENSIO QVARTA.

De Proprio.

PRoprium rigorosè dicitur id quod sequitur ad esse rei, multiplicitèr autem potest sumi proprium. Primò, pro eo, quod conuenit vni soli speciei, sed non omnibus indiuiduis contentis sub ipsa, vt mederi, canere, percutere cytharam, & alia huiusmodi, quæ conueniunt speciei hominis, non tamen omnes homines sciunt percutere cytharam, mederi: secundò pro eo, quod conuenit omnibus indiuiduis, & toti speciei, sed non soli, vt homini esse bipidem, conuenit enim etiam alijs speciebus animalium; tertiò

pro eo, quod soli, & toti speciei conuenit, sed non semper, vt senescere; quartò pro eo quod omni & soli speciei semper conuenit, vt risibilitas homini: & hoc modo sumptum proprium dicitur essentiale, & de hoc agit Porphyrius. Nos verò prout ad Rhetoricam spectat, dicimus proprium, esse id quod sequitur esse rei, siuè sit essentiale, siuè accidentale, vt risibilitas in homine, odor in flore, & hoc modo eruuntur potissima argumenta à proprio, vt omne risibile, probabile est quod rideat: Petrus, Franciscus, Antonius sunt risibiles, ergo probabile est quod rideant. Homicida facilis est ad occidendum, eo quia ducatur ab irascibili. Catilina est homicida, trucidauit nempè Marium, vulnerauit Franciscum, enecauit Paulum, ergo probabile est, vt popularis rumor fatetur occidisse Prætorem.

Proprietas etiam valet ad amplificandum sumendo ea omnia, quæ sequuntur rem amplificandam; sic à proprio describerem vernam tempestatem.

DESCRIPTIO VERIS.

Reuertitur ex hyemali postliminio serena Cęli, amęna Terræ temperies, & quamuis eadem semper singulis restauretur annis, nemo naturam increpat, quòd vltra satietatem benigna sit: quippè rerum, quæ placent, ipsa dos est vt decies, & amplius repetitæ placeant adhuc: & vbi hyberna tempestas desęuijt, ac montium capita alta conspersa niue, canitiem, ac senectutem anni exprimebant, ac vbi tumidis obuelatus nubibus aër lachrymarum in pluuias liquescebat; forsan defuncto parentaturus anno: mutata repente scena vernis teporibus, ac exhilaratis auris Cęlum, ac tellus edíscunt illicò mitescere; & quasi terra in Cęlum versa, tot promicantes suo ostentat in sinu stellas, quot flores, vbi enascuntur, alij in gemma, crescunt alij ex hyante iam calice, pubescunt alij rupta iam vagina, & ne desint criniti cometæ; purpureo, ac sanguineo indutæ paludamento promicant rosæ, quæ si non excidium indicant principibus, manui tamen eas rapienti vulnera infigunt: vestiuntur viridi paludamento prata, ac gemmea herbarum viriditate superbiunt; ab arboribus nouis se floribus induentibus odores spirant suauissimi, exagitante lęnissimo Phauonio frondes. Saliunt vndique, & quasi hybernis soluti compedibus Nympharum chori gratissimoque murmure inter sese exultant: ac blandiuntur animis efflantes auræ, vt iucundius nihil,

nihil suauius possit frui, & vbi niues incanuere; purpurant rosæ, ac candicant lilia, ludunt zephyri, susurrant rami, ac æmulo concentu gratæ auiculæ luscinìæ canore, cum cygnis ad prodigium decertant, ac vocalis vbique auditur Sylua: vbi luscinia cantillat, paller pipit, aquila clangit, acredula militat, coturnix gryliffat, hirundo trinsat, perdix cacabat; nunc Sol altior, ac auro similior, nunc Orbis Lunæ lucidiori argento pulchrior splendet, atque illibati syderum chori clarius enitescunt, turgent gemmis arbores collium super humeros, vbi lasciuiunt agni, fistulas concinunt pastores, ac pastoralia carmina accinunt.

DESCRIPTIO AESTIVI TEMPORIS.

Non amplius constipati velleris niueæ decidunt è Cęlo pluuiæ, sed contra rerum naturam flammarum imbres, quibus totus æstuat Orbis Syrio è Cane prolabuntur, & ipse Sol, qui antea verus Briareus tot extendebat brachia, quot radios, ad Floræ subleuandos partus, vel qui nouus Iuppiter aureas videbatur descendere in pluuias; non vt Danaæ, verùm communis matris sinum fęcundaret; vel qui industriosa veluti Vrsa tot linguis, quot radijs naturæ errores, ac deformes filios efformabat: mox Syrio in Leone trabeatus, veluti Romana olim in Vrbe barbarus Nero ignem vbique succendit; flammas vbique spargit; incendia vbique suscitat, exsicantur fontes, arescunt prata, & ipsi torrentes sua aquarum opulentia spoliati, vix aliquas eliquantur in guttulas, tanquam in lachrymas, argenteas amissas opes lachrymaturi; & tellus ipsa mille patulis oribus, quasi suos explicans cruciatus, diuitijs expoliata iacet. Aestiua tamen temperies fecunda est mater frugum, & annonæ; flauescunt nempè campi, quęruntur falces ad Siculam colligendam Cererem, aureis coronantur spicis arua, inuitantque rusticas manus ad messem, ac lecta in fasciculos Ceres ingrati animi vitio alibi tribulis, alibi equorum gressibus; alibi perticis flagellatur, excruciatur, expoliatur, at sicuti asbestinum irradiat, candidius inter flammas, sic purior euadit Ceres inter cruciatus, *quia exercitium præbent, non exitium animo hæroico, res aduersæ:* Iam sub grandi rei frumentariæ pondere gemunt onerata horrea obtundentur, etiam ouium vellera, non sine Cereris inuidia, dum pecudum armenta ad homines vestiendos vocantur gloriosa appellatione.

DESCRIPTIO AVTVMNI.

Reijciat calamus ſtyli acerbitatem, vbi Pomona dulces matureſcit in fruges, flores etiam deponantur, vbi Amaltheæ cornu ſuos diffundit fructus: dedecet leuitas vbi virilis anni Aetas non floribus redimitur; ſed vt Grauitatem decet coronatur fructibus, ipſum enim Autumni nomen, quod ab augendis opibus gloriosè ſortitur grandeſcere nos docet: cùm primùm Autumni accedit fertilitas, fructus, quos brumali tempore toto celauerat ſinu tellus, liberalior omnifariàm effundit, aperit collium amantiſſimus Bacchus vitiferos tractus, poſcunt prælum vineta, racemis liuentibus prætexta deſpumat vinarijs in cellis, plenis labris vindemia ridet in ſolo fertili: reliqua matura ſeges falcē quoq; petit; decerpuntur diuitiæ hortorum, dat Palladis arbor oleum, accedit ficuum ſapor etiam melli preferendus, dependent è ramis mille pomorum genera, aurea, punica, vt ſcias etiam Autumnum auream poſſe parere Aetatem, nullo præcedenti Saturni ortu.

HYEMIS DESCRIPTIO.

Elocutionis amænitates non expectate, vbi Hyems terram ingruit, ac mare tranquillitatis fœdera rupit: quis poterit inter niues efflореſcere ſtylus? aut quos flores dabit ſterilis hyems? iam altiora montium capita venerabili niuium canitie anni Senectutem exprimunt; luctuoſis ſe induit cæcarum nubium paludamentis aër, ac crebras liqueſcit in pluuiarum lachrymas, neſcias an agoniam anni lachrymaturus, an ipſi iam defuncto parentaturus: in luctu, ac ſqualore iacent prata, lachrymantur amputatæ vineæ; veſtibus ſuis exuuntur arbores, & vbi homines grauiori veſtium pondere rigidis frigeſcentis Aquilonis iaculis lanigeros obijciunt clypeos, ſolum ipſæ arbores, vt ſeueriorem agant pœnitentiam nudæ ſine folijs perſeuerant, & quas dederant ventis diffundere amabili negligentia comas, Iam coguntur deponere: colles, vel nudum aperiunt dorſum non ſine erubeſcentia, vel grandi ſub niuium pondere gemunt; cæterùm tanto premit rigore tellurem gelu, vt gelidiſſimus hic Septemtrionis axis videatur trai flatus: canæ perennibus pruinis ſyluæ venationem negant, calles alto demerſi in luto itinera prohibent. Qui ruſticus ad focum confugit, formica in cauernis terræ ſuis laboribus parto victu fruitur, venti, ac tempeſtates graſſantur, ſterili glacie torpent omnia, & præfocatæ in ſemine fruges geluque exanimatæ

ſpem

ſpem futuræ meſſis videntur elidere; quaſi dùm hortorum, pratorumque viriditas exſiccatur, ſpei viriditas tolli etiam debeat: cęli ſoliſque facies, tam tetra, ac horrida apparet, vt illius in vultu, vix dies à nocte diſtinguatur; nox à die. Diſcite tamen, *quòd ſicut rerum ſemina alta ſub pruina magis fouuntur; ità aduerſa fortunà ſæpiſſimè foueri pietatem*.

EXPENSIO QVINTA

De Deſcriptione.

DEſcriptio, quæ eſt pellucida, ac erudita narratio rei per ſingulas partes, definitur etiam à Cornific. lib.4. num.52. quod fiat, cùm ex collectis rei alicuius proprietatibus, adiunctis, conſequentibus, antecedentibus, & concomitantibus, rei naturam per ſuas partes dilucidamus, qùi deſcriptio ne dum eſſentiam rei, verùm accidentia omnia, ac proprietates dicit, cùm alluſione, vt amænior fiat, ad alia extrinſeca, vt ad fabulas, rerum proprietates, & cætera huiuſmodi, & hæc deſcriptio, quà nihil eſt Rhetorum in aurifodina pretioſius, ac opulentius in quatuor ſecatur partes. Prima fit cum ſimilitudine, ac comparatione, cum alia re extrinſeca. Secunda, quæ dicitur Effictio, fit per expreſſionem corporis. Tertia, quæ dicitur Notatio, eſt deſcriptio morum ab adiunctis, demùm quarta fit per Hyppothipoſim.

Primus modus deſcribendi aliquid, qui fit cum ſimilitudine, ac comparatione, cum aliquo extrinſeco, amænas deſcriptiones intexit, & hoc modo deſcribere poſſem adoleſcentem rudem, ignauum, negligentem, & illum comparare cum Limace.

DESCRIPTIO LIMACIS, hoc eſt ADOLESCENTIS RVDIS.

Viuum ignauiæ ſimulacrum inter herbarum olera contemplemini vbi rudes adoleſcentes, turpes, ac ſpumoſas decreſcunt in beſtiolas. Vidiſtis gibboſum animarculum propriam deferens domum, quaſi paueat frigido ſub dio apparere; vndè ſub tecto ſemper indormiat, ne aliquid patiatur ab aëre, aut à Solis radio. Limax eſt hoc eſt adoleſcentis rudis, ignaui, ac negligentis, viua imago. Teſtudineo vix mouetur gradu, quia ignauus adoleſcens vix Palladis per viridaria mouetur: oculi eius occuluntur, quaſi frontis gemina ſydera eclipſim patiantur, orto iam Sole; idèo con-

continuum in ſomnum occludit, dum eſt excubandum : ad temerandas, potiùs liuida ſpumà, quam prætentandas cæcas ambages, & bacilli, & oculorum vicaria quadrigemina cornicula protenduntur, quaſi hoſtem expaueſcens, neſciat moueri niſi præcedentibus corniculorum faſtigiatis armis, quæ tamen minimę formicę ad incurſum, vel alterius rei tactû conſeſtim reſiliunt; horum corniculorum faſtigia, nigello puncto clauduntur, quaſi negligentiæ puncto illudatur Limax; totum corpus infuſcatur, vt ſe rudem adoleſcentem exprimere intelligas, & in lentiſſimo reptatu pigritiam ipſam: totum corpus, quaſi in otio laborans frigidum lentorem, hoc eſt ignauiæ ſuccum exudat, viamq́; ſordidè ſignat, forſan ne hoſtis viam proſequatur; eius capitis arcanum dureſcit in oſſiculum; quia rudis adoleſcentis caput marmore durius neſcit emolleſcere ad virtutum imagines, vtili impreſſione, ſuſcipiendas; vnum in tanta membrorum mutatione Limacis nomen appoſitè retinet, qui limoſam inertemq́ue indolem non mutauit; & hoc ineptis adoleſcentis ſymbolum, & pigri hominis imago. hoc in ſpeculo ſeſe contempletur, quiſquis litterario labore non inſudat.

Facta comparatione calculi in renibus geniti meatum vrinæ impedientis aſperrimumq́; cruciatum gignentis, cum ſaxo marmoreo: ſic deſcribi poteſt Italico verſu calculo laborans;

CALCVLO LABORANTIS DESCRIPTIO.

Son nelle rene mie dunque formati
I duri ſaſſi, alla mia vita infeſti?
Che fatti ogn'hor più graui, e più moleſti,
Han de' miei giorni i termini ſegnati?
S'altrui con bianche pietre i dì beati
Nota, io noto con eſſi i dì funeſti,
Seruan' i ſaſſi à fabricar, ma queſti
A diſtrugger la fabrica ſon nati.
Io ben poſſo chiamar mia ſorte dura,
S'ella e di pietra, hà preſo à lapidarmi
Dalla parte di dentro la natura.
Sò, che sù queſte pietre arruota l'armi
La morte, anche à formar la ſepoltura,
Nelle viſcere mie naſcon' i marmi.

DE-

DESCRIPTIO PVMILIONIS SVPERBI COMPARATI, *Cum rebus magnis, ac Paruis.*

Quem videtis:imò quem non videtis,hic tantæ ſuperbię homo eſt,vt neſciatis quomodo tam exili in corpuſculo;tanti fumi volumina circummoueri poſſint, tantæ ſuperbiæ eſt homo, vt Gerionis de genere,aut Enceladi Sobolem, aut Centimanum Briareum cenſeretis, aut inter homines hominum hyperbolem,aut veſpertinam cadentis, ac morientis Solis vmbram, aut coloſſum Rhodium, aut Gigantomachiæ Colophonem, aut vnam ex Herculis columnam, cui poſſet inſcribi non plus vltrà, at quam longe baerratis:homũculus eſt,ſcilicet homo ſuo nomine breuior, homuli fragmentum, cui metiendo Geometricus digitus longè ſit immenſior: infuſis per feneſtram radijs grandiores pręteruolant minutiæ; propiùs ſi inſpicis, nec artus numerat, nec membra,vndè incipit vnum membrum eò deſinit: Rerum minimarum Phœnicem publicare poſſes, neſcis fuluus, an fuſcus, deformis an elegans ſit, tantillæ ſubſtantiæ neſcit color hærere; ſunt, qui illum vocant ſalillum animæ, Somnium hominum,indiculum humanæ ſpeciei, compendium naturæ, ſigillum hominis, Breuiarium membrorum, Ledęo ex ouo genitum, ridiculam ex Aeſopici Montis fętu ram; an tamen verum dicant neſcio; ſcio tamen, quod Pumilioni comparatus mus, mons eſt & lacertæ ouulum, prægrande ſcio eſſe Romæ Pantheon, eius genitrix concepto fœtu ſe peperiſſe non ſenſit, nam videre illum hominem natura voluit, & conata eſt,ſed vix veſtigia huius conatus inceperant videre cùm opus abſoluit, ac pro homine, hominis ſpecimẽ dedit: quid ſi nubat tantillus homo? certè ſi ſeruat illud præceptum, *ſi vis nubere, nube pari*. Atomum Atomo iunxerit Hymeneus, quod ſi maritus, & vxor filios gignant thalamumq́; fęcundent: duo homunculi non ranam, non culicem, non atomum, non punctum Mathematicũ, non culicis oculum, non huius oculi pupillam, non huius pupillæ pelliculam; ſed purum nihil progenerabunt: voluit forſan natura imitari Callichratem, qui ſudauit ad effirmandam eburneam formicam;vel Myrmecidem,qui quadrigam compoſuit ità exiguam, vt tegi poſſet ab alà muſcæ: tandem hunc homunculum accidens diceres, ſed non extenſum in ſubiecto; Materiam primam, ſed expoliatam quacunque forma; ens,ſed ſine ente,quod ſophorum claſſes ens dicunt rationis; hoc eſt intellectus figmentum; ignem

non

non timet, quia rarescere, nec densari potest, aërem magis pauebit, quia Pygmæis inimicæ volitant grues: An non huius homunculi, Arachnes carnifex esse potest? & eius filum laqueus: hunc si vis armatum pisciculi squamulam accipiet, pro clypeo; aristæ acumen, pro lancea; minutæ Annonæ indumentum, pro lorica: quid tam magna de modico dico, dicam breuiùs eum mensæ Analectum, auricularis digiti vngulum, arenæ scrupulum, Limæ ramentum, Demochrati Atomum, Mathematicum indiuiduum, Arithmeticum nihil: sed meliùs suo inuolutum fumo effluxisse dicerem in fumum, cui addi possit hoc lemma; *Quò sublimior, eò vanior*.

DESCRIPTIO HOMINIS COMPARATI *ad paruum mundum.*

Speculum pellucidum hominē diceres, in quo distinctè, laconicè, & in compendio mundus totus contemplatur, ob id Ethnici Sophi Mycrochosmum appellarunt, in quo, vt in magno mundo omnes rerum varietates, ac species illigantur: vndè naturæ maiestatem, miraculum miraculorum, ac animal adorandum à sapientissimis Aegyptiorum sacerdotibus fuisse appellatum constat. Expressum habet in capite Cęlum, nam si sphęricam efficit formam, qualem exprimit cælum, huic sphęræ non deest Intelligentia à qua moderetur, & moueatur; regitur nempè intellectu, quoque non videntur, non tanguntur: intelligit; Solem si quæris, aquilino intuitu rationem conspice, quæ super omnia emicat, si Lunam oculos conijce in mentem, in qua plura lucent, si sydera, oculos contemplare, nam si stellę occasuro soli roscidis parentant lacrymis, etiam nitidissima oculorum sydera, aliquando in lacrymas liquescunt, in hoc tamen differunt, quod si sydera interdiù extinguuntur, hæc noctù graui somno eclypsim patiuntur. Quatuor huius Mycrochosmi elementa sunt cholera, sanguis, pituita, atra bilis, quorum primus ignis, alter aëris, tertius aquæ, postremus terræ; habet imaginem: si in mediam aëris regionem elati terrarum vapores, ac aquarum alitus, condensantur, & in nubes constipantur, vel in niuea vellera ruunt, in homine adest cerebrum in quo aspirationes, ac vapores è visceribus sublati frigescunt, ac aliquando per oculos in lacrymarum pluuias soluuntur, si tria sunt genera viuentium; vegetantium, sensientium, intelligentium; etiam homo intelligit cum Angelis, sentit cum brutis,

nutritur

nutritur cum plantis, numerat ætate,illa quadripartita tempora, quibus distinguitur annus, habet in concreta corporis mole terram, in spiritu ventos,ac tempestates; in venis flumina; in ossibus saxa, & marmora, quæ omnia inuicem neruis alligantur,ne detur vacuum in rerum natura.

DESCRIPTIO HAERESIS MONSTRO COMPARATAE.

Portentosa amplius sua non iactet monstra Africa; superbientis hominis intellectus horribiliora progignit monstra, nempè heresim,quæ immanis veluti Scylla,aut obliqua Carybdis enormi naufragio Imperia, ac Regna absorbet: testem vocate Angliam, ac centum alias Prouincias, at quid dico hæresim Scyllam? imò hydram dixerim in noua semper capita repullulantem: & de Cerberi concepta spuma, ac de Medusæ tabo, de Megeræ postea furibundo sinu orta fuit, non in Lernęa, sed Lemana in lacuna educata, vnà cùm voracis Lamiæ ferino lacte, sacrilegi Promethei ebibit cruorem, crispatum crinem tortuosi colubri componunt, ore virus euomit ad mundi interitum, oculi ignem spirant, cuius fumus mentem obnubilat, lingua vel pungit, vel ferit sacras Indulgentias,vel Pontificis dignitatem,vel Virginis Maternitatem, vel Verbi consubstantialitatem:hæretici namque ineptè sunt dicaces, ac rancidas semper satyras spargunt in claues Ecclesiæ, & Petri Cathedram, aut habitus Religiosorum, ignemque Purgatorij.

DESCRIPTIO AVARITIAE COMPARATAE *cum varijs Feris,alijsque rebus.*

Inter vitiorum euitandam turbam, auaritia homines magis excruciat, quos tangit viros,si non vt Mydas, aureos facit, auri sitim tanta in illis excitat auiditate, & ardore, vt in Tantalos crudeli Methamorphosi vertat, in auro, argentoque mersos vsque ad mentum, & aurum magis atque magis sitientes; hæc homines facit perparcè parcos, illiberales, sordidos, rapaces; qui in acerbis etiam suorum funeribus exultent, & quasi crocitantes corui cadauera expectent,vt hæreditatem Aquilinis vngulis rapiant; obseruari ab omnibus putant, in quo pecuniam loco conditam habeant,propterea exoculatos homines vellent. Auaritia homines ad sydera erectos incuruat, & in fundum telluris intimæ mergit: vt aurum eruant non minori periculo quærendum, quam possidendum propter hoc vsque in infernum descendunt viuentes,

K vtinam

vtinam non deſcenderent etiam morientes? profundas rimantur aurifodinas in arcanioribus terræ viſceribus, vbi propè illum tormentorum locum ſuam credentes in auro reperire beatitudinem: crebrò à labente humo, vel cadente ſaxo ſepulti æternam experiuntur damnationem, nulli certè mortuo terra tam grauis eſt, quam iſtis, ſupra quos auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, & quibus cupiditas abſtulit Cælum, ac in imo infodit, vbi illud malum virus latitat, vbi viuunt, ſi tamen viuunt obliti dierum, ac naturæ melioris, à qua ſe auerterunt dum illò deſcendere auſi ſunt, vbi altam perpetuamque noctem experiuntur. Auaritia eſt veluti ſpatioſum mare, quod ex fluminum incremento non intumeſcit, quanquam tributaria habeat ſingula elementa, tamen nunquam ſatiatur, eſt veluti lupus auidis, ac ſiccis ſemper faucibus ad prædam anhelans, ſanguinem ſitiens: ipſa enim pauperum ſitiens ſanguinem, hoc eſt aurum barbarie inhumana exangues reddit populos: ipſa alas habet, vt quamcumque orbis in partem, ſe conferat, opes acquirat: oculos habet; & Argus eſt, vt aliena contempletur ad cupiditatem, oculos non habet, & talpa eſt, vt egenorum ærumnas aſpiciens ſubleuet: Briareus eſt centimanus, vt diuitias, quibuſcunque ex oris corrodat, ac rapiat: ſine manibus, vel ſaltem ſine dextera eſt: omnibus enim ſiniſtram oſtendit illiberalitatis: Tantalus eſt in aquis merſus, ſed magis canina ſiti exardens: ipſa diues non eſt, ſed egena, ac mendica licèt Peruanas poſſideat opes: Eritrei Margaritis repleta ſint eius ſcrinia, prægrandem adamantum meſſem ſuper duriores furentis Aquilonis ſcopulos lectam poſſideat; fœcundiores colles, vbi ridet Bacchus viuaciora Phalerna ſua in dolia fundant, camporum planities maturà Annonà horrea repleant; ipſa enim licèt hæc omnia poſſideat ſemper mendica pauperie excruciatur: adagium enim eſt, *Semper auarus eget*. Quid enim teſte Seneca eſt pauperies, quam deſiderium illius, quod nobis deficit. Exardeat quiſpiam auaritiæ flamma, & ſtatim ſedatur pudicitia, violatur fides, corrumpitur iuſtitia, corruit pietas, vulneratur modeſtia; fiet oculatus draco, ac ferus, vt aurea ſua tueatur poma; fiet aurifera Indorum formica in tutela ſuarum diuitiarum noctes dieſque coniungens; fiet vt africani alites illi, qui Gryphi nomine appellantur horribiles viſu, ac formidabiles pugna: exardeat quiſque auaritiæ flamma, & caſtimoniæ florem decerpendum dabit nullo alio pretio, quam

auro,

auro, vt ipsa Danae cuius in sinum aureo imbre descendit quondam Iuppiter. Patriam suam, ac matrem immani crimine lacerabit, vt quondam Romana Tarpeia: debitam Principi obedientiam negabit, vt quondam Marcus Crassus, qui deindè hostis in potestate, non vitam tantùm, verùm ipsum nomen reliquit, eius enim in ore infusum aurum cum daretur bibendum ingeminare sibi illas voces audiebat, *qui aurum sitiuit aurum bibat*. Auarities omni ferro nocentior ferit, omni gladio acutior penetrat, omni morbo crudelior perdit, illa insudat in agris; impallescit, in chartis; perorat in foris; ardet in campis bellicosa; pretium statuit in emporijs mercatrix; mare omnè flagellat viatrix. ò deplorandam hanc infelicem sortem! illa non parcit sanguini Pollinnestrem Thraciæ Regem testor, qui Polidorum Priami filium ipsius auri fulgore cæcatum miserandum in modum occidit; non parcit honori, ac gloriæ, testor Caligulam, qui aureos in aceruos, non remoto in loco; sed in aperto nudus incedere visus est; Non parcit parentibus testor Tulliam, quæ Romana in platea super frigidum occisi patris cadauer, quadrigà pertransijt etiam inuitis equis, tantum immane facinus perhorrescentibus, non parcit Religioni Xerxem, testor, qui plura monumenta, ac Fana dextrui iussit, ac solo æquari, vt auro, quod inibi sepultum esse suspicabatur potiretur, non parcit vitæ Mydam testor, cui solo tactu omnia reddebantur aurea, sicque nimio auro, fame perijt. O deplorandam infelicem auaritiei sortem! nam illa est, quæ omni Tygride infestior torquet, omni colubro immanior venenat, omni ense acutior penetrat; ipsa veluti Hedera arctè non radicibus, vt ipsa, sed manibus, quod possidet stringit, vsq; ad necem. O Auaritiem Hydropisim sitibundam! cuius ardentissimæ cupiditatis sitim, quocumque diuitiarum latice extinguere flumen non potest. O Auaritiem vitiorum Metropolim! ad quam scelera omnia coeunt, vt Orbem euertant! Graue est ipsius iugum nec caput extollere ad sydera, nec collum patitur; dura seruitus! quæ ministerio, diù noctùque requirit famulari, cogit ad nutum, inflammat cupiditate, congelat timore, mouet desiderio, frænat metu, exigua voluptate exhilarat, sed perpetuo cruciat dolore, qui auaritiæ in aspectu viuit, quemadmodum, qui solis in aspectu oculos diù retinuit alia non potest inspicere, nec valet, proponat aliquis illi beneficentiam, ipsa quantum insit bonum illargitate non

videt: accedat Teophrastus, & proponat ei, beneficentiam esse humanæ vitæ vinculum, ac tutamen; ipsa non percipiet: veniat Agesilaus Rex, & dicat, nihil esse beatius in regno, quam posse largiri, ipsa non intelliget. Veniat eloquentissimus Dirsi Regis Epirodarum legatus, & dicat malle se imperare aurum habentibus, quam habere aurum; ipsa non penetrabit. Veniat Philo Atheniensis, & dicat, se ante potentiam ponere largitatem, ipsa non audiet: Veniat Thebanus Crates, & dicat sapientiæ amore auream supellectilem in piscium escam proiecisse, hisce verbis i pessùm mala cupiditas, ego te perdo; ne tu me perdas, & ipsa non audiet: tandèm ipsis auaris dicam cum Abacuc cap.29. væh, qui congregas auaritiam malam domui tuæ, vt sit in excelso nidus eius, cogitasti confusionem domui tuæ; conscidisti populos multos; & peccauit anima tua. Nam vt cum Sallustio concludam, quæ malè domum ingrediuntur; minimè salutem habent. Certè Auaritiæ morbo non laborabat magnus Amedeus Dux Sabaudiæ, qui regias vestes in pauperes etiam diuisit, post totius auri, argentique largitionem; at quidni: sine vestibus solem dixisses hunc Heroem sine nubibus, ac vestibus nitidiorem, sanctitate, ac liberalitate; imò lilium puritatis affirmasses non alio depictum colore, quam niueo: ne mireris, si regias exuit vestes Athleta nobilis; luctaturus cum Tartaro, nudus incedit sine pondere; vt magis expeditè ad victoriam curreret; sic scimus Saulem Regio denudatum paludamento cepisse prophetam agere: scimus Achabum lacera indutum lacerna diuino spiritu fuisse animatum; vestiantur purpura Lacedemonij milites, coccinea induantur veste Cyri bellatores; Militia Christiana præstantiores inter duces numerat, quos nudos charitas facit; si tamen facit: Nudi enim non sunt appellandi illi, quos virtus heroico suo indumento ornat, non onerat.

Secunda species descriptionum est effictio, & fit per expressionem corporis, vt cum describitur forma alicuius personæ, & per hanc speciem descriptionum tali pacto Beati Caietani Thienæi effigiem, ac lineamenta propono.

BEATI CAIETANI THIENAEI IMAGINIS DESCRIPTIO.

Statura fuit, quæ super mediocritatem accederet, grato, ac pleno dignitatis aspectu, colore inter album, & aquilum, qualem cinere spargit Metança, ac pœnitentia pia carnificina extenuat;

erat

erat oculis subnigris, sed assiduo lachrymarum profluuio macie confectis; fronte exporrecta, ac lata; naso leniter incuruo; crine nigro, sed abtonso; capitis apex erat rotundus; labra subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata; barba inculte mentum, genasque obscuro tingebat colore; humeri teretes; manus patulæ; alter è pedibus naturali defectu obliquus, & licet dum viueret pingi se non permiserit omnibus in rebus humanæ gloriæ contemptor egregius; tamen sic delinearunt post obitum, qui viuum cognouerant, addentes eius aspectum ad pietatem intuentes prouocasse, & aliquando ad fletum.

Tertia descriptionum species fit à notatione, hoc est per descriptionem morum ab adiunctis, vt possem describere mores alicuius adolescentis, pietati, ac pœnitentiæ dediti.

POENITENTIS ADOLESCENTIS DESCRIPTIO.

Lilium inter spinas Metanœę in viridario prima fronte contemplandum obijcitur; hoc est simulacrum corporis: ne perhorrescas ad humanæ imaginis vmbram, qui totus sit pietate spiritus, carnis pondera non sentit; nescis an hominem diceres, an Angelum sine corpore, vtrumque si dixeris à vero non aberrabis, Angelus est humanis dumtaxat indutus spolijs, tenui vtitur victu; nunc tertia quoq; die herbarum succo se reficit; nunc panis tantum frustulo, ac sale, frigida membra sustentat; nunc summa inædia integras absorbet hebdomadas nulla prorsus re in stomachum immissa, aut instillata: lugentium oculorum lachrymæ eius sitim extingunt, melius tamen diceres effusas lachrymas, pretiosos vniones, ac gemmas, quibus corona texatur carnis triumphatori; subcineritius color faciem totumque corpus tingit; vt scias hisce sub cineribus magnum fouere sanctioris amoris ignem: qui totus æstuat charitate, igneus est, nisi in Metanœę cineres solui potest, vt hoc cinere de triplici triumphet hoste: etiam Iudith Hæbrearum mulierum gloria, vt de Olopherno triumpharet: cinere caput prius inspersit: Athleta nobilis luctaturus cum Tartaro, non alio linitus humore, quàm lachrymis, hoc voluit sordescere puluere, vt hostes vinceret: etiam ex Mantuano scimus, exiguo puluere furores suos deponere apum turmas.

- - - - - - - - - atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

Voluit igitur obijcere hos cineres Tartaro, quibus palmas legeret:

ret; informes asseres, ligni stipites, nuda humus, scrupulosa pauimenta, lectulum, fesso sternunt corpori; immani saxo in puluinum erecto; ne somnus ipse sine dolore esset, ac quies sine labore, vel cubat in humo, vt cominùs Tartarum debellet: eius carnes, meliùs dicam, pellem super ossa, cilicina vestis, cuius crines ministrant equi, tegit; non miror charitatis rosæ, ac puritatis lilia florescere, nesciunt meliùs, quam inter spinas; vt velociùs, ad libertatem, ac gloriam currat, calcaria etiam, ac aculeatas adhibet catenulas. Sexta quoque feria intortis, ac nodosis funiculis humeros cędit, vsque ad sanguinis effusionem; in gemitibus maiorem noctis partem absorbet, & tamen sunt ipsius deliciæ, hi amores, hæc suauissimæ lenocinia voluptatis, quia *fecisse hæc, olim meminisse iuuabit*.

ADOLESCENTIS DEPRAVATI DESCRIPTIO.

Aut Iuppiter Ganymedem non perdidit, aut Aquila eius ministra in Cęlum, illum non asportauit, multos enim habet præsens ætas Ganymedes, qui alio nesciunt æstuare igne, quam Veneris. Infelices Pyraustæ! ite excruciandi Promethei ardentiorē in ignē: non vos perdat Veneris flamma, vobis parcat: Ite alias ad flammas debilioris ignis deplumati Papyliones; ite infęlices infelicissimi ignis phœnices; alius rogus vos expectat; ite iam non vobis hæc flamma, vt quondam Seruio Regnum, sed seruitutem prædicit æternam; Tartari Salamandræ nescitis viuere, nisi in flammis impuræ Veneris; gehennæ ignis, vos expectat. Proh dolor! multos circumspicio adolescentes, qui ne dum Aetatis florem perdunt, verùm exoticis deliciarum tracti illecebris, animum à literis; ad ineptias, ac fucatas nugas conuertunt: alias non edíscunt chartas vertere, quam aleas, alias non animare musarum fistulas, quam Veneris tibias impudico carmine, videntur quidē Orphei, sed qui lyræ sono, non Euridicem Phlegethontheis extrahant ab oris, verùm, vt liberatæ innocentiæ pręcipitium aperiant; vtinam illis non deesset, vel Mecęnas, vel Augustus, qui ad tantas temperandas flammas, vel inter Ponti niues, vel inter Scythiæ glacies, illos proscriberent. Pedes non mouent, nisi inter choreas, vbi totum corpus modò in altum tollunt, nunc flexuoso tramite pedes lubricant in fugam, nunc numerosum gressum intercalant, nunc quinto quęque passum, alios inserunt modulos, nunc pedes decus satim quamcitissimè secant in saltum; iam denique vtrumque

tremula

tremula agitatione alternatim vibrant, labyrinthum creant; sed in quo illorum animæ captentur; iam quæ horum iuuenum curæ sint, quibus in studijs occupentur, quæsita pulchritudinis lenocinia, ac vestimentorum elaborata concinnitas satis declarant; vna enim Cæsaries, quantæ industriæ, quanti laboris opus? modò crispantur crines, sinuosis anfractibus serpentis in morem, modò æqualiter pectuntur, vt à ceruice, veluti à fonte pleno alueo in humeros fluant, nunc per aures depluunt in tam concinnos dependulos, ac flexuosos anfractus, vt noui labyrinthi Dedalum molitorem adfuisse credas: vnde homo, qui

Natura mas est, iam fæmina redditur arte:
Communis generis denique factus homo est.

Quarta describendi species, fit per hypotiposim, & est expressio, seù expositio alicuius rei, tàm propria, ac concinna verbis, & explicata per suas partes, vt potiùs oculis videri, quam verbis audiri videatur; hàc definitione nihil auditur clariùs, nihil mouet suauiùs, nihil iucundiùs delectat: vnde magni esse subsidij hanc descriptionem per hypotiposim, ne dum ad persuadendum, sed etiam ad delectandum censeo; sic Cic. per hypotiposim luxum Antonij exprimit. *Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pauimenta, vino, madebant parietes.* Diuus Ioan: Chrysostomus, crudelis viri tetram speciem per hypothiposim ante oculos nostros subijcit, Hom. 19. in Matth. *Fingite videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex vtroque humero dracones pro manibus dependeant, cuius os cauernæ instar pateat, ex lingua venenosus fons scaturiat: venter omni fornace sit ardentior, faciem canis, ac lupi simul faciem ostendat, nec hominis vocem emittat, sed in insuaue quoddam, atque terribile murmur erumpat, sanguinem sitiat, aliena morte viuat.* Ego nonnullas hic subijcio descriptiones per hypothiposim.

LVXVS IN EPVLIS

Descriptio per Hypothiposim.

Quia mortales sumus, nisi aliena morte viuimus, ac depascimur: ad vnum explendum ventrem expoliantur feris syluæ, viduatur piscibus mare, depopulatum videmus auibus aërem, confunduntur tempora, anniq́ue ætates; vt omnes eodem tempore accedant tributariæ palmari ventri. Autumnus adest suis fructibus, hyems niuium pluuijs fructus demergit, verna temperies odo-

odoribus, ac florum nimbis omnia explet; si æstiuæ tempestatis calores queritis, edulia ministrant; aqua rosacea per mensam, ac pauimentum funditur; vbi adsunt omnium pomorum genera, quà Saccaro confecta, quà aureo condita melle, quà recentia: hyems suis niuibus Bacchi calorem obtemperat, desudat ars, defatigatur natura, pro palmari ventre: fumant fumibula, feruent tripedales, succenduntur fornaces, coquorum ancillarumque sudant turbæ: natant penuaria vino, fatiscunt horrea frumento, dilaceratur immani aratro terræ facies, scinditur mare, percurrũtur opacæ syluæ, expoliantur flumina piscibus, & quod priùs ludebat in aqua; modo natat in saccharo, venationes deinde Regiæ vni incumbunt mensæ: Sacchareos Leones, Apros, Ceruos, Lepores, Saccharei insectantur canes, imò propugnacula ex solido fabricata saccharo surgunt in mensis; vbi ad numerum non sine palestra, & veluti in triumpho fercula deferuntur, idest pulpula, capita vitulorum vna cum pedibus elixa, Gallinarum, Columbarumque pulli, Pernices, Phasiani, Turtures, Coturnices, Turdi, Ficedulæ, omnia studiosè, ac diuersimodè cocta: Insuper galli indici saccharo incocti; aspergine rosacea madefacti, vt inseruiant ad pascendum omnes sensus, visum, odoratum, & gustum, quæ omnia vix tacta abeunt vndè venerant, post quam oculis diù seruierint; ambigeres an hoc esset ad scenam, vel cęnam accedere: scenæ certè mutantur sæpè, Bacchus viuacioribus suis falernis conuiuarum labra sæpè humectat: demùm post carnes, accedunt pisces, in primis soleæ frixæ; piscis spata recens; menæ recenter frixæ; crustatulæ, omni piscium genere expletæ: & cum ipsis piscibus accedunt fructus, ac placentæ nucleis, amigdalis, ac sacharo confectis, quas vulgò Martios panes vocamus, *Hoc quoque deerat elementis rerum, vt fierent tributaria voluptatis.*

CARDVELIS CANTANTIS
Descriptio per Hypotbiposim.

Oculorum acies in auiculam conijcite, tam benè depictam in capite, in alis, ac cauda, vt Iridem, idest admirationis partum efficiat; carduelis est, sic vocata à carduis, quos auidè comedit, illa est ex auium grege nemorum, ac vmbrarum amasia, quæ Lucanas ante horas, nascenti Soli genethliacum pangit, quis in tam exili corpusculo, tam grandem vocem claram, ac suauem, ac iucundam inclusit? perpetuò cantu, cum die ipsas noctes iungit,

nunc

nunc ad sonitum riuulorum murmurantium lingulæ nodulos suauiter soluit, nunc inter florum amœnam scenam personam agit, ac suo cantu fabulam recitat, non sine adstantium admiratione, nunc opaca sub arbore musicæ melos moderatur, nunc continuò spiritu trahit in longũ, nũc cãtus variatur in flexũ, nunc distinguitur heterogeneo sonitu, nunc vocem scindit, nunc inopinatè desinit, interdùm & ipsa sibi placens tacita murmurat: inter armonicæ artis concentus, nihil est tam abstrusum, tam difficile; quod non exprimat illa; vocem edit illa modò plenam, modò grauem, modò acutam, modò variam; quid plura? ea omnia imitatur iucundè auicula, quę in exquisitis tibiarum instrumentis hominum ingenium excogitauit.

BOMBYCIS

Descriptio per Hypothiposim.

Bombyx laboriosus opifex nendis Regum vestibus nascitur in Cò insula, vt tradunt plures Authores. O Naturæ audacis opus! quis non miretur, ex tenui semine, vermiculus nascitur, tàm exilis, tàm minutus, vt lyncęam oculorum aciem fugiat, vix inter entia ens secernitur? Est illi fęminarum sinus auspicium vitæ, nempè fouetur pectore, & complexus arcetur illecebra etiam nondum nata; illaqueatur fęminarum animus curà, antequam serica fila, ac stamina ducantur, iam studio inhæret, & inseritur cordi, quod nondum est sericum. O Naturæ prodigium! quod vix inspicitur in semine, paulatim in erucam grandescit, nunc ex eruca fit bombylicus, nunc vermiculus eò pretiosior, quò de genere fœtidi gregis; arundinea in domo varijs compacta ginestris, alijsque arborum ramusculis excipitur, quasi serici auri artifici, nisi verna temperies domum construat, vbi nigræ mori frondibus saginatus, incipit ex suis visceribus, diductos filorum tractus effundere, magna elargiens liberalitate opes, quas suo fouebat in sinu, quasi voluerit nos edocere natura, etiam in vermiculis tantam inesse charitatem; vt ad aliena vestienda membra, non paueant, proprijs visceribus se expoliare, diductis filis ouatã figurã net, nescires, an carcerem, an domicil ũ sibi construat, certè pretiosius est domicilium illo, in quod est Castor, & Pollux, & eorum soror Helena fuerunt excepti: quis crederet? præcipuam hominis partem vermiculus occupat, ac nondum funerati vltrò exuberamus in vermes, vtinam sub tanto magistro bonæ disceremus

mortis lectionem; in hac domuncula delitescit bombyx, quasi puellus in vtero matris confixus: absoluto demùm opificio; quadragesimum post diem ex bombyce, vermium phœnix alatus papilio subnascitur, vt discamus, *solitudinem amare si volitare Palladis per campos intendimus*.

LVDI PILAE

Descriptio per Hypothiposim.

Facta iuuenum sortitione, quorum vultus nondùm tingens lanugo vestiebat, in ampla, ac præalta aula crebris sub tecto patula fenestris, quibus tota illuminatur aula, quæ varia habet sup a hominis altitudinem, tabulata, decliuis tecti formam efficientia inclinatis constructa asseribus ad substentandam, ac remorandam pilam; cuius medium signat cordaceum rete, paulo è terra surgens, vt pilæ errores expiscetur; & pila quasi torturæ excruciata, hisce inuoluta in funibus sine motu errorem confiteatur suum; in hac igitur aula iuuenes bifariam auctorati in partem, super tabulatum proijciunt pilam, vt dum labitur, & adhuc in aëre ab altero ex iuuenibus reticulo pulsa, quò venerat, quamcitissimè redeat, at repulsa ab alio vltrò, citroque comeat, qui excruciata pila, mox parietes vehementi pulsu percutit, nunc resiliens, ab alio excipitur, accepta reijcitur, nunc in solum lapsa ingenti saltu resultat; modò inflexa voluitur in latus, modò versa manu retorquetur in transuersum, insecta deprimitur, ac propè humum currit; sed vix humum inclinata, nouo ictu neruosior surgit de Antei fabula triumphans, nunc interiectum radens rete in angulum illatebratur; semper itque, reditque, nusquam hærens incerta semper lege errans, donec si manus alicuius fallat, vel in corporis motu, nec expeditus, nec agilis non repercutiat; in erroris loco signetur contrariæ partis victoria.

MALI LIMONII, EIVSQVE COGNATORVM.

Descriptio per Hypotbiposim.

Mala limonia, quæ sterilem fecundant hyemem, tellurem amant, fecundã, mitem; cęlum, aërem temperatum; maturescunt hyeme, non sine cæterarũ arborũ inuidia, ac simul in flores erumpunt, ne amplius censeatur vnica Aarcnica virgula, quæ Ver cum Autumno confundens, flores, ac fructus vno tempore producebat: hæc poma, quæ mihi præstantissima semper sunt visa, in triplicem speciem suam diuidunt familiam; scilicet in malamedica,

dica, limonia, & citrea: malamedica, quorum folia aculeata spinosis fastigijs hispidantur, aureo tinguntur in facie colore, grassitie, ac forma, cum malis cotoneis similitudinem ducunt, sunt aspero quidam sapore, sed inimico venenis; odoris tamen fragrantia, quadam suauitate animum recreat, ac nares mulcet: ab Etruria aurancia etiam vocantur; vt nomen ipsum eam sonet affinitatem, quæ, cum auro metallorum principe, ac hisce optimis, ac vtilibus malis consurgit; eius cortex vnguibus facilè auellitur, ex parte interiori argenti tenui colorem seruat, vt omnes diuitias auri, argentique videatur possidere, hic cortex si crudus comedatur, myrrhæ amaritudinem diffundit, si decoctus grati est saporis; intùs sacculos nutrit, gratissimi succi plenos, modò acidi, modò dulcis, modò mixti. Malum limonium flaui itidem coloris, medicis est grandius, modò oualem, modò sphœricam efficit figuram, eius cortex vngu bùs magis resistit, nec facilè auellitur; nobiliorem tamen habet saporem, ac suauiorem diffundit fragrantiam; vt ea tantum causâ integra seruentur; vt cubicula grato odore redoleant. Tandèm accedunt mala Citrea flaui itidem coloris, sed magis ad albedinem vergentis, quæ limonijs aliquando grandiora, aliquando paruiora; præter odorem suauissimum succum habent aduersus pestilentes morbos efficacissimum.

INFESTI COMETAE.

Descriptio per Hypothiposim.

Etiam Cęlum cothurnatas suas recitat tragędias: luctuosis, ac funeratis vndique vestitur velis, vbi criniti exeunt cometæ igniuomis cęsariebus, non amplius Fortunæ, verùm excidij symbolum ferentes, sic Anno 1664. varij propè cygnū visi sunt Cometæ, qui si nō mortē mundi, saltem plurium principum neces indicarunt, nec minū cygni clariores non audiuntur; nisi propè funera: Certè infesti Cometæ Cęlorum sunt minæ, vel minaces splendores, vel igniuomæ Cæli linguæ, quibus licèt tacitè, semper tamen funera Principum loquuntur. Ex Cometis alius est rubrus, sed sine luce, alius albus, sed cum lumine, alius flauus, sed infuscatus fumo: ad hos perhorrescunt Reges, quasi regali potiùs sanguine, quam terrestri quadam exhalatione depascantur, si aliquando sanguineum induunt colorem, est quia sanguinem sitiunt, si radijs vndique veluti spiculis armātur Bellonæ in campis horridas prædicunt strages; si tristes, ac minabundi in vertice comam ferocitèr

attollunt, aliquod procreat in terra infortunium, si fastigiosi ensis formã efficiunt, vulnera, interneciones arguũt. quoties enim Cometa præfulsit; toties fuere consequutæ, tanquam pedissequæ, ac ancillaturæ calamitates: tam variam induit formam Cometa, vt nocentium stellarum Protheum faceres, nam quæ spectra? quas laruas? quæ monstra? oculis non obijcit? nunc crinitus se comit, nunc caudam extendit, non vt aduletur, sed vt minetur, nunc seueritatem præferens barbatus incedit, nunc se protendit in trabem, non Atlantis more, vt Orbem sustentet, sed vt accenso quodam ariete euertat, modò circinnatur in coronam, non vt coronas pluat in terras, nouis imperijs, verùm, vt aureas Regum Coronas suis flammis fundat, ac perdat; modò ardescit in tædam ad applicandum magnorum principum rogo fatalem ignem, *discite hinc quanti terroris futura ira diuini Iudicis erit, quando tantæ est formidini inflammati Cometæ exardens sanguineus vultus.*

ELEGANTIS IVVENIS
Descriptio per Hypothiposim.

Hic Iuuenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius, vlla priorum,
Aetas humanum, nec videt illud opus.
Intonsi crines longa ceruice fluebant,
Spirabat syrio myrrhea rore coma.
Candor erat qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt cum contexunt amaranthis alba puellæ,
Lilia, & Autumno candida mala rubent.

EXPENSIO SEXTA.

De Forma.

MAxime ab ethnicis commendantur formæ, vtpote, quidquid pretiosi inest gemmis, quidquid mirabilis lucet in Planetis, quidquid Elegantiæ assurgit in globo terræ, quidquid amænitatis luxuriat inter flores, quidquid iucunditatis ridet inter prata, quidquid cristallinæ vndæ mouetur per riuulorum meandros, à formis exoriri fatentur. vnde Trismegistus ait: verbum diuinum est, cuius scintillæ quædam, sunt formæ omnes, quæ re-

bus

bus inspersæ eis essentiam, ac vim quandam mirificam impertiuntur, quæ si oculis paterent, quantam sui excitarent admirationem? verùm quæ nostræ cognitionis est tenuitas, vix vnam ex infinitis nouimus, vndè vmbras quasdam & vestigia formarum consectari cogimur. Aristotiles definit formam, *quod sit ea, quæ dat esse rei, per quam res est id, quod est, & ab vno quoque discriminatur*, vt forma ligni, auri, ferri &c. quæ formæ coarctant materiam primam ad tale esse physicum.

Forma trifariàm diuiditur, alia dicitur essẽtialis, alia accidentalis, tertia artificialis; forma essentialis est illa, quę dat esse essentiale rei, & sine qua res non est; sic forma essentialis hominis, est anima rationalis, sine qua homo non esset homo; sic forma essentialis, & substantialis auri est ipsum aurum, quo materia prima determinatur ad esse in tali composito auri: materia enim prima, quæ priùs induebatur v. c. forma lignea, modo expoliatur tali forma, & induit formam essentialem ignis, quando lignum comburitur, & modo se exuit forma essentiali ignis, & induit formam cineris, vel fumi, vt nos docet experientia; vnde patet materiam primam esse indiferentem, & formam essentialem esse illam; quæ dat esse rei, & per quam res est id, quod est, & ab vnoquoque discriminatur iuxtà alatam definitionem Aristotelis, & ab hac forma Pythagoras apud Ouid. 15. Metam. arguit hominem debere mortem contemnere, eo quia eius forma essentialis, nempè anima rationalis sit immortalis, ait:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid styga? quid tenebras? quid nomina vana timetis?
Morte carent animæ, semperque priore relicta,
Sede nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.

Et Trismegistus à forma essentiali, sic amplificat cap. 11. dic animæ tuæ illò abire, & citiùs ibit: præcipe Oceanum tranare celerrimè, illic erit, non vt è loco in locum delata, sed vt ibi iam existens: Iube in Cęlum euolet, alis non egebit, nec vllum inueniet obstaculum, non solis ardorem, non Aethera, non Cæli volutationem, non corpora astrorum, quia omnia peruadens ad extremam naturam peruolat; imò & extra eam.

A forma essentiali, ac substantiali efficacia hauriuntur argumenta, sic à forma possum arguere hominis immortalitatem, & præstantiam. Homo est præditus anima rationali, quæ similitudinem

dicit

dicit cum ipso Deo, ac Angelis, quæ anima naturam habet spiritualem ab omni materiei massa segregatam, quæ accidentia corporea, non substentat, nec ab ipsis aliquid valet pati. Ergo ipse homo immortalitate est præditus, nec corruptioni subiacet, vt corpus ex limo terræ concretum, si enim totius corruptionis radix, ac origo habetur à materia, & ipsa anima sit ab hac origine corruptionis segregata, iam sequitur animam esse immortalem.

Forma accidentalis est quædam species, quæ ad naturam rei non pertinet, & sine qua res perfecta potest intelligi; sic albedo accidit parieti, sine qua adhùc esset paries; nigredo accidit homini, sine qua adhùc esset homo, virtus accidit animo, eique inhæret, quia sine virtute potest intelligi animus; ex his autem formis accidentalibus, aliæ dicuntur intrinsecæ, vt sunt virtutes, quibus sapiens efficitur homo, aliæ extrinsecæ, & adiacentes, vt sunt vestes, per quas dicuntur vestiti homines, à forma accidentali, sic potest argui: posita causa formali, ponitur effectus, & sublata causa formali, tollitur effectus, sed lilium habet albedinem, quæ morum innocentiam exprimit, quæ niuiam puritatem indicat, quæ vnionum pretiosum candorem includit, ergo lilium erit album, erit symbolum puritatis, imago innocentiæ. Insuper à forma extrinseca politę possunt fieri amplificationes, sed Diuus Ambrosius Hexam. lib. 1. cap. 8. incompositam terram amplificat, per formam extrinsecam; *Terra erat incomposita, quia nuda gignentium, nec læta segetibus, nec vmbrosa superciliis montium, nec odora floribus, nec grata viretis. meritò incomposita, quæ ornatibus indigebat; ostendere enim voluit Deus, quod nec mundus haberet gratiam, nisi eum vario cultu operator ornasset. Cælum ipsum intextum nubibus horrorem oculis, mæstitiam animis, excitare consueuit. Terra imbribus madefacta fastidio est, Maria procellis turbata, quos non incutiunt metus?* à forma accidentali verò sic describo rosam. Ad primos Solis radios purpuram induens regina florum Rosa ex fęcundis parentis terræ visceribus consurgit ad aëris vsuram, tam recens, tam rubicunda, ac odoribus fragrans, ac tam auro diues, vt asseras non mentitum Iouem; verùm splendidissimum Solem in aureas radiorum pluuias suum descendisse in sinum; hæc in plures diffunditur ramos, quasi florum Briareus plura extendat brachia aliorum florum fęcũdam sobolem è terræ

carce-

carceribus eruitura; patulis sentibus obarmatur, decet enim ad Reginæ custodiam multis inuigilare armis; virides per gyrum spargunțur surculi, clypeos efficientes, quos regina florum meridianis Solis radijs obijciat, eius folia proferuntur in oblungum, quasi rotunda; tactu aspera; distinguente medium neruiculo; ac venulis ab eo fluentibus: intersecta per marginem, quasi serrata virescit amæniùs: tenuiores indè, ac virides surculi sparguntur, quorum internodia crebrò teretes sæpiunt spinæ. In surculorum fastigijs protuberat folliculus Rosæ, qui primò conclusus, ac inter virides fascias illigatus, adhuc pubescens, quasi lacte nutritus laciniosis pingitur alabastris: mox satis fartus folliculus intumescens; rupta vagina aureas foliorum diuitias incipit aperire; demùm vernantium foliorum, & colorum pompa patefacta Rosa innocenter superbit, eiusque ambitio super cæteros eminet flores, ad vltimum verò operis coronamentum in sphœram, ac per gyrum staminum consurgit capillamentum aureis terminatum apicibus, vt nos doceret natura; auro esse coronandum, post huius vitæ tramitem, quem pœnitentiæ spinæ circumsępiunt, vel spinosum esse aurum; vel aurum spinas progignere, quibus lacerentur virtutes, pungatur conscientia.

Tertia demùm forma, quæ dicitur artificialis, & externa est forma quædam, vel figura, quæ ab artifice alicui rei materiali imprimitur, sic forma artificialis æneæ statuæ, erit ipsa statuæ figura oblunga in corpore, secata in cruribus, sparsa in brachijs, rotunda in capite; à figura artificiali potest quecunque res artificialis amplificari, ac describi; sic à forma artificiali describo Horologium rotatum, in quo ingenia magis triumpharunt. Ex horologijs alia Solis, alia cursus Lunæ definire, alia quauis hora homines è somno excitare, ac lumen accendere, alia statuas accedentes, & recedentes singulis ictibus referre, est res iam trita; certè in horologijs magis quam in quocumque alio opere fabrefacto humanum eminet ingenium. Vnde quandoquidem temporis mensuram, cuius vnica auarities laudabilis est, ab horologijs debemus recognoscere. Horologium igitur magni artificij instrumentum, è ferro & chalybe conflatur, in huiusmodi horologij machinamento, dentatæ rotæ mutuo commissæ, ac confederatæ, grauibus suspensæ ponderibus in Orbem, sensim sine sensu voluuntur; quapropter melius diceres triumphantis quadrigæ rotas, & horologium

gium currum, in quo in triumphum ducatur tempus. Ferrea in medio est columella subtili hærens filo, ac lamina transuersa in capite, globisque plumbeis, hinc atque illinc ex ea pendentibus librata, totius moderatrix temporis, hinc subiectos orbes incidit binisq; ligulis in eorum dentes, quasi frenis ex interuallo iniectis, rotas in orbem raptas moderatur, ac descripta ad numerum mora, in singula penè momenta sustinet, & relaxat: pendent hinc inde funes cum suis ponderibus, vt torturæ tormentis etiam damnetur tempus, ac Solis cursum, ac singulas horas, imò etiam horarum quadrantes non sine magno clamore, ac gemitu, confiteatur. Simili modo amplifico, ac describo Archimedis Spheram. In quos non erumpit conatus, ac ausus ars peritissima naturæ imitatrix? in Cœlum conscendit, nec Icarios expauet lapsus, propè Solem volitat, nec eclypsim patitur, non vt fictus Prometheus, ignem in Terras asportet, verùm cælum ipsum. Cælum nempè fuit volubilis illa Archimedis sphœra tot in circulos minores, ac maiores, & maximos diuisa, tot intersecta lineis: vt labyrinthum potiùs, quam Cælum videretur efficere, in ipsa mirum dictu! minutissima quæque sydera in suo, quasi defixa epiciclo cernebãtur: transuersa zona veluti fascia, illam cingebat diuersis verticibus, ac axe intercurrente, vnde tam benè artificiosa machinula æquas diuidebatur in partes, vt singulæ suo ordine suisque in locis cernerentur; illæ labentis Cæli circuitus æmulabantur; istæ errantium syderum cursum ferebant, aliæ pares, & impares Celi motus exprimebant. Demùm, quem tanta orbiculorum multitudo, tanta epiciclorum congeries, tanta copia planetarum errantium sine errore, admiratione non implet?

EXPENSIO SEPTIMA.

De Fine.

NVllum reperitur agens in rerum natura, quantumuis rationis expers, cuius operationibus non sit finis aliquis præfixus à natura, omne enim agens agit propter finem, & eius operationes non possunt non tendere in finem aliquem, sic lapis semper grauitat, ac tendit deorsum, vt destinatum finem nempè centrum terræ acquirat, leuiora corpora eodem impetu sursum eleuantur,

sic

ſic flamma nullo patitur obſtaculo detineri vſque dum ſuam attingat ſphœram, & ex his patet, duplicem eſſe finem, formalem vnum, materialem alterum, ad quem omnia inſtinctu naturali tendunt, ac aſpirant: finis autem formalis definitur, quòd ſit id, cuius gratia agens operatur, vt finis hominis eſt beatitudo, Auari cumulare gazas: Finis materialis eſt id, ad quod inſtinctu naturali omnia aſpirant. Finis inter cauſas vltimam occupat ſedem in executione, ſed in intentione eſt prior cęteris cauſis: ſicut enim ex radice caudex, rami, folia, flores, fructuſque erumpunt, ſic finis fons eſt, à quo omnes actiones emanant. Omnia enim agentia naturalia agunt ſemper propter finem ſiuè materialem, ſiuè formalem, & in eum ſuas dirigunt actiones.

Quia finis non poteſt adipiſci ſine medio euenit, quod medium ſuam exhauriat bonitatem, vel malitiam ab ipſo fine: ſic ſi honeſta eſt ſcientia, honeſtum etiam erit illius ſtudium, quod eſt ipſius medium: eſt tamen animaduertendum, quod ad hoc vt medium deſumat ſuam moralitatem à fine debet per ſe ordinari ad talem finem: nam ſi quis furetur ad pauperis inopiam ſubleuandam, quamquam finis, ſcilicet ſubleuare pauperis inopiam ſit res bona, tamen furari eſt res mala, quia furtum per ſe, ac de natura ſua, non tendit in hunc finem: quapropter ſi volumus attingere aliquem finem, ea debemus amplecti media, quæ per ſe nos ducant ad talem finem: Sic ſi intendimus frui pace, fœdus cum hoſtibus ineundum eſt; ſi volumus adipiſci ſcientias, inſudandum eſt, ac impalleſcendum chartis, otiumque fugiendum: à negatione cauſæ finalis præcipuè negatur effectus, ablata enim cauſa finali, remouetur effectus, eo quia omne agens agat propter finem, ceſſante fine, ceſſat & ipſa actio; ſic ſi probo nullum finem excitaſſe hominem ad tale perpetrandum facinus, non egeſtatem, non gloriæ ſitim, non auiditatem cumulandi opes, non vindictam pro iniuria accepta, facilè probatum remanet effectum, ſeù facinus non fuiſſe perpetratum à tali homine: ſic à fine Horatius lib. 4. ait; *Puluis, & vmbra ſumus*; eo quia poſt Libithinæ fatum, caro noſtra in inanem vertatur cinerem, & homo inter Manes ſepulchrari ſordeſcat puluere; & alibi *pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres*. Ouid. 10. Metam. ait;

Serius, aut citius ſedem properamus ad vnam
Tendimus hùc omnes, hæc eſt domus vltima rerum.

M Mar-

Martialis lib. 1. à fine non fine sale, sic ait;

Frange toros, pete vina: rosas cape, tingere nardo,
Ipse iubet mortis, te meminisse Deus.

Moralis Seneca epist 24. *Non repentè in mortem incidimus, sed minutatim procedimus, quotidiè morimur, quotidiè enim dimittitur aliqua pars vitæ; hunc etiam, quem agimus diem cum morte partimur;* & epist. 1. *In hoc certè fallimur, quod mortem prospicimus, magna pars eius iam præterijt, quidquid ætatis retro est, mors tenet,* & de breuitate vitæ, *quod grauissimum natura fecit communè fecit, vt crudelitatem fati consolaretur æqualitas.* Diuus Greg. 12. moral. *Ad hoc autem conditor noster, latere nos voluit finem nostrum, diemque mortis nostræ esse incognitum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, & quanto, quis sit feruentior in operatione, tanto sit incertus in uocatione,* & paulò inferius, *qui considerat, qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione, atque indè in oculis sui conditoris viuet;* & illi qui recusabat mori, ac tristabatur: sic liniebatur dolor;

Plorabas cum natus eras: fuit ergo voluptas
Nulla tibi nasci: cur dolet ergo mori?

A fine facile suadetur virtus, & argumentari à fine plurimùm valet, in quacunque suasione: à fine tali pacto possem aliquem adolescentem hortari ad onus subeundum religionis, ac mundi perniciosas voluptates despiciendas, quæ veluti blandulæ Syrenulæ alliciunt ad necem. Contemplare adolescens, cui te fini Deus conditor in hanc lucem emiserit: inspice causam, ob quam ex humo fuisti homo, nonne vt è cæno ad Cælum ascenderes? ad quid te rationis radijs illustrauit, mentis præsidijs, memoriæ subsidijs, oculo sagaci, erecto corpore, nonne vt Cęlum inspiceres, despiceres terram? nonne vt cognosceres mundi illecebras, voluptatum blanditias, vitæ commoda, tanquam fumum cito euanescere, & lachrymas in oculis hæreditario iure dumtaxat relinquere? nonne vt cognosceres Veneris illicia, veluti rubicundum florem statim marcescere? relinquendo dumos, quibus æternum crucietur conscientia? nonne vt cognosceres, nil aliud esse aurũ, quam auram vanissimam, quæ confestim currit, ac euanescit, forsan, vt nos doceret, non ob aliam causam esse pallidum, nisi quia in agonia positum semper lucet, sed in procinctu extinguendi suos splendores? nonne vt cognosceres corpus ex limo concretum,

tum, statim dissolui, & fieri horrorem sepulchrorum, escam vermium, scintinam spurcitiæ, timorem hominum, & quod antea nutriebatur rarioribus escis, quas ministrabant elementa omnia, modò euadere cibum animarculorum? ad quid ad imaginem suæ maiestatis, nempè immortalem, ratione colustratum te creauit? certè non vt tanquam sues circææ in hara voluteris, & luculento voluptatum cæno te conspurces: non vt veluti formica, aut talpa terram fodias, non vt tamquam Tygris, aut Leo, vel Vrsus, sanguine rictus ingluuiei ventrẽ impleas voluptatum quisquilijs, sed vt huius vitæ posthabita vanitate immortale decus ambias, æternam gloriam aspires, vbi vita absque varietate semper fruitur; Ausonius à fine arguit etiam ipsa saxa, ac marmora esse mortalia, videns quædam monumenta varijs insculpta mortuorum nominibus, & temporis prolixitate, quasi deletis piè cecinit;

Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, nominibusque venit;

Et Poëta Italus Vrbes ipsas arguit mortales:

Moiono le Città, moion' i Regni;
Copre i fasti, e le pompe, arena, & herba;
E l'huom d'esser mortal par, che si sdegni?

EXPENSIO OCTAVA.

De Definitione.

DEfinitio, quæ apud Latinos finitio dici solet, ab agrorum finibus nomen desumit, sicut enim fines sunt termini agrorum, agrosque circumscribunt, ac taliter circumsepiunt, vt nihil horum extra illos reperiatur: ita definitio, sua definita vndequaque comprehendit, vt nullum sit. quod definitione non cingatur. Definitio suis splendoribus, ac dignitate, ea omnia, quæ huius Orbis ambitu diuina mens complexa est, paucissimis quibusdam verbis depingere, ac illustrare conatur: dicitur igitur definitio à termino, seù fine, ex quo illa duo oriuntur verba *Meum, Tuum*, omnis litigij, quæstionis, ac malorum radix, quæ verba si tollerentur, iterum sine vllo Saturni ortu, consurgeret aurea ætas: sacros fuisse apud veteres lapides terminales scimus, non alia de causa, quam vt agrum ab agro discriminantes contentionum, ac

rixarum omnium radicem amputarent, vndè Ouid. in Terminum cecinit;

Tu populos, Vrbesque, & regna ingentia finis;
Omnis erit sine te litigiosus ager.

Definitio igitur est oratio explicans naturam rei, per gradus Metaphysicos, scilicet per genus, & differentiam, vt est hæc definitio, homo est *animal rationale*, dicitur oratio, quia necessariò plures debet includere dictiones, cum genus, & differentia non possint explicari per vnicam dictionem, vndè conuenit cum cæteris orationibus, quia includit plura verba; dicitur explicans essentiam rei, quia debet semper explicare rem per suam naturam, ac essentiam; ad differentiam illarum propositionum, quæ naturam rei nequaquam explicant. Increbuit iam apud omnes solemnis illa diuisio definitionis, in definitionem rei, & nominis; seù vt loquuntur Dialectici in definitionem rei significantis, & significatæ. Definitio nominis illa est, quæ essentiam nominis exprimit, quæ definitio ab Aristotile, *interpretatio nominis appellatur:* vt si quis peteret, quid est hoc nomen homo; Respondendum est per definitionem nominis, nempè est vox ad libitum posita ad significandum animal rationale, & ad hanc nominis definitionem reducuntur orationes ille, quæ dilucidant nominis originem, vt cum dicitur Dux est, qui alios ducit, Rex, qui alios regit; Reducuntur etiam definitiones, quæ habentur ab effectibus. Arnobius 1. contra Gent. *Quid est aliud irasci, quam insanire, quam furere, quam in vltionis libidinem ferre, & in alterius doloris crucem, efferati pectoris bacchatione versari?*

Definitio rei vulgò diuiditur in essentialem, descriptiuam, & causalem: Rhetores verò alias etiam assignant definitiones, vt sunt, quæ fiunt per effectus, per accidentia, per similitudinem, & cætera huiusmodi.

Definitio essentialis est, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi dumtaxat sunt essentialia, ac sine illis res esse nō potest; & hæc definitio essentialis verba superflua reijcit, & solùm amplectitur ea, quæ sunt necessaria ad explicandam essentiam rei, illud autem dicitur superfluum, ac redundans, quo sublato id quod reliquum est explicat essentiam rei, ac perspicuam facit rem definitam: si definires hominem *animal rationale, risibile, disciplinarum capax*, hæc definitio peccaret in redundantia verborum, quia si

demis

demis illa verba *risibile*, *ac disciplinarum capax*, adhuc remanet explicata essentia hominis per hoc, quod sit *animal rationale*, deinde hæc definitio non est facienda per pauciora, sed per necessaria: tandem Lydius lapis, qui bonam ostendit definitionem, is erit, nempè si definitionem, ità cum eo, quod definitur conuertas, vt ex definitione res, & ex re definitio consequatur, sed vsus huius definitionis sit apud Dialecticos; nos verò qui redundantia verborum loquimur, simul cum essentia rei, etiam alias proprietates explicamus.

Quî Rhetores sequuntur potiùs definitiones descriptiuas, quæ explicant essentiam definiti, etiam per ea, quæ sunt extra eius essentiam, vt sunt proprietates, & passiones; vt esset hæc definitio *homo est animal rationis particeps, disciplinæ capax, bipes, sagax, acutum, & memor, plenum consilij*. Seneca non magis orationis, quam Vitæ Censor: hominem definit epist. 76. *Omnia bona sua constant vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas ceruũ, quæris quare fortia dorso sint iumenta, quia eorum hic vnus est vsus sarcinam ferre: in cane sagacitas prima est si inuestigare debet feras, cursus si consequi, audacia si mordere, & inuadere: id in quocunque optimum est, cui nascitur. In homine optimum quid est? ratio: hæc antecellit animalia, Deos consequitur, ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est; cætera illi cum animalibus satis communia sunt: valet? & Leones: formosus est? & Pauones: velox est? & Equi: corpus habet? & Arbores: habet impetum, & motum voluntarium? etiam Bestiæ.*

DEFINITIO PER CAVSAS.

Definitio caussalis est illa, quæ rei naturam per suas causas explicat, siuè intrinsecas, siuè extrinsecas, intrinsecæ sunt causa formalis, & materialis, quæ rem intrinsecè componunt. Extrinsecæ sunt causa efficiens, & finalis ab omnibus hisce causis effectus profluunt, à causa efficiente sic possem vocem definire, *vox est sonitus editus ab anima ictu aëris respiratione atracti, qui per organa vocis allidat*: quia Cadmus inuentor fuit litterarum, ideò à causa efficienti Ausonius Gallus easdem litteras definit, *Cadmi nigellas filias*. Exemplum definitionis traditæ per causam finalem in hac hominis definitione habetur; *est animal rationale creatum à Deo, vt æterna felicitate, Deoque clare viso fruatur*: alij etiam hisce definitionibus addunt definitionem traditam per causam exemplarem,

plarem, vt quærenti, quid sit homo, sic per causam exemplarem respondetur; *est animal rationale factum ad imaginem, & similitudinem Dei;* & à Trismegisto homo dicitur imago Diuinæ Maiestatis: per causas intrinsecas sic definitur homo: exemplum causæ materialis, *homo est animal ex humo, ac luto concretum, ac mortali corpore conflatum.* Exemplum causæ formalis, *homo est animal habens animam immortalem, qua omnia cognoscit, cælorum adyta penetrat*, vnde Rhetor per omnia causarum genera, vt latior illi pateat amplificandi campus potest idem subiectum definire, vt *homo est animal rationale, à Deo conditum propter beatitudinem, mortali corpore conflatum, ex anima tamen immortali.*

DEFINITIO A NVMERATIONE PARTIVM.

Optima etiam definiendi, seù describendi ratio, in rebus maximè corporeis habetur à partium enumeratione, tanta enim obscuritate rerum formas vallauit natura, vt per partium enumerationē dumtaxat in rerum cognitionem deuenire possimus, ab hoc modo definiendi amænè, ac lepidè Claudianus describit sphæram Archimedis Siculi subiectis carminibus;

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera vitro
Risit, & ad superos talia verba dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur arte labor.
Iura Poli, rerumque fidem, legesque Deorum,
Ecce Syracusius, transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris,
Et circum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mente redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sydera mente regit.

Vides Claudianum in hac definitione dilucidè, ac enucleatè expressisse sphœræ partes Vitrum, Solem, Lunam, Stellas, motus Epiciclorum, Intelligentias motrices &c.

DEFINITIO PER EFFECTVS.

Redundans amplificationis fons, & aptissimus ad orationes texendas est definitio per effectus: sunt igitur benè considerandi effectus alicuius causæ definiendæ, & in definitione sunt omnes recensendi; sit exemplum definio peccatum per effectus, priùs

con-

considero, quid sint effectus peccati in anima; certè præcipuus effectus est mors animæ, & omne malum, quod inest animæ. Igitur sub hoc genere mali possum sumere omnes species mali, & dicere peccatum esse radicem mortis, pestem animæ, gladium, venenum, ensem, conscientiæ labem, vitæ perniciē, honoris maculam, virtutum naufragium, gloriæ præcipitium, dolorum artificem, suppliciorum originem, latronem gratiæ, furem habituum supernaturalium; quæ omnia sunt effectus peccati in homine. Diuus Ambros. per effectus lib. de El. & Ieiu. cap. 16. sic definit ebrietatem; *Ebrietas fomentum est libidinis, incentiuum insaniæ, venenum sapientiæ: hac sensus hominum mutat, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinientes: siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam, vini calore inflāmati cohibere se nequeunt; & in bestiales libidines excitantur, vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt: hinc frenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens: semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium: hinc etiam vanæ imagines, instabilis gressus, frequens in terram lapsus.* In hac tamen definitione per effectus est cauendum, ne leues effectuum minutiæ nimia subtili disquirantur diligentia.

DEFINITIO PER SIMILITVDINEM.

Hic modus definiendi aliquod subiectum per similitudinem, à multis reijcitur, quia censent esse omninò inutilem ad rem probandam, obijciunt enim hoc dilemma, vel definiunt Rhetores ipsius naturam rei, per id quod res in se est, vel per id, quod res non est; scilicet per similitudinem, si secundum, nempe si ignorant naturam rei quomodo illam poterunt definire; certè hi tales cæcum percurrunt callem. Respondemus tamen obiectioni, primæ notæ homines præcipuè Diuum Ambr., Ioannem Chris., Tullium, & centum alios adhibuisse hunc modum definiendi per similitudinem, quem ad delectandum animos, alliciendum, ac persuadendum maximi fatentur esse subsidij: vnde quamquam cognoscatur natura rei, tamen ad mulcendos animos, ac ad rem maximè amplificandam optimum censeo hunc definiendi modum per similitudinem.

Definita igitur re priùs per id quod est, nempè per naturam rei, per exquisita similitudinum ornamenta erit eadem res enucleanda,

cleanda, quæ definitio si benè consideretur nihil aliud est, quam amęna, ac vaga amplificatio per metaphoras conglobatas: sic si definio Veneris voluptatem priùs considerabo, quid sit proprietas huius illicij, ac voluptatis, ipsa enim allicit incautos Iuuenes, sed peccati veneno illorum animas enecat, vnde iam habeo quod voluptas alliciat, placeat, & enecet; modò accipio hæc duo verba, *allicere, & occidere, vel enecare*, veluti supremum genus: deinde considerabo in rerum natura ea omnia, quæ simul placent, & damnum aliquod afferunt, quæ sunt species huius supremi generis, & tali pacto definiam voluptatem per similitudinem. Voluptas est hilaris pœna, crudele gaudium, blanda mors, syrenula blandula, quæ allicit ad necem, Sodomiticum pomum pulchrum visu, sed veneno repletum, Hyrcaniæ Syluæ Panthera, quæ odoris suauitate allicit, sed vnguibus, ac famelico dente dilaniat; Anguis Cleopatræ, qui amplectitur, vt enecet; adblandiens simia, quæ suos fœtus ob amorem, sic strictè in pectore amplectitur, donec suffocet, Sardonica herba, quæ mori cogit, sed in risu ridicula verò mors, non ridenda tamen, sed deploranda! rosa, sed inter vepres; flos, sed inter colubros, aqua, sed salsa, si aspicit basiliscus est, si loquitur gladium adhibet pro lingua; si luget crocodili sunt lachrymæ; si palpat Arpiæ sunt manus: Voluptas est melleum fel, dulce abscinthium, tormentum gratum: Voluptatem diceres Eliogabali floreum nimbum ad necem paratum; Cyrcęum poculum, christallinum Babillonicæ Meretricis craterem, Socratis cicutam gemmeo in ciato, perbreuem piraustæ lætitiam circa lumen, pretiosum Neronis hamum, auream Cyri Regis catenam ad seruitutem; Zeusis vetulam, quæ ad risum prouocat, sed simul occidit; Fabij Cincinnati poculum, in quo lac bibens mortem per pilum subibit; voluptates sunt Lęthei fluminis, vndę fauces refrigerantes, sed simùl cæli memoriam abripientes; Arcadis lacus latices, qui viros vertunt in lupos; Neronis smaragdus, qui crudelitates faciebat suaues; Papauera, quæ claudunt oculos Cęlo; Iris, sed in coloribus falax; auis Indica, quæ teste Plinio cantu suauissimo enecat; Sodomiticæ flammæ, quæ Loth mulierem in salis statuam commutarunt. Vide modo quam latissimus pateat amplificandi campus per definitionem à similitudine: sed quia numquam meliùs loquimur, quam cum pessimè de voluptate loquimur; ideò iterum stringendus est

in

in ipsam calamus, ne ipsa nos stringat, voluptas citò transit, possum iterum definire voluptatem per similitudinem sumendo in rerum natura ea omnia, quæ citò euanescunt, & sic dicam: voluptatem esse rosam, sed statim emarcescentem, quæ solum seruat spinas, quibus sauciatur, ac feritur anima; voluptas est fumus celeriter euanescens, sed qui lachrymas ab oculis eliciat; flumen altis de montium iugis fluens; vibrata ab arcu sagitta, quæ ictu oculi vulnerat, ac occidit, fulmen à tonante Ioue emissum;

DEFINITIO PER AFFIRMATIONEM, *& Negationem.*

Maximi est subsidij ipsis amplificationibus, ac orationibus definitio per Negationem, & Affirmationem; per Negationem Orator dicit id, quod res non est, deinde rei naturam enucleat, explicando id, quod res est per Affirmationem; sicut enim contraria, contrarijs magis elucescunt, sic post quam reiecimus id, quod res non est, lucidiori ornatu resplendet id, quod res est, & hoc definiendi modo, passim vtitur August. quærenti enim quid sit Deus responderi potest. Primò, per negationem non esse ens creatum, non pulchrum corpus, non splendidum, non corporeũ, non figuratũ, non corpus gracile, sed esse ens spirituale increatum, independens, qui omnia regit, omnia gubernat, immensitate omnia replet, operatione cum omnibus causis secũdis simultaneo concursu agit; & Maximus Tyrius in Oratione de Deo, sic per negationem, & affirmationem ait, *Pulchrum dicam Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum?* nõ quidem pulchrũ, sed vnde pulchritudo emanat, nec pulchrum pratum, sed vnde & prata, & amnes, & mare, & celum ipsum pulchritudinem decerpunt. Inde enim pulchritudo omnis veluti ex perenni, purissimoque fonte ad nos vsque prolabitur. Sic potes definire religiosum; Is religiosus est, non quem monachalis vestis cooperit, non quem exigua cellula recipit, non quem alij comitantur religiosi, non quẽ venerantur populi, non quem claustra religionis excipiunt: sed quem virtutes exornant, charitas inflammat, patientia constantem facit, humilitas submittit, quem imperfectiones non corrumpunt, regularum violatio non temerat. Sic eodem pacto definire potes Christianum. Non est Christianus, qui licèt lustralibus aquis ablutus, in Ecclesiæ gremio educatus, varijs imbutus documentis, postea Christi vestigia non sequitur, Dei præcepta non seruat,

Ecclesiam contemnit, cędem, incendia, rapinas optat, virtutes violat, infelix pyrausta nescit volitare, nisi per Veneris flammas, qui tabernas, & popinas frequentat, qui alio non replet caput, quam Bacchi fumo; ac ideò mentem scelerum inuentricem, linguam conuicijs, ac periurijs infamem, manum innocenti sanguine cruentatam, ac intemperatos oculos gerat: sed Christi fidelis est, qui Christi vestigia sequitur, eleëmosynis egestatem erigit, sacra frequentat Templa, crebrò sua expiat peccata confessario, cęlesti Eucharistiæ epulo nutritur, pœnitentijs carnem macerat, ac tàm Diuina, quàm Ecclesiastica præcepta seruat.

NOVVS MODVS DEFINIENDI SVBIECTVM

Sub alto genère, & per species inferiores.

Latissimum aperit, ac deliciosum amplificandi theatrum præsens modus definiendi subiectum per species inferiores alicuius generis: certè nihil est facundiùs, fecundiùs nihil, nil suauiùs, nil dulciùs, nil grauiùs, nil ad mulcendas aures, ac suadendos animos aptiùs in re literaria, ac in oratoria facultate inueniri potest; hic enim modus definiendi subiectum clarè exprimit; orationem, non phaleratis nugis, sed graui discursu succi pleno exornat, & corroborat.

Primò considerandum erit subiectum definiendum; ac præcipuè omnes illius circumstantiæ, virtutes, ac vitia debent excogitari, v. c. sumatur voluptas definienda; possum considerare voluptatem, vel quatenus est res breuis à circumstantia temporis, vel quatenus est res moraliter mala, quia dissona rectæ regulæ rationis, vel quatenus est causa mali, nempè mortis animæ, ac æternorum cruciatuum; his tribus modis, satis prolixè potest definiri eadem voluptas. Sed sumatur definienda, quatenus est res moraliter mala: certè ipsa non est omne malum, sed malum in specie; aliud enim est malum homicidium, aliud furtum, & aliud ipsa voluptas; omnes tamen species mali comprehenduntur sub genere mali in communi; ideò quotiescunque definitur aliquod subiectum in particulari sumatur supremum genus, vt si definitur voluptas, quæ est malum particulare, seù in specie: sumatur *malum* in genere, seù in communi, deindè considerentur omnes species, quæ sub hoc genere comprehenduntur, omnes istę species conueniunt inuicem analogicè, quia partim conueniunt, partim disconueniunt, igitur pro definitione voluptatis sumatur

omne

omne id, quod est malum, quod comprehenditur sub genere mali, & applicetur voluptati hoc modo. *Voluptas est venenum hominis, pestis spiritus, mors animæ, cecitas intellectus, naufragium castitatis, sepulchrum religionis, vulnus cordis, tempestas temperatiæ, gladius patientiæ, carnificina virtutum, patibulum animi, sepulchrum dealbatum, sensitiuum cadauer, horrendum bellum in quo pluries vulneratur anima, dira mors, domesticus fur, qui dum blanditur odit, & enecat; insania voluntaria, turpitudo morum, corruptela sapientiæ, vitæ dedecus, mentis eclypsis, scientiarum monumentum, blanda mors, Libithinæ falx, non alium sitiens humorem, quam sanguinem, Tartari sagitta, Charontis cymbula Stigios inter latices naufragium patiens, basiliscus, qui solo intuitu vulnerat.*

Si vis definire voluptatem quatenus causat, & est principium mortis, & mali animæ sumendum est aliud genus, nempè *principium*, deinde inuestigandæ sunt omnes species, quæ militant sub genere principij, vt sunt pueritia in homine, ver circa annum, radix in arbore, semen in plantis, artifex in opere, fons in flumine, causa in effectu, flos in fructu, exordium in oratione, aurora in die, in partibus hominis caput, in nocte occasus solis, in tempestate ventus, & sic de cæteris, ab omnibus officinis. Nunc vt definiatur voluptas, est sumendum vnum principium pro altero tali pacto. *Voluptas est principium omni mali, radix cruciatuum, occasio mortis, origo morbi, fons febris, artifex dolorum, caput hostium, exordium luctus, author lachrymarum, faber penarum, semen discordiarum, flos sed qui in alium non erumpit fructum, nisi mortis, occasus æternæ caliginis; Ver sed quod aperit æterni ignis ardentem æstatem, boreas æterni naufragij, aurora lamentationum, phosphorus cruciatuum, & fons æterni supplicij;* qui vides quam latissimus pateat, ac vagus ab hac definitione amplificandi campus.

EXPENSIO NONA.

De Causa Efficiente.

AGgredior enucleandam causam efficientem, quę inter causas extrinsecas principem occupat sedem: hæc diuiditur in

causam efficientem, increatam, & creatam; seù in primam, & secundam; causa increata, & prima, est illa à qua omnes dependent effectus, & ipsa à nulla alia causa dependet, vt est Deus solus: causa creata & secunda est à qua effectus aliqui dependent, & ipsa dependet à causa prima; rursus hæc causa secunda subdiuiditur in physicam, & moralem; physica illa dicitur à qua effectus aliqui per verum influxum realem dependent; moralis est ea, quæ physicè non attingit effectum; sed est causa, vel occasio, vel origo, vt alia causa effectum attingat, vt qui mandat aliquem occidere, dicitur causa moralis occisionis; quia est causa cur homicida occidat.

Causam primam independentem ab alia, & à qua omnes causæ fluunt, etiam Ethnici philosophi solo lumine naturali cognouerunt; sic Platonem in extremis vitæ dixisse, causa causarum miserere mei, est res nota, cognouerunt etiam, quòd ab æterno extitit hæc causa efficiens prima, nempè Deus opifex vniuersi, quem in amorem transformatum finxerunt poëtę, hic enim in primo nascentis mundi vestibulo rudem, ac inertem rerum congeriem, quam chaos antiqui nominarunt digessit, in partes diuisit, ac in huiusmodi machinam exornauit: quod autem per istud chaos nihil aliud Orpheus, & Hesiodus intellexerint, quam vetustissimum limum ex terra, & aqua, ex quo aceruo res omnes eductæ sunt, testatur Athenagoras; vndè homo dicitur ab humo, & Seneca hanc primam causam in Proęmio rerum naturalium, sic definit. *Vis illum*, loquendo de Deo, *fatum vocare? non errabis hic est, ex quo suspensa sunt omnia, ex quo omnes causæ causarum diffluunt, vis illum prouidentiam dicere rectè dices? est enim, cuius consilio, huic mundo prouidetur, vt in concursus eat, vt actus suos explicet: vis illum naturam vocare: non peccabis, est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. vis demum scire quid sit Deus? mens vniuersi quod vides totum, quod non vides totum, si solus est; omnia opus suum & extra, & intra tenet: nostri melior pars animus est, in illo nulla pars extra animum, totus ratio est.* Orthodoxa tamen fides nom na Fati, Fortunæ explosit, est enim vnus Deus æternus, immensus, independens; Ab hác causa prima graues possunt educi amplificationes hoc modo. Deus est à quo commoda, quibus vtimur; lucem, qua fruimur; spiritum, quem ducimus, veluti riuuli à perenni emanant fonte: ipse miserias subleuat,

imbe-

imbecillitatem erigit, afflictiones solatur, acerbitates temperat: ipse cęlum efficit, sine colore ceruleum, sine igne lucidum, sine fatigatione motum; ipse astra accendit scintillantia, aureum creauit Solem, qui de Iouis fabula triumphans in aureas radiorum pluuias in sinum non mentitæ Danaë, verùm fęcundæ telluris descenderet communem lustraturus, ac fęcundaturus matrem: argenteis ornauit Lunam splendoribus, vt nocturnos mitigaret horrores: ipse terram, vndequaque florum, frugum, herbarum, arborumque stabili varietate conuestitam, in globum condensauit: Ipse fontium perennitates, liquores amnium pellucidos, riuulorum latices, ripas viridissimo semper habitu distinctas, abstrusas aurifodinas, lapidûm, gemmarumque fulgores, omnium bestiarum genera, tùm cicura, tùm syluestria, auium modulantium turmas, & hominem ratione prædıtum, ac omnibus hisce præsidentem efformauit.

Causa efficiens secunda sic definitur ab Aristotele, *est principium per se, à quo primo est, aut fit mutatio*, dicitur *principium* loco generis, conuenit enim cum cæteris causis, quæ sunt principia, dicitur *à quo primo est, & fit mutatio* loco differentiæ, per istas enim particulas differt à quacunque alia causa, & primo à materiali, quia effectus non dicitur fieri à materia, sed ex materia. Particula enim *à quo* denotat principium extrinsecum, est enim idem, ac *vndè* denotans terminum extrinsecum, neque enim locus, vbi ego sum dicitur vnde sum, sed locus à quo discedo, dicitur vndè venio; differt etiam à causa formali, quia effectus non est à forma, sed per formam, per quam compositum constituitur, differt etiam à fine, quia nec effectus dicitur esse à fine, sed propter finem.

A causa efficiente creata, & secunda neruosæ etiam efficiuntur amplificationes, sic à causa efficiente, quam dico esse, à qua aliquod producitur & fit, amplificarem religionem. Illa est religio radix virtutum, occasio sanctitatis, origo sapientiæ, illa enim Ecclesiæ sanctos, infidelibus euangelicos Concionatores, scholis Doctores, exedris Diuini Verbi Præcones, larga elargitur manu, illa rudes homines expolit, hæresim profligat, virtutum semina iacit, sapientiæ splendores emittit, vitia excidit, errores dissipat, sanam doctrinam docet, ipsa Episcopos, ac Prælatos in regendis Ecclesijs, Cardinales, ac Pontifices, educauit: quis demum ager

tam

tam fertilem, ac fecundam messem suppeditat? in ipsa omnium virtutum flores vernant, vsq; ad delicium Cæli, ipsa scientiarum nectare iuuenes educat, humiles vsq; ad sydera euehit: ipsa est propugnaculum Ecclesiæ, eius hostes interimens.

EXPENSIO DECIMA

De Specie.

SPecies multipliciter potest sumi. Primò, pro quacunque eleganti, ac pulchra forma, quo sensu sumitur pro pulchritudine vniuscuiusque: vnde dicitur *speciosus forma præ filijs hominum*, & illud aliud, *præstantem speciem dignam esse imperio*. Secundò, sumitur pro specie logica generi correlatiua, & hæc species subdiuiditur à logicis in speciem specialissimam, & in subalternam. Species specialissima est, quæ solum prædicatur de pluribus differentibus numero, vt homo de Petro, Paulo &c. subalterna est, quæ rigorosè est genus; sed participat etiam rationem speciei, quatenus subijcitur generi superiori, vt irrationalitas est species subalterna, quia ponitur sub genere animalis, quod dicitur tàm de rationali, quàm de irrationali. Insuper est genus ratione inferiorum, quia dicitur de pluribus differentibus specie, vt de Leone, Cane.

Species tamen prout pertinet, & spectat ad nostram facultatem oratoriam, definitur, quod sit illa, quæ ponitur sub assignato genere, genus autem sumitur determinatè, non enim quælibet species sub quolibet collocatur genere; sed sub determinato, vt albedo sub colore, triangulum sub figura, charitas sub virtute, furtum sub vitio.

Argumenta à specie varia possunt educi. Primò, quod negatur de singulis speciebus debet etiam negari de genere, tali pacto: nec furtum, nec homicidium, nec impudicitia honestatem inuoluunt, ergo neque vitium honestatem potest inuoluere. Secundò, ab aliqua specie potest fieri trāsitus ad genus, vt fortitudo est virtus, sed virtus est excolenda, ergo etiam fortitudo erit excolenda, vel è cōtra, à genere ad speciem vitium est fugiendum; furtum est vitiū; ergo fugiendum. Tertiò, quod dicitur de aliqua tantùm specie, dicitur etiam ex parte de genere, dicitur de patientia, quæ sit

con-

constans in aduersis, in procellis contrariæ fortunæ, veluti scopulus pulsus ab vndis, non fractus, sed semper idem, sic de virtute in genere potest enunciari esse constantem in aduersis: non tamen vniuersè concluditur, quia virtus, ne dum amplectitur patientiã, verùm aliàs virtutes, Charitatem, Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam. Aduerte tamen, quod de specie ad genus raró debet fieri transitus, & tantùm provt res postulat: pleriqúe enim oratores, qui prolixos amant verborum circuitus, statim de Hypotesi se in Thesym conijciunt, vt, sermo est de fortitudine statim magno argumentorum choragio virtutem in genere commendant, & in illius laudes se prolixè diffundunt, ex quo euenit, vt ante quam ad Hypothesim redeant in verborum ambages, totum dicendi tempus terant, qui hos quærunt verborum circuitus similes illis fiunt, qui domum suam cùm primùm ingredi possint per longas tamen viarum ambages iter affectant.

Hic locus à specie tractari etiam solet per affirmationem, & per formarum congeriem, dicẽdo omnes virtutum, vel vitiorum species, quibus subiectum est præditum, quæ dicendi forma vim habet, ac neruum ad mouendos animos. *Volo ostendere aliquem* esse virtute prȩditum, dico; virtuosus est, quia in eo veluti proprio in solio sedent virtutes omnes; in eo eminet iustitia, fit neruosior fortitudo, innocentior candicat puritas, vsq; ad ignis purpuram feruet Charitas, demissæ redolent humilitatis violæ; virtuosus est, quia prudentia pollet, eleëmosynas in sinum paupertatis diffundens, verus videtur Iupiter, qui in aureas descendat pluuias, in opem paupertatis, fidem operibus comprobat, spem fouet &c. vel per negationem virtuosus est; quia non fuco, non ebrietate, non rapinis, non incendijs, non mendacijs, non sordidis libidinibus, alijsque vitijs est obnoxius. Vel per inductionem pallida mors æquo pulsat pede, pauperum tabernas regumque turres: ergo libithina falce obarmata omnia demetit, Imperatorum diademata, Regum sceptra, Principum diuitias, dignitatum purpuras, pauperum ligones, atque adeò omnis homo cuiusque sit conditionis vitæ pensum debet, quam citissimè morti soluere.

EXPEN-

EXPENSIO VNDECIMA.

De Exemplo.

DEfinitur exemplum a Cic. 2. rhet. *Quod sit facti alicuius, vel dicti, cum certi authoris nomine expositio*; ex hac definitione reijcitur, quod dicunt alij exemplum diuidentes, in verum, & fictum; exempla enim rigorosè illa dicuntur, quæ ex hominum vita expressa sunt; quare fabulæ non exempla, sed Apologi debent vocari; in narrandis exemplis prolixitas euitetur, vt etiam longa exemplorum series, quia exemplorum narratio, minus habet ingenij, ac iucunditatis: deinde si exempla trita, ac peruagata fuerint tædium potiùs pariunt. Sunt igitur adhibenda exempla non trita, ex authoribus idoneis deprompta, ac recensiora, quando enim exemplorum series ponitur cum sale, & ad rem, efficax est, ad persuadendum, ac flectendum animum; ait enim Diuus Hieronymus: *Sicut, qui laborant oculis spongias, ac vestitum cyanæo colore, seù pannos tenentes, frequenter in eos intueantur, ex eo colore aliquod capiunt morbi leuamen: sic si hominis clementissimi, & humanissimi imaginem præ oculis habeas, & in hac assiduè oculos defigas; etiam si millies abundet ira mentis oculum perturbãs; ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem, puramque animi tranquillitatem.*

Ab exemplis, sic possem probare honestatem solitudinis, ac terræ culturæ. An fæcundæ telluris cultura erit contemnenda, quia vilis? nequaquam; illa non minus hortorum amænitates floribus, quam animos virtutibus exornat: nonne Cato Censorinus optimè de cultura meritus pari modo irrigauit sudore campos, ac atramento papyrum? Principem non dedecet hortorum cultura; Lucullum testor, qui post Asiaticas victorias, quasi laurus, ac quercus non essent satis, floream etiam quæsiuit coronam, domesticos inter hortos; Syllam voco, qui abiecta Dictatura senescere voluit inter roseam anni iuuentam: Scipionem appello magnum illum Africæ domitorem, qui apud Linternum in excolenda tellure ætatem consumpsit, vt Annorum grauitatem, florum mitigaret suauitate; testor Marcum Valerium Coruinum, qui septies Consul inter sua prædia voluit postea immorari, ac immori: voco Antoninum Pium, Claudium, ac Theodosium

Impe-

Imperatores, qui Cæsareo vomere agrum coluere, eodem tempore, quo ab Vrbe, & Orbe colebantur.

EXPENSIO DVODECIMA.

De Maiori, Minori, & Pari.

EFficaciora argumenta, quæ oratoria texantur in facultate, exhauriuntur, à Maiori, Minori, & Pari, argumentum à maiori ad minus, fit cum adducitur exemplum alicuius Superioris, vel Principis, siuè Regis, siuè alicuius, qui dignitate excedat illum, cui persuademus aliquid; ab exemplo maioris v.c. volo probare decere Christianum parcere hosti, ac iniurias condonare, vt hoc probem à maiori ad minus, adducam exemplum Augusti, qui verus Cai Cæsaris hæres Cinnam in hostium Castris repertum, non solum seruauit, sed quod ad charitatis cumulum accessit, integrum ei patrimonium restituit; dicens, *Olim tibi hosti, à Cinna, nunc insidiatori, ac parricidæ do veniam: iam hinc inter nos amicitia incohetur:* adducam etiam exemplum Vespasiani, qui Vitellij hostis filiam matrimonio splendidissimè locauit, ingenitæ charitatis, suęque clementiæ magis, quam paternæ iniuriæ memor. Phocion etiam Atheniensis Phoci filius, multis rebus pro Patria, domi, militiæque ab eo præclarè gestis inimicorum inuidia, mori cogitur, cumq; in carcerem deiectus, & cum cicutam esset bibiturus, porrigente ipsi calicem lictore, atque amici accedentes rogarent, quid præcepti filio relinqueret. *hoc vnum,* inquit, *ei mando, ne huius iniuriæ memor, malum pro malo Atheniensibus reddat; imò hostes meos varijs excipiat beneficijs:* Si igitur tanta exceperunt charitate inimicos Ethnici principes nullam expectantes mercedem de tali condonatione; quanto magis Christi fidelis, educatus in sinu Ecclesiæ, fartus sanctioribus doctrinis, qui in omnibus Christi exempla debet sequi, qui dicente Apostolo nobis reliquit exempla, vt sequamur vestigia eius, quanto magis inquam debet Christianus inimicum diligere: si hoc fecerunt Ethnici sine vllo Numinis præcepto, solo naturæ lumine ducti, quanto magis hoc agendum est à Christi fidele, cui à Christo pręcipitur inimicorum dilectio? Si Principes inquam Ethnici non modò hostes non occidêre, non modò illis pepercêre, sed va-

rijs exceperunt beneficijs, quanto magis Christiani Equites, vel humilioris notæ homines debent hostes diligere.

A minori ad maius exhauritur argumentum, cùm adducitur exemplum alicuius, viribus inferioris, qui id fecit, quod alij viribus neruosiores, expauent agere: vt Diua Agnes ætate puellula, sexu fragilis, corpore exilis, membris delicatior, enses non timuit, mucrones non exhorruit, carnificem non expauit; imò illudebat Agnetis Virginitati, cæteris petulantior, ex ministris, & tortoribus vnus, qui media colluctatione à dæmone occiditur, depræcata nihilominus puellula Deum, extincto militi vitam restituit; vt magis augeretur carnificum turba, magisque excruciaretur: quantò magis tu ætate maturus, sexu virilis, viribus robustior, debes carnificum tyrannidem contemnere: artus dilaniandos tradere; cruorem fundere, pro orthodoxæ fidei veritate? quæ tunc candicat magis, cum humectatur sanguine, quid enim perdimus cum vita mortali, nisi fumum citò euanescentem? florem, qui ictu oculi emarcescit? vmbram, quæ illicò fugit? vnde meritò Philosophus ille ad omnem hominis occursum irrumpebat in lachrymas: dolebat enim, quia nihil sani esset in vita, nihil in homine non caducum, & fluxum: quid dicam de Xerxe, qui in Abidenis campis, cum maiorem Orientis partem haberet oculis subiectam, sub signis stantem, testatus est se non felicitatem suam flere; sed hominum sortem, qui cum innumeri essent, ad breue tempus, aut fato, aut alia vi essent omninò perituri; si est tam fragilis, ac miserijs irretita vita præsens, hanc non expauescat Christianus miles, imò arma capescat, Turchas fuget, vt ipsa nece vitam inueniat, longè feliciorem. Diuus Ambr. argumento deducto, à minori ad maius, corporum probat resurrectionem, hoc est ex seminibus plantarum, post frigidam hyemis tempestatem, è terra verno tempore surgentibus. *Cum occata, & mortua fuerint semina soli genitalis succus subnascitur, qui, quodam calore vitali, spiritum quemdam herbæ viridantis exhalat; deinde teneram spicæ adolescentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibusdam, natura, tanquam sedula mater includit, ne pubescentem glacies adurat, aspera defendat à niue; mox adultam, ne pluuia decutiat, ne aura dispergat, ne auium minorum morsus interimat, vallo aristarum sepire consueuit, quid igitur miraris si homines, quos acceperit terra restituat? cum seminum corpora, quacumque susceperit, viuificet,*

ficet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat; define igitur dubitare, quod depositum generis humani terra fides reddat, qua commendata sibi semina, vsurario quodam fænore multiplicata restituit.

A Pari ducuntur argumenta, cùm ostendimus nobis licere, eadem facere, quæ alij nobis similes æqualibus viribus fecere; sic à pari vsus est Seneca epis. 44. *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles, nec reÿcit quemquam Philosophia, nec eligit: omnibus luces, Patritius, Socrates non fuit, cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem non excepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes, te posse fieri parem?* Sic à Pari probo omnes homines morti esse subiectos; quia testante Horatio pallida mors ęquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumque turres: quis grauior, ac sapientior Catone? & tandem in cineres abijt: Quis sublimior Alexandro? & tandem inter sepulchrorum humilia eius ossa conduntur; Quis felicior Policrate? & tandem aureum suæ vitæ filum Parca obtruncauit; Quis copiosior Cręso? & tandem hunc nudum terra excepit; Quis sapientior Socrate? Quis elegantior Demosthene? Quis militarior Scipione? Quis sublimior Pompeo? Quis beatior Sylla? Quis copiosior Crasso? eloquentior Tullio? & tandem omnes in inanem abiere cinerem; quia pallida mors ęquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De Loco à Toto.

Diuina sapientia, quæ omnia perpolitè, ac concinnè creauit; ità ad rerum integritatem partium colligauit congeries, vt è diuersarum partium nexibus, totum esse rei coalescat: vnde expectata cognitione partium, totius notitiam facili quodam tramite attingimus; quapropter inter inuentionum fontes, hic locus *à toto* plurimum obtinet splendoris, & non modò ad rem dignoscendam, verùm etiam vberiori stylo pertexendam, non mediocre confert adiumentum: definiri enim potest totum, quod sit quidam nexus plurium partium; itàvt partes sint membra totius, eo prorsus modo, quo caput, brachia, humeri, pectus sunt membra corporis humani, & hę dicuntur partes physicæ totius

 physici;

physici; datur enim aliud totum morale, quod suas diuiditur in partes morales, vt virtus, est totum morale, cuius partes morales, sunt Prudentia, Temperantia, Iustitia, Fortitudo, & ceteræ virtutes. Hic locus, sicuti latum amęnumq; aperit ad amplificandum campum, ità est accuratè tractandus: Ad amplificationes valet, cùm à toto descendimus ad partes, vt data hac propositione *In extrema iudicij die, ignis totum vorabit mundum*; hæc propositio potest diffusè amplificari, si recenseantur partes huius totius, nempè mundi: tali pacto lugubre fatum in cineres abibit Europa, consumabuntur Asiæ immensitates, peribunt Africæ regiones, euanescent Americæ grauidi auro, argentoque montes; in luctu, in squalore iacebit deliciosa Italia; corruent Hispaniarum Regna, nec vllus aderit Atlas suppositurus humeros; Franciæ lilia non amplius argenteũ, sed cinereũ induent colorẽ; lachrymabundi oculi prolapsa Regna prospicient, ac magnarum Vrbiũ puluerem, omne quod nunc stat, amplius nõ stabit, omnia sternet dies illa, hic supprimet montes, alibi planities vorabit, tumida maria commercium gentium, ac fœdera tranquillitatis rumpẽt, ac societatem humani generis, cętusque dissoluent: alibi hiatibus vastis atra dies subducet Vrbes, terremotibus quatiet Alpium iuga, & terra iam pauida tota contremiscet, & ignibus vastis torrebit, sydera syderibus incurrent, ac repentino flammarum tractu decussa in Terras prolabentur: quale erit huius Orbis peramplum theatrum, cum post tumultus, ac strages bellorum, post grassantem pestem, post febrium ardores, in mortalium corpora debacchatos, post ferarum incursiones, ac carnificinas, post luctuosam agrorum vastitatem, famemq; rabiosam extinctis pastam cadaueribus, omnia immani ardebunt incendio, & quæ nunc Cælo minantur operosissimæ ædificiorum molitiones incrustatæ marmoribus, auro, & argento, micantes, inter minuti pulueris quisquilias, diflagrabunt.

Argumenta etiam validissima, ab hoc exhauriuntur loco, quia quale est totum, tales necessariò sunt partes, vt in extrema iudicij die totus Orbis torrebit ignibus, sed Italia includitur in hoc toto, & est pars huius Orbis, quæ præ ceteris amæniùs, ac sanctiùs eminet, vbi sanctitas, quà in virginibus, quà in viris, semper affulsit, vbi adhùc rubet martyrum effusus cruor; ergo & Italia torrebit igne, dissoluetur in cineres.

EXPEN-

EXPENSIO DECIMA QVARTA.

De Partium Enumeratione.

IN præcedenti Expenſione à toto arguimus partes, modo è conuerſo, à partibus arguendum eſt, quale ſit totum; res enim in ſingulas partes, apta quadam diſtributione eſt diuidenda, vt faciliùs ducamur in cognitionem totius: hæc partium diſtributio eſt neceſſariò ab Oratoribus adhibenda; ſicut enim in corpore vbi membra ſunt fœdè permixta, itàvt vnum membrum non ſecernatur ab alio, monſtroſa ſunt; ſic vbi non adeſt concinna partium diſtributio, niſi per cęcos calles confuſa oratio errabit: partes autem totius, illæ ſunt, quæ continentur in toto, vt partes corporis humani, ſunt caput, brachia, humeri, pectus, quia continentur in corpore humano; ſic partes generis ſunt omnes ſpecies, quæ complectuntur ab eodem genere, vt virtutis partes, ſunt illius ſpecies, nempè Temperantia, Fortitudo, Iuſtitia, Charitas, Prudentia, Manſuetudo; partes, aliæ ſunt intrinſecæ, quæ ad eſſentiam rei ſpectant, & ſunt genus, & differentia, aliæ ſunt extrinſecè, & aſcititiæ, quæ nō ſpectant ad eſſe rei, & ab hac ſecunda partium extrinſecarum enumeratione, ſic diſertè amplificat Plin. in panegy. Traiani Imp. deſcribendo eius triumphalem ingreſſum, in Vrbem. *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardauit, quò minus oculos inſolito ſpectaculo implerent: te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemque acceſſere, vnde alij ſe ſatis vixiſſe, te viſo, te reperto; Alij non magis eſſe viuendum prædicabant: fęminas etiam tunc fęcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubijt, cum cernerent tibi principi ciues, tibi Imperatori milites peperiſſe. Videres referta tecta, ac laborantia, imò nec vllum quidem vacantem locum, oppletas vndique vias, anguſtumque tramitem relictum tibi, alacrem hinc inde oculum, vbique par gaudium paremque clamorem;* & è contra Cic. contra Piſonem ab eadem diuiſione partium, eius ingreſſum in Vrbem ſine vlla pompa, ac populorum frequentia deſcribit. Confer nunc viciſſim in redditum tuum, quandoquidem amiſſo exercitu nihil incolume domum, pręter os illud priſtinum tuum retuliſti, quis ſcit? quos tu meandros dum omnes ſolitudines perſequeba-

queba-

quebaris, quæ diuerticula, flexionesque quæsijsti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hospes aspexit? nonne tibi nox erat pro die? nonne solitudo pro frequentia? nonne caupona pro oppido? non vt redires ex Macedonia nobilis Imperator, sed vt mortuus infamis, referri videreris. Romam verò ipsam fœdauit aduentus tuus, & nullus tibi obuiam venit. Vates etiam volens describere adolescentem virtuosum, illum describit, à partium enumeratione, sumendo virtutès in specie

Excubat in medio tibi pulchra modestia vultu,
Et niueus roseo, regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis, sacra facundia lingua,
Ridet in ingenuis, gratia diua genis.
Maiestas humeros, placidam clementia frontem,
Pura verecundus pectora candor habet.

Argumenta, quæ ab hoc loco eruuntur, efficaciam habent, ac roborem, & fiunt, cum ex negatione, vel affirmatione partium, conclusionem affirmatiuam, vel negatiuam totius, deducimus; quo pacto probabo Petrum esse virum religiosum, si virtutes religiosi inesse Petro comprobabo: hoc modo: in viro religioso relucere debet pietas, qua morum candor perpoliatur; debet latere humilitas, vt eius tenebris circumuolutus religiosus vir, veluti sydus nocturno sub cœlo nitidiùs fulgeat, in ipso debet foueri charitas, qua egenis opem ferat, Deum super omnia peramet, alienas miserias subleuet; residere fortitudo, qua aduersantis fortunæ ictus illidat. At hæc virtutum series enituit in Petro, quem nulla libido ad voluptatem, nulla amænitas ad delectationem, nullus labor ad quietem reuocauit, sed excoluit pietatem vsque ad lachrymarum effusionem super alienas calamitates, charitate æstuauit, vsque ad pascendos in xenodochijs proprijs manibus infirmos; humilitate enituit, vsq; ad contemptionem sui, ergo fatendum est Petrum fuisse virum religiosum; cauendum tamen est ne in partium enumeratione, superflua addas, necessaria omittas, discrepantia confundas, aut eadem bis repetas, sed enumeratio partium sit breuis, nec nimis prolixa, & hac seruata regula à partium enumeratione argumētari est optimum, & veluti Ariadneum filum dirigit institutum sermonem, ne fluctuet in errorum labyrintho; hęc enim argumēta acutissima sunt tela ad lacessendos aduersarios, & clypeus fortissimus ad illorum obiecta refellenda.

Ad

Ad amplificationem hic locus à partium enumeratione, est validissimus, ac plurimum habet roboris, & est secunda genitrix illius amplificationis, quæ oratoria in facultate triumphat, & quæ optima est temperatrix cupiditatum, legum architecta, morum institutrix, ipsa enim Herculis aureis catenulis, animos deuincit, flectit, moderatur, quis enim cantus, moderata amplificatione dulcior inueniri potest? Quid enim admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? Quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Quid cohortari ad virtutem ardentius? Quid à vitijs acrius reuocare? Quid vituperare improbos asperiùs? Quid laudare probos ornatiùs potest ipsa amplificatione, quam parturit, ipsa partium enumeratio? A partium igitur enumeratione, sic amplificatur triumphus Ludouici Tertij decimi à Petior. O si mos ille vigeret adhùc, quò solẽni põpa victores portabantur in Vrbem, quò Roma Marcellos, Scipiones, Lucullos, Pompeios, aliosque Imperatores læto vultu, hilari fronte, excipiebat triumphantes. Isti enim parta victoria, rebusque paccatis, conuersas in omnium aures titulorum tubas inflabant; auditio cogebat moras pati, dum longo tractu insonarẽt Africani, Asiatici, Parthici, Germanici, atque alijs captiuis appellationibus insigniti. Tunc terrarum Orbis, sese ad ambitionis cognomenta lacerabat: ò inquam si mos ille vigeret, quantus foret Ludouici triumphus, quę gentium acclamationes, quæ monumenta victoriarũm, iret ante currum depresso collo subiectis ceruicibus subacto vultu condemnata rebellio: currum traherent simul vincti, simul victi, cum Rupellensibus, Angli frontibus famulari iugo coniunctis: succederent agmina vitiorum, vno simul omnia loro deuincta, ac cæsa flagello virtutum, hic tractus sonanti compede liuor ringeret, fremeret audacia sine telo, iaceret arrogantia sine supercilio; morderet inuidia sine dente, debaccharetur impietas sine voce; mæsta hæresis sine viribus agmen clauderet, qui plausus interea, quæ in te laudes à circumfusis militibus, conferrentur; tu Benearnus, tu Transalpinus, tu Cisalpinus, tu Aquitanicus, tu Britannicus, tu Gallia dignior, tu Patre felicior, tu Henrico Magno maior Ludouicus festis vocibus dicereris, splendidi prçterea tituli laureati Lemnisci, sublimes imagines præferrentur, viuerent adhùc in adamante, quos in campo iugulasti, cælatura, quam vita, nobiliores: Topatijs, & Amethystis splendorem adderent virtu-

tum

tum tuarum insculpta miracula, emineret in auro sublime propugnaculum Ludouiceum. Victi Bukinchamij simulacrum, ferream domito collo catenam trahens, pedibus, ac manibus reuictis, splendidum fieret pompæ ludibrium; nectare spumaret artefactus oceanus, ambrosiæ fluctus allidérent gemmarum obijcibus, imbres gemmeos, frangeret moles in auro, alij deniq; ponerent Obeliscos, vt Cæsari: alij columnas erigerent, vt Antonino, ac Traiano: alij tabulas illi figerent, vt Alexandro Macedoni: alij arcus flecterent, vt Costantino, Vespasiano, ac Tito: alij pyramides excitarent, vt Nino: alij denique statuas, vt victoribus innumeris. A partium enumeratione Lactantius sic Dominicæ Crucis acerbitatem amplificat.

Vertice ad vsque pedes, me lustra; en aspice crines,
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis.
Colla comis, spinisquè caput crudelibus haustum:
Vndique diua pluens viuum super ore cruorem:
Compressos speculare oculos, & luce carentes;
Afflictasque genas: arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus,
Cerne manus clauis fixas tractosque lacertos:
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos:
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

EXPENSIO DECIMA QVINTA.

De Effectibus.

ENucleauimus in præcedentibus Expensionibus omnia quatuor causarum genera, mox superest præscrutari illarum effectus, qui perpetuum seruant commercium cum suis causis, quo fit, vt causæ in quatuor distinctæ species, tot effectuum genera producant: effectus causæ materialis, & formalis, est totum compositum physicum, quod coalescit ex materia, & forma: effectus causæ efficientis, est ille, qui reali influxu emanat a sua causa, & ab illa distinguitur, vt calor ab igne, humiditas ab aqua: effectus causæ finalis, qui in executione præcedunt suam causam, sunt ipsa media, quæ ducunt ad finem, vt si quis intendit acquirere scien-

tiam,

tiam, causa finalis est ipsa scientia, effectus huius causæ erit studium, quia acquisitio scientiæ mouet Tyronem ad insudandum chartis, ac impallescendum libris: vndè omnes actus versantes circa media, imò & ipsa media causantur à causa finali, atq; adeò sunt eius effectus, sic omnes actus humani, vt sunt actus prouenientes à voluntate, præuia cognitione intellectus sunt propter finem, quia omne agens, agit propter finem, ne temerè, aut casu agat.

Præter hos effectus, alij etiam enumerantur, vt sunt effectus resultantes, fortuiti, & supernaturales, illa res propriè dicitur resultare, quæ prouenit à principijs intrinsecis, & essentia subiecti, & se habet connaturaliter cum subiecto, sic posito fundamento, & termino relationis; resultat relatio: sic moto ab aqua igne, resultat in ipsa frigiditas: effectus supernaturalis, est qui prouenit à causa supernaturali, vel ab aliqua potentia naturali, adiuta tamen auxilio supernaturali, vt sunt actus amoris, charitatis in Deum, qui actus eliciuntur quidem à voluntate nostra, sed corroborata, ac inflammata Dei gratia, sine qua tales actus, voluntas nostra nequiret elicere: vnde isti effectus supernaturales exigunt fluere à potentia eleuata, ab aliquo auxilio supernaturali.

Effectus fortuitus est, qui prouenit ab agente libero, sed præter intentionem eiusdem agentis; vndè effectus fortuiti, illi dicuntur, quorum determinatam causam nescimus assignare, cum rarò eueniant, & præter intentionem agentis. Fortunam Aethnici dixerunt esse Deam, hæc sublunaria, cui libuerit sine ratione distribuentem; alij voluerunt esse causam aliquam per se occultam, à qua effectus, quos fortuitos appellamus emanant; alij apud *Plutarcum in Opusc. de Rep. Stoic.* dixerunt esse causam quamdam, per vniuersum diffusam, voluntatem humanam in vnam partem inclinantem, cùm est anceps. Tandem Aristoteles in lib. de bono fortunæ ait, esse impetum quemdam à natura prouenientem, quo aliquis absque vlla ratione mouetur ad aliquid agendum, quod sibi in bonum vertitur, si bona est fortuna: modò fortuna apud alios Ethnicos pro syderibus sumebatur: modò pro necessitate se per æternæ consequentiæ nodos explicante ponitur, & ita impiè nomen fati vsurpant Astrologi, vt Ptolomæus, qui causarum connexionem, ex motibus Astrorum vim, & efficaciam trahentem definit, ad quod etiam allusit Iuuen. saty. 27.

P *Sydus,*

Sydus, & occulti miranda potentia fati.

Et Seneca eam vocat rerum omnium necessitatem, & actionem, quam nulla vis potest irrumpere. Fides tamen orthodoxa hanc fatuam in actionibus humanis fati necessitatem explosit, *& fatum non ponunt nisi fatui*, ait Diuus August. & Iuuenalis,

Nullum Numen adest, si sit prudentia, sed nos
Tè facimus Fortuna Deam, Cæloque locamus.

Quamobrem dedecet Oratorem Christianum hæc inania de fortuna commenta recensere: Fortuna igitur, non est aliqua peculiaris causa instituta ad talem effectum; sed est causa efficiens secunda, quatenus per accidens, & preter intentionem in aliquem erumpit effectum.

Vsus ab effectibus est amplissimus, ac fecundissimus, & inter ceteros inuentionum fontes, amęnior, ac clarior: ab hoc loco Deum cognoscimus esse, illum enim, nec videmus, nec sentimus, ideóq; solum ab effectibus arguimus, adesse Deum, sic eo quia videamus circumferri cælos, splendescere solem, nocturnæ hominum quieti inuigilare sydera, spirare ventos, multiplicari minuta semina, & in giganteas gliscere plantas, crepitare riuulos, fluere flumina, grandescere messium copias, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, ridere florido sub Tauro Tellurem, ignem non comburere, vti fornaci in Babillonica, non grauitare saxa, terram modò coronatam collibus, modò diffusam in planitiem, montes in vertice procera nemora nutrire, modò cęduas syluas cum ipsis montibus descendere, mare non transire terminos suos, sed in exili litoris puluere tumentes fluctus suos frangere, Deum adesse arguimus, cui respondent sydera, seruiunt elementa, cuius nutui obtemperant omnia, germinant semina, crescunt germina; Ipse enim est, qui maris mitigat tempestates, stellarum varios meatus cohibet, quem superi colunt, perhorrescunt aues cælo meantes, feræ per montiũ iuga errantes, serpẽtes solo latẽtes, belluæ ponto natantes, cuius tandem prouidentia mundus totus gubernatur, ac regitur, qui commoda quibus vtimur; lucem, qua fruimur, spiritum, quem ducimus nobis impartitur.

Vis argumentandi ab effectibus est efficax, & quia ad effectum necesse est, præcessisse causam; ideò ab effectibus potest cognosci qualis sit causa; quia videmus pharmacum expellere è corpore peccantes qualitates, augere vires, corroborare stomachum, purifi-

rificare fluentem sanguinem, arguimus vtilitatem pharmaci ab vtilitate effectuum; non tamen semper est verum malam esse causam, ex qua mali effectus proueniunt, interdum enim censemus nonnullos effectus emanare ab aliqua causa, quæ re verà solùm accidentaliter concurrit: sic Seneca ventos bonos esse probat ab effectibus permultis. *Dedit*, ait ipse, *Deus ventos ad custodiendam Cæli, terrarumque temperiem, ad euocandas supprimendasq; aquas, ad alendos satorum, arborumque fructus, quos ad maturitatem cum alijs causis adducit ipsa iactatio: si postea venti lacerant nauigia, nostrum est peccatum, qui per auaritiam elementa mundi confundimus.*

Amplificationibus plurimum prosunt effectus, & quò plures sunt, eò fusiùs rem extendunt, ab effectibus Alexandri Magni ebrietas, quem tradunt sæpè fuisse à vino turbatum, sic amplificari potest. Proh dolor! qui pluriès hostili cruore proprias colorauit purpuras, palmasque humectauit, ac Martem vicit: nunc multò madefactus vino, superatur à Baccho; victor, ac debellator populorum, vitiorum extat captiuus; qui stetit inter sæuientes gladios, inter eneruata Lenocinia corruit; qui regnis fuit terrori, ludibrium est vitij; aduersas acies contriuit ieiunus, nunc crapulans suarum castra dissoluit virtutum; iacuit effuso vino, qui iacere effuso sanguine nesciuit. Nimium enim vinum corrumpit sanguinem, vitiat humores, obtundit aciem ingenij, animique consilium obtenebrat; quid belluis similiùs, imò quid infra belluas abiectiùs ebrioso, vide quam lubricus sit incessus, vt micant oculi, spumat os, difluunt genæ, pectus languet, pedes titubant, gressus fit incertus, totum corpus attonitum, vt incerta verba sui impos eructat? interim sepulta ratio in fumosis vini vaporibus, nullum vsum retinet, sine mari fluctuat, sine febri tremit. E conuerso opposita temperantia ab effectibus, sic amplificatur. Temperantia est fidelissima integritatis nutrix, ipsa reprimit corporis libidines, tuetur castitatem, mentem auocat à curis vilissimis rerum fluxarum, & ad Diuina, ac æterna contemplanda conuertit; auget celeritatem cursus in sempiternam celestis gloriæ domum, magnificè sententes, ac loquentes de se compescit, superbiam, ac contumaciam contundit, alit animi submissionem, ac modestiam, corporis valetudinem substinet, mentis sordes eluit, stultam loquacitatem repudiat, demum omnium vitiorum

P 2 fluctus

fluctus à nostra depellit pernicie, & pectus omnium virtutum moderatione tranquillat.

EXPENSIO DECIMA SEXTA.
A Coniugatis.

HIC locus à coniugatis non mediocrem habet vim ad suadendum; vt etiam ad delectandum, orationem enim vrbanitate quadam, ac iucunditate suauiter vestit Cic. in Top. definit coniugata, *Quod sint ea, quæ orta ab vno; variè commutantur vt doctus, doctè, doctrina, Rex, regum, regere, sapiens, sapienter, sapientia,* quæ omnia orta à verbis sapio, Rego, doceo, variè commutantur; à coniugatis vim aliquam videntur habere amplificationes, ac argumenta; sic à coniugatis potest probari Regnum non esse expetendum, quia regere ingentes progignit curas, assiduum exigit laborem, continuam petit vigilantiam, quia Regibus multa vndiq; imminent pericula.

Per coniugata, vt loquitur Aristoteles 1. Rhet. cap. 28. facilè cognoscuntur ex his, quæ inuicem comparantur, quæ sint præstantiora, vt si quis dubitaret, quæ nam sit maior virtus, an humilitas, an sobrietas, sic à coniugatis posset argui, laudabiliùs est humiliter, quam sobriè agere: ergo laudabilior est humilitas, quam sobrietas. hic locus etiam tractatur per abstracta, sumendo scilicet genus pro differentia, idest abstractum pro concreto; vt virtuosus est laudandus, hæc propositio per abstracta, sic potest amplificari. Virtus varijs est excipienda encomijs, ipsa enim mores exornat, mentem clarificat, hominem ad gloriæ culmen euehit; vel è contra, ab abstractis possunt cognosci concreta, si castitas est laudibus commendanda, ergo qui castè viuit, est laudibus commendandus; ad amplificationem etiam plurimum valet locus à coniugatis, si plura coniugata simul conglobentur tali pacto: ad quid religiosum appellas, quem religio non exornat? quid pium vocas? quem pietas nunquam vidit? Quid Imperatorē nominas? qui suis passionibus, nescit imperare? an non *verum Imperium* teste Seneca, *est imperare sibi?* quid misericordem dicis, qui misericordiam nunquam excoluit? Quid equitem vocas, qui nisi arundinem equitauit puer, vndè vides quam amænum dicendi campum aperiat hic locus à coniugatis.

EX-

EXPENSIO DECIMA SEPTIMA.

A Proportione.

QVamquã huius loci vſus, infrequens ſit apud Rhet. attamen ſi benè perſcrutetur ad argutias conficiendas vim habet. Proportio enim nihil aliud eſt, niſi aliqua conuenientia, vel in nomine, vel in re, inter duo diſtincta, quæ enim inter ſe conueniunt, dicuntur proportionata, quæ verò nullo modo conueniunt, dicuntur diſparata: licèt proportio ſit ſemper inter duo diſtincta; tamen inter ſe debent aliquo modo conuenire, vt proportionentur; ſicut inter Auarum, & Hydropem datur proportio deſiderij: vnde hic locus feraciſſimus eſt, ſi ſales, & argutias queras per equiuoca, quia hæc ſemper proportionantur in nomine; equiuoca dicuntur illa quorum nomen eſt idem, res verò ſignificata per nomen diuerſa, vt hoc verbum colo, quod ſignificat, arare terram, obſeruare, & venerari: ſic de Adamo ait Emanuel Theſaurus, *Quia Deum non coluit, terram coluit*, in primo loco ſignificat venerari, in ſecundo arare terram: à proportione luſit etiam Poëta ſupra Neronem Matricidam;

Quis negat Aeneæ magna de gente Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Nec inamænius eſt à proportione iſtud aliud ſuper Clementem Octauum.

Sancta pudicitiæ virtus, redit exul in Vrbem.
Quid mirum eſt; vrbi præſidet Hyppolitus.

Per remotionem eſt etiam illud Actij Sinceri, de Ferrando;

Ex ferro nomen tibi, ſcilicet aurea condis
Sæcula, nam ſub te Principe nemo metit.

Non tamen ſemper à notatione locus valet ad ſuadendum, nec vim habet ad amplificandum, nam vt loquitur Poëta.

Nominibus credam; nec nunquam, nec neque ſemper,
Nec nunquam verum, nec neque ſemper habet.
Clara, Agatha, Ambroſius, Stephanus, Vincentius, Agnes,
Conueniunt Sanctis, nomina pulchra ſuis.
Barbara, Cecilia, Vrſinus, Lupus, Vrſula, Aſella,
En pugnant ſanctis nomina praua ſuis.

Et

Et Martialis lib. 11. epi. in Aerini pueri nomen, quod significat ver, ornatissimè lusit his carminibus;

Nomen cum violis rosisque Natum,
Quo pars optima nuncupatur anni
Hyblam, quod sapit, atticosque flores.
Quod nidos olet, alitis superbæ
Nomen nectare dulcius beato.

Arguta æquiuoca germinant ab hoc loco, sic de Tito Labieno, quia suis scriptis insana rabie omnes mordebat, ac pungebat asserebant Romani non *Labienus* est, sed *Rabienus:* & Pupillus Orbilius Grāmaticus post amissam memoriam dictus fuit à Bibaculo, *Pupillus Obliuius:* hinc *Claudius*, *Tiberius*, *Nero*, quia calefactum purumq; vinum bibisset à militibus vocabatur *Caldius Biberius Mero*, & à Legisperitis *Tutores* dicuntur, quasi *Tuitores*, qui tamen à Bruno Iure consulto fuerunt dicti *Tollitores* à rapinis, quas in pupillorum bona solent exercere; & *parlamentum* dicitur etiam *parium lamentum*, eo quia pares in dignitate, vt sunt Principes Duces soleant lamentis parlamenta replere, & *mulier*, quæ secundum Varronem à mollitie trahit originem nominis, dicitur etiam *mollier:* sic apud Athenienses Leges sancitæ à *Dracone*, eo quia erant crudeles, ac impię dicebātur verè *Draconis* leges, nō hominis, & de sententia mortis insculpta saxo dicitur, *Non poterat non esse dura hæc sententia, cum ipsa sit saxea*, Stratonicus etiam audiens ingratam auribus compositionem, cuiusdam, qui vocabatur *Carcinus*, nomen, quod etiam significat piscem dixit, *piscis veriùs, quam hominis auditur cantio*, sic Diua *Vrsula* nomen diminutiuum *Vrsæ* dicitur *vrsa minor*, hoc est sydus, quod semper rutilat sine occasu, & de cōputoribus multo madidis vino, dicebantur, iam non esse *computores*, sed *compotores*, & Cornificius. Demus operā ne *Patres conscripti*, *Patres circumscripti* videantur.

EXPENSIO DECIMA OCTAVA,

De Tempore.

NIL familiarius habemus tempore, nil frequentius in ore resonat, quam tempus, sed naturam ipsius explicare paucorum est, nomen ipsius commune est, sed eius ratio recondita: vndè

vndè Diuus Aug. lib. 11. confessionum cap. 14. ait; *Quid est ergo tempus, si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim nescio*, & ex Seneca in tria tempora vita nostra diuiditur: *quod est, quod fuit, & quod futurum est, ex his, quod agimus breue est, quod acturi sumus dubium, quod egimus certum; hoc est enim, in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest præsens tempus breuissimum est, ità vt quibusdam nullum videatur, in cursu semper est fluit, & præcipitatur, ante desinit esse, quam nasci, nec magis moram patitur, quam mundus & sydera, quorum irrequieta semper est agitatio, nunquam in eodem vestigio manet nemo restiuet annos, nemo iterùm te tibi reddet: ibit quà cæpit æstas; nec cursum suum, aut reuocabit aut supprimet, nusquam diuertet, remorabitur, nisi occupas fugit: cum occupaueris tamèn fugiet: itàq; cum celeritate temporis vtendi velocitate certandum est*; tempus originem traxisse à Saturni ortu, asserunt Poëtarum commenta, prima nempè ætas aurea fuit; vbi non erant, nec dissentiones, neque inimicitiæ, neque bella, ac

Nondum vesanos rabies nudauerat enses;

Vt nonnulla argutè referam de tempore, dico mensem, à mensura dici, mensibus enim metitur annus: supposito anni cursu; apud Romanos rerum Dominos annus initium ducebat à Martio mẽse, dico hunc principem inter menses gloriosa ista appellatione fuisse insignitum à Romulo, hinc mirandum non sit, si eo mense hastati incipiant non florere, sed horrescere campi, Martium sequitur Aprilis Veneri sacer; quæ Venus è mari orta, indicat plurimum habere de spuma, vt discerẽt, vel à fabulamento mortales: *Venereas voluptates nihil aliud parere, nisi amaritudines*; vel vt discerent, *quam parui sit facienda Venus, cùm ab ipso mare sputo reiecta fuerit*, vel vt scirent *Veneris ignem à nulla posse extingui vnda, cùm ipsius aqua sit filia*, vel vt scirent, *quam fluxæ, ac per breues sint Veneris voluptates, quando aliam non recognoscunt matrem, nisi inconstantem, ac fluidam vndam*, vel vt scirent *etiam ab aqua posse emanare ignem in mundi perniciem*. Aprilem sequitur Maius, qui vel à maioribus, hoc est à natu grandioribus, vel a Maia Mercurij progenitrice nominatur, Maius mensis si pingendus esset, vel cælo animandus in marmore deberet pingi alatus, vt cæteri socij, florida veste succintus, & coronatus pariter floribus, qui Geminos manu stringat, hoc mense non ducebatur

tur Romæ vxor: hæret admiratione suspensus Plutarcus,sed mihi placet venari rationem,cur non ducebantur Maio mense vxores: forsan, quia positus hic mensis inter Aprilem, & Iunium parum distet à Venere,& Iunone,credebant,non potuisse nasci à tali matrimonio, nisi semineos, ac imbecilles partus, potiùs Veneris, quam Martis sectatores; an quia consueuerant antiquitùs Romani è quodam ponte proijcere in flumen perniciosos homines, quasi mali ominis futurus esset Hymenæus ille; an quia à Maia Mercurij matre dictus hic mensis Palladij Viri Palladis ad instar nubere nolint: Hoc pariter tempore fiebant Romæ sacra Deo Lari. Iunius flauescit in amictu, & cancrum habet in manu. Cancer sydereus habet hoc, vt retrogradū faciat Solem, huius mensis corona erit spicea. Iulius spicis paritèr circumdatus, croceum habebit amictum cum Leone,in quo signo ęstuat magis Sol. Augustus ferocitatem spirabit ex vultu, & flāmas, ac vario flore huius tempestatis redimitus, Virginem habebit in manu, cur tribuatur Agusto signum hoc cæleste, respondent Astronomi Virginem naturà esse sterilem, sic Solem eo tempore nihil producere, sed dumtaxat ea, quæ nata sunt perficere. September cum Libra Iustitiæ signo, ac Astreæ symbolo purpurea indumenta habebit, ac fructibus coronabitur, qui ea erumpūt tempestate, cornucopiam habebit in manu, si quæratur, cur inter cæteros comites menses vnicus September purpuratus incedat: Respondeo ob liberalitatem, quam Regis ad instar exercet: fuerat quondam appellatus Germanicus, sed quia tyrannicè sibi vsurpauerat hanc laudem ex Senatu consulto, tanto honore non debuit illustrari. October folijs deciduis vestiendus erit, ac quernea corona implicandus vertex, Scorpio erit in dextera, quia vruntur mortales febri hoc tempore: vel quia, vt patet ex Hipocrate varia illa temporis intemperies, postulat hoc. Nouember oleæ frondibus coronabitur, subnigro amictu cum Sagittario. December fullus incedet cum Capricorno. Ianuarius albus, ac niueus cum aquario ob ingentem niuem, ac pluuiarum copiam anni senectutem exprimet; primis huiusce mensis Kalendis mittebantur laureæ frondes, quæ cum prosint sanitati salutem apprecabantur illo munere. Februarius subcineritio ibit colore, ac piscem habebit. Martius galeatus incedit cum Ariete, ac nonnullis erit cōspersus floribus. Aprilis tandē mirteis coronabitur folijs, vtpotè mensis mollis, ac Veneri sacer Taurū æquitabit. Tem-

Tempus provt ſpectat ad Rhetoricam ſumitur pro motu primi mobilis,quo commenſurantur Horæ,Dies,Hebdomadæ,Menſes, Anni, Olimpiades, Luſtra, Sæcula,Aeuum; quapropter ab Ariſtotele definitur tempus, quod ſit numerus motus, ſecundum priùs, ac poſteriùs,pro qua definitione ex eodem Ariſtotele eſt animaduertendum; dupliciter diuidi numerum, nempè in numerum numerantem, & numeratum, numerus numerans dicitur ille, qui nulli rei eſt applicatus, ſed per ſe indifferens eſt, & dicitur etiam numerus abſtractus, ac mathematicus, vt quatuor, qui numerus numerans poteſt cuilibet applicari, poſſunt enim dici ſex homines, ſex lapides, qui lapides ſunt numerus numeratus: Tempus dicitur numerus numeratus motus; quia motus eſt ſubiectum numeri,& conſequenter temporis, dicitur ſecundum priùs, ac poſteriùs, ideſt ſecundum partes antecedentes,& ſuccedentes, pars enim, quæ ſuccedit dicitur poſterior; pars verò, cui altera pars ſuccedit, dicitur prior, & hæc ſint obitèr dicta pro temporis definitione.

A tempore plura poſſunt exhauriri argumenta, ac perpolitæ confici amplificationes, ſunt igitur aduertendæ omnes temporis circumſtantiæ, vt quatuor anni tempeſtates, dies, menſes, ſigna Zodiaci: ſic alicuius Principis mors, quæ hyemali accidat tempore, quando ruunt è Cælo pluuiæ poteſt amplificari. Tanti viri mortem æquo animo nemo ferre potuit, elementa ipſa in ſqualore iacentia, non ſine prægrandi triſtitia, illachrymantur; Cælum ipſum tetris, ac ſordidis nubibus, ſyderum oculos obuelat, ne tam acerbum videant fatum, Mare ipſum mortuo ſcientiarum Mercurio tranquillitatis, ac pacis fœdera rumpit, & præ dolore prægrandi fragore, quaſi gemitibus, ac lamentationibus ſe totum dilaniat inter ſcopulos, ac litoris ſaxa. Vndè temporis circumſtantiæ ſunt diligenter aduertendæ, nempè; ſi tempus turbidum fuerit, ſi nubilum, ſi ſudum, temperatum, periculoſum, calore, vel frigore intemperatum, Tull. pro lege Manilia à temporis celeritate Pompei victoriam commendat, num. 35. *Tantum bellum, tàm diuturnum, tàm longè, latèque diſperſum, quò omnes gentes, ac nationes præmebantur Cn. Pompeius hyeme apparauit, vere ſuſcepit, media æſtate confecit.*

EXPENSIO DECIMA NONA.

De Vsu.

VSus nihil aliud eſt, niſi quędã cõſuetudo, ſeù Lex, ideò definitur Lex, provt hic ſumitur, *Eſt ordinatio rationis, promulgata ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, ſeù qui poteſtatem habet obligandi*, Lex diuiditur in æternam, diuinam, humanam, & naturalem; Lex diuina eſt ea, quæ vim habet quatenus à Deo proficiſcitur, quæ duplex eſt vetus, ſeù Moſaica; & noua, ſeù Euangelica; rurſus Lex Diuina ſubdiuiditur, in ſupremam, & naturalem; ſuprema eſt, quæ à Deo promulgatur; Lex naturalis inſuper ſubdiuiditur in legem naturalem gentium, & Ciuilem; Lex naturalis gentium eſt, quæ naturæ eſt indita, & ſunt ea, quæ natura exigit; vt præcepta naturalia: Lex Ciuilis eſt illa, qua omnes homines naturali ratione ducti conſtituunt, vt eſt illa, *Poſſeſſiones ſunt diuidendæ*, & illa alia Numæ, *ne quid inauſpicatò gerunto*, Lex humana, de qua hic loquimur eſt, quæ fertur authoritate humana, & quæ à Iuſtiniano tit. 2. Inſtitutionum, diuiditur in legem, quæ eſt Iuris communis, ſeù Iuris gentium; & in eam, quæ eſt Iuris proprij, Ius commune, ſeù gentium eſt, quo omnes homines vtuntur in fœderibus ſanciendis, in iudicijs, bellis &c. Ius proprium, ſeù ciuile, eſt illud quod eſt alicuius Ciuitatis, aut Prouinciæ, vel Regni proprium, vt Ius ciuile Romanum, Hiſpanicum, Germanicum, Gallicum, quod vel conſtat ſcripto, vel inolita conſuetudine paulatim receptum eſt. Hæc Lex à Pyndaro *Regina Deorum, & hominum* appellatur, & legum neceſſitatem commendat Cic. pro Cluentio num. 146. *Vt tibi concedam hoc indignum eſſe (quod huiuſmodi ſit iam video) tu mihi concedas neceſſè èſt, eſſe indignum in ea ciuitate, quæ legibus contineatur, diſcedi à Legibus, hæc enim vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in Rep. hæc fundamentum libertatis, fons æquitatis: mens, & animus, & conſilium, & ſententia Ciuitatis poſita eſt in legibus, vt enim corpora noſtra ſine mente, ſic Ciuitas ſine legibus ſuis partibus, ac neruis, ac ſanguine vti non poteſt.* Lex tamen debet eſſe ſancta, & pia, nam vt loquitur Augu. *Omnium legum eſt inanis cenſura, niſi diuinæ legis imaginem gerat;* hoc modo promulgata Lex eſt ſeminarium ſapientiæ, officina

pru-

prudentiæ, leges enim à prudentissimis viris fuerunt adinuentæ; Zoroastres Babylonijs Leges præscripsit, Lycurgus Lacedemonijs, Argiuis Phoronæus, Cretensibus Minos, Athenienfibus Cecrops: Romani posteà ex sapientioribus viris suas leges compilarunt, & Iustinianus Imp. in Codice Iustinianeo, quem suo nomine appellauit, prudentiores omnes legit in vnum leges.

Apud Lacedemonios Lex erat, qua omnes Dij, Deæque colebantur armati, & id miro artificio, nẽpè ad mollitiem de Ciuitate abigendam, ac militarem disciplinam excolendam. Apud Athenienses Lex hęc erat, si quis insepultum hominis cadauer reperiat, omni parte id terra obruat, ac sepelliat, ad occasum spectans; ab hisce igitur legibus, seù consuetudinibus efficaciora efficiuntur argumenta: vt Lex est, qua periurij mulctentur capite, alijsque exquisitis supplicijs excrucientur: quidni? militis audacia eò deuenit, vt ausa sit, nihili facere remp.; violare leges, à tot probatissimis viris confirmatas, quas per tot sæcula illibatas seruauit Ciuitas, ergo exquisitissimis excrucietur tormentis miles ille.

Quandoque tamen probare potest orator licitum esse à legibus discedere, quando maior resultat vtilitas. Hinc Cæsar Augustus Virgilij carmina maluit conseruare, quam Vulcano dare, ac authoris testamento obtemperare, quod leges iubent, dixit enim

Frangatur potiùs legum veneranda potestas,
Quam tot congestos, noctésque, diésque labores,
Hauserit vna dies.

Qûi Tertullianus probat non esse standũ legibus omnibus scriptis cap. 4. Apolog. ait, *Mirabimini hominem, aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? nonne & ipsius Lycurgi leges à Lacedemonijs reiectæ tantùm dolorem, aut heri suo excitauerunt, vt in secessu de semetipso indicarit? Nonne, & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem, & squalentem syluam legum principalium rescriptorum, & edictorum securibus retruncatis?*

Aliquando euenit quod, qui per vnam legem damnatur, per aliam saluetur, in tali casu orator si causam defendit, debet prolixiùs commendare legem, quæ reo fauet, è conuerso aliam rationibus obtundere, ac eneruare, sit exemplum Lex est. *Exhæredatus bonorum paternorum expers esto;* Alia lex è conuerso est, *Qui in naufraga naui remanserit solus, nauis illius esto.* Secundis

ventis,placida vnda nauis cuiusdam Mercatoris ex Oriente redit, promontorium Bonæ spei attingit, cùm vehemens ab Occasu obsistit ventus, videntur paulatim coire nubes, tonare Cælum, micare ignes, ruere noctem, idque cum fulgetris, ac Cæli fragore; præliantur vtrinque venti, superbiunt tumentes vndæ, crebrisque fluctibus nauem oppugnant, crescit magis, ac magis tempestas, nec secùs quam arietibus, ac balistis oppidorum muri; decumanis fluctibus terribili cum sonitu, nauis latera feriuntur: sęuiente magis Oceano, Nauclerus vna cum socijs, desperata salute, in mare prosiliunt, & natando terram petunt, solus mercatoris filius exhęredatus à patre in naui remanet, venti deficiunt, cadunt tumidi fluctus, ac portum attingens filius nauim sibi vendicat: Pater illi litem ex priori lege intendit, inquiens filium exhæredatum iuxta legem quidquam de bonis paternis non possidere; filius se defendit alterius legis munimine, inquiens, ex lege, mea est nauis, meæ gazzæ, ait Lex, *Qui in naufraga naui solus remanserit nauis illius esto*.

EXPENSIO VIGESIMA.

De Ortu, & Interitu.

HIC locus præcipuè tractari solet in genethliacis orationibus, in quibus ortus, seù natiuitatis pueri circumstantiæ notantur, à tempore, ab horoscopis: Astrologi appellant horoscopum felix syderum situatio, & tunc aiunt horoscopum esse nascenti felicissimum, quando venienti in lucem secundis influxibus prosperum aliquod affulget ex syderibus, hæc tamen Mathematicorum disciplina, quia ab astris errãtibus oritur, nisi errores consueuit, vel ediscere, vel edocere: in ortu pręcipuè considerantur annus, dies, hora, mensis, Kalendæ; si puer nascitur Kalendis alicuius mensis potest argui à principio, Kalendæ enim sunt principium mensis, sic potest dici, natum puerum fore principium bonarum artium: deinde dies sextus, ac septimus, quia sacri olim habebãtur, ideò huiusmodi natiuitatem significare cõmunionem quandam cum dijs superstitiosè credebant ethnici; si nascebatur nono die, quia hic Soli erat sacer, colligebant aliquem natum puerum illa die, Solis instar fore illustrem, ac beneficum: si quarto

die

die oriebatur, quia hic erat Mineruæ dicatus, aiebant profuturum omnium doctrinarum solium: deinde, si nascebatur die festo, aut die, quo Olimpici ludi gerebantur, dicebant natum puellum futurum victorem: dies etiam natalis Imperatorum in maximo habebatur honore apud Ethnicos: sic Athenienses maxima excipiebant solennitate diem illam, quę mundo peperit Socratem: Persę etiam coluere diem, qua Xerxes accessit Imperio, ac Syracusani eam festis celebrabant diem, qua Thimoleon huius lucis vsura cepit frui: Romanis etiam dies illa quotannis solennis fuit, qua Vrbis fundamenta ponere cęperunt, & Idus Iuliæ, Iulij Cæsaris ortu nobiles fuere, ac illustres: Kalendæ Ianuariæ à Titi natalitio die, nō parum claritatis excępere: Kalendæ Decembres maximis celebrabantur festis, ac triumphis ob Neruæ ortum: deindè Antonini natiuitas; Apriles Kalendas illustres fecit Romana in Rep.; vt etiam Nouembres Adriani; Februarias Constantini ortus.

A Mense etiam laudū messem legebant elegantiores oratores; diximus enim supra, olim Romanos à Martio mense anni cursum inchoasse, eo quia talis mensis Marti bellorum Numini erat sacer, vt etiam Aprilis erat Veneri amorum Deæ dicatus, sic etiam Maius, qui vel à maioribus, vel à Maia Mercurij matre ortum traxit floribus incedebat constipatus. Maium sequitur Iunius, à Iunioribus dictus, vel vt alij volunt à Iunio Bruto, qui depulso Tarquinio consulares fasces, in libera Ciuitate in signum sui muneris cepit præferre. Iunium sequitur Iulius, a Iulio Cæsare, hoc coronatus nomine (nam antea Quintillis plebeia voce appellabatur) hic Imperator suum deduxit nomen à Iullo gloriosissimo Aeneæ filio post subiugatum Nilum, hanc concessit Cæsari facultatem Romanum decus, vt mensis Quintilis tanti Imperatoris nomine curreret apud posteros insignitus. Iulium sequitur Augustus ab Augusto Cęsare; hoc mense Circenses agebantur ludi in gloriam Cęsarum; post Augustum sequuntur reliqui quatuor, non variato cognomento, sed accepto tantum nomine à loco, quem post Martium occupant: tantum addam, Nouembri mense Romanos consueuisse ludos Palladios, in Mineruæ honorem, peragere. Decembris verò diebus Saturnalia agebantur: ad hos quatuor sequitur Ianuarius à Iano Rege Bicipiti, sic appellatus, quo mense munera omnia, ac magistratus nouam resumebant faciem;

ciem;

ciem; Ianuarium Februarius consequitur, cui februa hoc est purgatio nomen indidit, purgabantur enim omnia eo mense.

Ab ortu sic Martialis lib. 6. de Filio Domitiani loquitur;

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deùm soboles, nascere magne puer.
Cui Pater æternas post sæcula tradat habenas,
Quippè regas Orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebis ouem.

Ab interitu, vt efficiantur argumenta, ac amplificationes sunt considerandæ circumstantiæ, loci, temporis, si Princeps laudandus moritur cum pluuiæ è cælo ruunt, ab hac circumstantia sic potest dici, tanti Principis acerbum fatum, non solum homines, non solùm parentes, non solùm gnati, ac subditi, verùm cælum ipsum, elementa ipsa illachrymantur: ad quid in pluuias lachrymas liquescit cælum? ni vt lugeat Principis acerbum fatum? ad quid luctuosis nubium velis se induunt sphœræ? ni vt tanto viro parentent? ad quid in squalore iacent omnia? ni vt tristitiam exprimant.

EXPENSIO VIGESIMA PRIMA.

De Subiecto, Loco, & Obiecto.

SVbiectum idem est, ac persona, quam tueri, vel damnare intendimus, in qua spectantur adiuncta, tum animi, tum corporis, quæ se tenent ex parte animi, sunt affectus eiusdem animi, tam in parte irascibili, quam in concupiscibili, vt amor, odium, gaudium, tristitia, spes, desperatio, iracundia &c. Ad animum etiam spectant virtutes, & vitia, vt modestia, pietas, auaritia, ambitio, quæ verò se tenent ex parte corporis, sunt figura, color, valetudo, debilitas, deformitas, viuacitas, tarditas.

A subiecto neruosa eruuntur argumenta, præsertim per adiuncta animi, & corporis Sallustius, sic Catilinam exprimit; *Nobili genere natus, fuit ingenio malo prauoque, huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis, grata fuere, eius animus audax fuit, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator, & dissimulator, ardēs in cupiditatibus, satis eloquentiæ, sapiētiæ parū, vastus animus*

mus immoderata semper cupiebat. Iam ex hac expressione Sallustiana per adiuncta se tenentia ex parte animi, possunt deduci hæ conclusiones, ergo Catilina homo fuit perniciosus, ergo probabile est multa mala excitasse in Rep., ergo non sine causa multis accusatur criminibus.

Per adiuncta à corpore etiam potest demonstrari, quale sit subiectum, præsertim si crine sit ruber, si aspectu deformis, hoc enim malignitatem indicat; tritum est illud Martialis lib.4.ep.12.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Physionomici, ac Medici à temperamento corporis arguunt sanitatem viri; cùm enim homo appetitum habet, addictis horis benè comedit, & æquè digerit, suos dormit somnos, citò sudat, raró sternutat, mediocriter pinguescit, arguunt ab hisce adiunctis corporis virum sanitate gaudere: à capillamenti cultura quidam author animi corrupti malitiam sic argumentatur;

Sed vitate viros cultum, formamque professos,
Quique suas ponunt, in statione comas.
Fœmina quid faciet cum vir sit læuior ipsa?
Forsitan vt plures possit habere viros.

Quale sit subiectum etiam potest cognosci à patria, omnes enim nationes suis temerantur vitijs, vel ornantur virtutibus: vt Syrus deditus est ad furtum, Asiaticus est suspiciosus, Græcus mendax, Thrax homicida, Italus prudens, ac fortis, Hispanus grauis, ac maturus, Gallus agilis, ac promptus; A patria sic cognoscitur subiectum, Syrus est, ergo facilè furtum perpetrauit; Græcus est, ergò facile mendacium dixit.

Obiectum idem est, ac res, quæ geritur, si sermo est de crimine obiectum erit crimen, subiectū persona, quæ crimen perpetrauit: quapropter obiectum est potiùs fundamentum adiunctorum, quam vnum ex adiunctis, ab obiecto tamen neruosè amplificatur, cum describitur obiectum, si loquatur de homicidio, sic potest dici; ad quid non deuenit audacia perniciosi viri? manus temerauit innocenti sanguine, non vno confodit ictu occisum, verùm plura expressit innocenti in corpore vulnera, vt magis cresceret crimen, plures dilaniauit artus, vt pluribus increparēt oribus tantum facinus.

Locus est etiam quædam circumstantia, quæ multum potest augere,

augere, vel minuere commissum flagitium, vt si locus sit sacer, sit publicus, remotus, vt in Ecclesia, in Senatu, in sylua, in bello, in campo: Orator igitur debet diligenter attendere opportunitates loci, vt maior criminis suspicio ingeratur: differentiæ loci sunt; locus sacer, profanus, maritimus, remotus, opacus, cultus, incultus, sic Tull. Antonij fœditatem, qui pro concione vomuerat, à loco sic exaggerat. *Si inter cænam in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis te non increparet? in cætu verò populi Romani negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe est, sic vomens frustis exculentis, vinum redolentibus gremium suum, & totum Tribunal impleuit!* Carthaginensis Annibal Italiam ingressus, milites suos prouocat ad victoriam à loco, apud Titum Liuium. *Vobis acriter pugnandum est, quippè à tergo Alpibus, ab vtroque latere mare vos claudit, aduersos habetis hostes, quare nulla vobis speranda restant effugia, nisi vincatis,* & Ouid. 5. trist. eleg. 8. à loco sic se excusat.

Sique videbantur casu non dicta latinè:
In qua scribebat barbara terra fuit.

EXPENSIO VIGESIMA SECVNDA.

De Antecedentibus, Concomitantibus, & Subsequentibus.

HAec tria adiuncta plurimum valent ad orationis ornamentum, & tantum habent fœcunditatis, vt illis sæpè vtantur Oratores, siuè in genere demonstratiuo, siuè deliberatiuo: hæc enim adiuncta vocantur seminarium argumentorum, dicuntur adiuncta, quia cum re, siuè intrinsecè, siuè extrinsecè, aliquo modò coniunguntur. Antecedentia sunt illa, quæ rem antecedunt, vt si Rhetoricus esse cupis priùs Grammaticæ debes studere, ac linguæ Latinæ nauare operam: quæ rem antecedũt, vt plurimum sunt, causæ, consilia, colloquia, iniuriæ, consuetudo, minæ, promissa. Cic. ab antecedentibus probat, Syllam non coniurasse, in eius defensione, num. 38. *Nunc quis est, qui dicat in campum adspirasse Syllam, at qui se cum Catilina societate coniunxerat, cur ab eo discedebat? cur eum Antonio non erat? cur in pari causa, non paria signa criminis reperiũtur? hoc tempore cum arderet acerrimè coniuratio, cum Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus*

in

in Vrbe relinqueretur; Cassius incendijs, Cethegus cędi proponeretur, Antonius, vt occuparet Etruriam proscriberetur, cum omnia ordinarentur, instruerentur, ac pararentur, vbi fuit Sylla Cornelijnum Romæ? imò longè abfuit &c.

Concomitantia sunt ea, quæ rem necessariò concomitantur, vt locus, tempus, occasio, modus, facultas, seù instrumenta; hæc tamen adiuncta concomitantia ad septem reducuntur capita, quæ trito in hoc versiculo continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quæ adiuncta vt vidimus in precedentibus Expensionibus fontes amplificationum, ac argumentationum eximios suggerunt; & Seneca ab adiunctis sic de auaritia loquitur. *Quid agis auaritia? nolo tuas opes recognoscere, nec laminas vtriusque materiæ, ad quas cupiditas nostra cæcutit: deinde video istic diplomata, & cautiones vacua habendi symulachra, ac vmbras quasdam auaritiæ laborantis, per quas animi decipiuntur, quid enim ista sint, quid fœnus & Kalendarium, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina.*

Consequentia illa sunt, quæ vel mora, vel ordine sunt posteriora, & rem consequuntur; vt morbus post inordinatum viuendi tenorem, calor & sudor, post longum cursum, pallor, incessus titubans, hæsitatio post auditas minas. Argumenta à consequentibus tali pacto conficiuntur: Antonius est homo cõstans ex anima rationali, spirituali, immortali, creata ad imaginem, & similitudinem Dei; ergo in extremo Iudicio stabit ante Tribunal Christi; ergo illum videbit diem, quo Cæli columnæ magno fragore, fremituque concussæ, cum ipso Angelorum horrore contremiscent, quo Stellæ repentino flammarum tractu decussæ, vt arborũ frondes decident, quo Luna cruentabitur, quò purissime Solis faces atra fuligine se induent, quo ædificiorum molitiones, incrustatæ marmoribus inter minuti pulueris quisquilias diflagrabunt, quo Celestes tubæ ingenti fremitu tonabunt, & tot corpora, quæ pontus hausit, ignis absorbuit, ferrum consumpsit, ferarum dentes moluerunt, morbus attriuit, mors interfecit, carne vestita, ac spiritu animata consurgent.

EXPENSIO VIGESIMA TERTIA.

De Contrarijs.

SIcuti contraria contrarijs opposita, magis elucescunt, sic etiã oratoria in facultate, argumenta, quæ à contrarijs eruuntur, inter cætera plus habent splendoris, ac nitoris, vndè hic locus est pugnantis Palladis area, in qua collidentium inter sese argumentorum acumina, gratum aperiunt spectaculum. Ex Aristotele in cap. de oppositis in quatuor diuiduntur species, ea quæ inter se opponuntur; nempè in contraria, priuata, relata, & contradictoria: contraria illa dicuntur, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt, vt calor, frigus sub eodem genere qualitatis. Priuata sunt illa, quæ nata sunt fieri circa idem, tempore à natura statuto, & absque regressu, vt cæcitas hominis: Relatiua tandem sunt illa, quæ ad inuicem ordinantur, vt Princeps subditus, Pater filius, dare accipere, agere pati. Contradictoria postremò sunt, quæ negant id, quod priùs affirmarunt; vt *pius est, pius non est*. argumenta à contrario, sic educuntur: si vitium fugimus, quia malum, quia turpe, ergo virtutem sequamur, quia bona, quia honesta est: Virg. etiam XI. Aeneid. à contrario, sic arguit;

Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes.

Ad amplificationes plurimum etiam valet Tertullianus à contrarijs amænè loquitur in Apolog. cap. 27. Demochritus, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret, se ipsum excæcauit, sicque pharmacum porrexit incontinentiæ; at Christianus saluis oculis fœminam videt, & animo aduersus libidinem est cæcus; si de probitate loquar, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis Thoros alia superbia deculcat; Christianus, nec in pauperem superbit: si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Priennenses tyrannidem affectant, Christianus vero, nec in propria Vrbe aliquem lædit; si de simplicitate sermonem habeam Aristotelis familiarem suum Hermiam turpiter loco fecit excidere; Christianus, nec inimicum suum offendit.

Priuatiua sunt habitus, & eius priuationes, vt visus cæcitas; lux tenebræ; scientia, inscitia; a priuantibus hoc modo potest argumentari

mentari, hic homo cæcus est, ergo visum cupit; Tyrannus inhumanus est, ergo humanum sitit sanguinem, à Priuantibus argutę fiunt amplificationes, tali modo extendo cæcitatem Heleonoræ Austriacæ, Ferdinandi Secundi sororis, quæ cum Missæ sacrificio de more adesset cæcitatem fuit passa oculorum. Felix oculorum iactura? animus fit Argus; nemò dicat Heleonoram factam ex Aquila perspicacissima cæcutientem Talpam, ex Lynce oculatissimo exoculatam fœminam, nam si videre corpore desijt, cepit animo melius contemplari; humana sapientia iactabat olim Demochritum; qui vt ipsa semper videret mente, nunquam videre voluit fronte, & vt fieret sapientiæ Sol, libentissimè tulit syderum suorum eclypsim, & vt frueretur Sapiẽtiæ die, voluntariam subijt cęcitatis noctem; at Heleonoram pietas nitidissimum fecerat Solem, mirum non sit, si oculorum eclypsim est passa; nequeunt simul, & semel, lucere cum Sole sydera: scio geminos habuisse discipulos Platonem, qui philosophiæ amore succensi, sibi lumina extinxere oculorum, vt lumina euaderent philosophico in Cælo, quid ni? Heleonora, vt sanctioris sapientiæ acquireret lumen, lumina libenter perdidit. Iactura non est vocanda illa oculorum, sed lucrum, quid enim oculi sunt? nisi impudici amoris duces, quibus æternum ducuntur ad ignem homines, qui veluti Pyraustę impudicæ Veneris ad ignem circumuolant? quid oculi sunt? nisi piscatoris Cupidinis retia, quibus diabolus incautos expiscatur iuuenes? quid oculi sunt? nisi sagittarij amoris pharetræ telis grauidæ, quibus sauciantur animæ? quid oculi sunt? nisi adapertæ fineſtræ, per quas mors ingreditur in animũ? quid oculi sunt? nisi bipatentes pectoris fores furibus apertæ? quid oculi sunt? nisi ardentissimi amoris faces, quibus vsque ad necem succenditur homo? quid oculi sunt? nisi fontes omnium malorum? scio Petrum Abbatem Clareuallensem vnius oculi amisso vsu, præ gaudio exilientem dixisse, quòd è duobus inimicis alterius molestiæ iam liber esset; quanta tu Heleonora deberes lætitia repleri, cum geminos hostes habeas extinctos: Iactet antiquitas perspicacissimos Tiberij oculos, quibus etiam cæcas noctis vmbras vincebat, vt sine face libros legeret: Tibi gratulor Heleonora præ tanta oculorum iactura, quando frontis acuminibus nonnullos mortis vmbras legimus exhausisse, nonne Dynna olim Hebrearum fœminarum pulcherrima, quia exteras mulieres nimia voluit cernere curiosi-

tate ab hostibus capta illum amisit florem, qui nullo auri, argentíque pretio venalis est? nonne Dauid Palestinus quondam Orpheus Bersabeæ in aspectu, vt basilisci ab oculis venenum hausit, & mortem? Olophernem, quis crederet! Sandalia formosissimæ Iudithę perdiderunt, & pedes vnius mulierculæ, tam grande exercitus caput presserunt, & compressum conculcarunt: vel ignes accendunt oculorum niues, visa Susanna, cuius nomen Rosam sonat, ac lilium, senes facti sunt iuuenes, non ætate, sed libidine: te igitur felicem dico Heleonora, quæ sine oculorum vsu feliciùs diuino frueris Sole.

Relata verò sunt ea, quæ ad inuicem ordinantur & mutua naturalis affectionis consociatione complectuntur, vt *dare accipere*, *Pater filius*, plurimum valent relata ad argumenta texenda: à relatis sic arguit Cicero pro Marcello, *Ex quo profectò intelligi debet, quanta in dato beneficio sit laus, cùm in accepto tanta sit gloria.*

Contradictoria, quæ nihil aliud sunt, quam opposita, quorum vnum negat id, quod alterum affirmat, & simul de eodem vera esse non possunt vim habent ad pressè, ac subtiliter vrgendum, ac conuincendum aduersarium Cic. 1. Tusc. Mortuos non esse miseros probat contra Epicurum, quod esse & non esse contradicentia sint: quæ simul vera esse non possunt, nec falsa, ergo cum mortui non sint, nec erunt miseri, alioquin simul essent, & non essent.

EXPENSIO VIGESIMA QVARTA.

De Veterum Testimonijs.

AD argumentorum confirmationem veterum testimonia plurimum obtinent dignitatis, ac roboris, si tamen ab Authoribus fide dignis ijsque grauibus, & eruditis fluxerint: veterum testimonia in philosophicis ex Platone, Aristotele, Socrate, & Pythagora, ac Zenone: in Theologicis ex Sanctissimorum Patrum voluminibus erunt eruenda, eorum tamen vsus debet esse moderatus; ad orationis confirmationem Ethnicorum carmina adducere moderatè tamen Oratorem non dedecet; vnde Diuus August. serm. de Inno. Illius carminis meminit;

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Sic

Sic D.Paulus in orat. habita apud Athenas illud Arati vſurpās, ait;
Ipſius enim, & genus ſumus.

Ethnici etiam Philoſophi oraculis ex Delphis Tripode, vel Dodonei Iouis ſortitis lucu, ſua dogmata comprobarunt: & bene nam in mentem reuocate illud Ageſilai, qui percunctatus à quodam, quam ob cauſam Sparta, nullis mçnibus cingeretur; ciues armatos, & ſumma animorum conſentione iunctos oſtendit inquiens: *hac pectora, mçnia ſunt Spartæ*, aliquando veterum teſtimonia robur ſunt, & vis orationis.

Veterum teſtimonia præcipuè debent eſſe ſententioſa, quapropter ſententiæ dumtaxat ab antiquis ſunt eruendæ. *Sententia eſt dictum vniuerſale perbreue ad mores pertinens, ac aſſeueranter prolatum:* ſententijs Sacra Scriptura in Prouerbijs, Sancti Patres, ac inter Ethnicos Seneca, Saluſtius, Cornelius Tacitus abundant.

Cçperunt efflorеſcere ſententiæ non apud Romanos, ſed apud Græcos, nec primis quidem temporibus, quibus candidior, & liberiori profluentis naturæ impetu ferri videbatur oratio; ſed poſt quam magni nominis ſophiſtæ, philoſophiæ præceptis inſtructi, nec mediocribus eloquentiæ adiumentis innixi, quædam dicta aurea ex Lycei, & Academiæ hauſta fontibus, amænis ſententijs orationes texere cçperunt, & veluti auro gemmas includere; nonnullas hic ſubijcio Græcorum ſententias ad latinam linguam tranſlatas: quia cenſeo non fore opus ingratum. Ex Philemone Comico Græco, quod vita breuis ſit, ac curis plena;

Paucioribus gaudijs fruimur, quam dolore, & moleſtia.

De cognoſcendo ſeipſum; *Cognoſce te ipſum: non temerè crede mihi, hoc dictum celebre eſt apud Delphos.*

In iram; *Inſanimus omnes, cùm iraſcimur;*
Nam iracundiam cohibere laborioſum eſt.
Omnia, quæ iratus agit errata poſtmodum intelligit.

Ex Diphilo Comico Græco in auaritiam; *Accipere ſi non eſſet nullus foret malus.*

De vita moleſta; *Homo ſum idipſum autem vita, maximam dolendi cauſam fert. Non eſt vita, quæ repleta non ſit malis, doloribus, curis, rapinis, tormentis, morbis.*

De tempore; *Canus artifex eſt tempus hoſpes,*
Omnes in ſtatum deteriorem transformarè gaudet.

In Paupertatem; *Homine paupere, nil fortunatius eſt.*

Muta-

Mutationem enim in deteriorem statum non timet.

Ex Menandro in plebē; *Tumultum plebis fugito, atq; petulantiã,*

Robusta plebs est, at mentem non habet.

De Iustitia; *At quisquis potens iniuriam inferre, non vult.*

Vir iustus est, qui nemini infert iniuriam.

In silentium; *Damnosa est omnis lingua temeraria, & vana;*

Melius est tacere, quam loqui, quæ non decent.

Non tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Ex Seneca; *Nil prodest didicisse, si cessas benefacere.*

Vtendum est diuitijs, non abutendum.

Res optima est non sceleratos extirpare, sed scelera.

Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus viuere, & sapientiam adipisci.

In mortem non repentè incidimus, sed minutatim procedimus, quotidiè morimur, quotidie enim dimittitur aliqua pars vitæ hanc enim, quam agimus diem, cum morte partimur.

Satis longa vita, si tota benè collocatur.

Quod tacitum esse velis nemini dixeris: si tibi non imperasti? quomodo ab alio silentium speras.

Omnes infantes, terra nudos excipit: non te pudet: fortiùs nasci, quam viuere?

Hæredis fletus sub persona risus est;

Aduersa auersis, sunt aduersa, probis secunda.

Quia censeo opus fore gratum, ac perutile amasijs sacrarum literarum, ac præcipuè Diuini Verbi Præconibus aliquas, hic subijcere sententias ex Sanctis Patribus decerptas, ac ex Sacris Codicibus depromptas; ideò amæniores, ac vtiliores sententias, quas ex Sanctorum Patrum voluminibus potui excerpere per proprias cathegorias veluti flores ad spirituales animi delicias, atq; ad commodum Diuini Verbi Præconum hic subijcio.

CENTVRIA SENTENTIARVM
Ex Sanctis Patribus, ac Sacrorum Codicum locis depromptarum.

DE IEIVNIO.

1 S. Isidorus (*super Amos Proph.*) qui cibis abstinent, & mala agunt Dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus deest.

2 D. Leo Papa (*serm. 4. de Ieiu.*) non in sola abstinentia cibi

stat

ſtat ratio noſtri Ieiunij, niſi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.

3 D. Ambroſius *(lib.10. Epiſ. ad Vercell. Eccl.)* Dominus Ieſus volens aduerſus diaboli tentamenta fortiores reddere creaturas ieiunauit, vt ſciremus, quia aliter illecebras mali non poſſemus vincere.

4 Idem *(ſerm.25.)* Diabolus terretur pallore Ieiunij, debilitatur *inedia*, infirmitate proſternitur, quia Chriſtiana infirmitas fortitudo eſt, vnde Apoſtolus 2.*Corinth. cùm infirmor, tunc fortior ſum*.

5 Cęſarius Arelatenſis Epi. *(Homil.27.)* quid prodeſt afflictio corporalis, ſi linguam nequitijs, & obtrectationibus polluamus? nonne omnes labores noſtri ad nihilum rediguntur? agnoſcite itaque Fratres chariſſimi, quod ad ſalutem perpetuam acquirendam abſtinentia ſola corporalis non ſufficit, niſi & animæ quoque ieiunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum.

6 S. Auguſtinus *(ſerm. 192. de Tempore)* imple miſerationis officia, & ſanctificatti Ieiunia, ſagina pauperum viſcera, & anima tua muneribus ſanctitatis pingueſcit, peregrinum hoſpitio tuo contende ſuſcipere, vt te Deus in Cęlorum regna ſuſcipiat.

7 D. Hieronymus *(ad Calentiam)* quid prodeſt tenuari corpus abſtinentia, ſi animus intumeſcit ſuperbia? quid vtilitatis habet vinum non bibere, & ira, & odio inebriari? tunc enim præclara eſt abſtinentia corporis, cum animus ieiunat à vitijs.

8 D. Ioan: Chryſoſtomus *(ſerm. 1. de Ieiu.)* Ieiunium ſententiam Dei reuocauit, dixit enim, ſubuertetur Niniue, & non eſt ſubuerſa adhibuerunt enim Ieiunium, & effugerunt.

9 Tertullianus *(lib. contra Pſychos cap.6.)* Elias cum in ſpeluncam diuertiſſet, quàm familiari congreſſu Dei exceptus eſt? quid agis hic Helias? multo amicior iſta vox, quam Adam vbi es, illa enim paſto homini minabatur, iſta ieiuno blandiebatur, tanta eſt circumſcripti victus prerogatiua, vt Deum præſtet hominem contubernalem parem, reuera pari.

10 D. Ioann. Chryſoſtomus *(Homil. de Pænitentia expendens illud Geneſis 2. de ligno ſcientiæ boni, & mali non comedetis)* ita, ait ille, ſi in Paradiſo ieiunium neceſſarium fuit, extra Paradiſum multò magis; ſi ante plagam vtilis medicina fuerat, multò magis poſt plagam, ſi nondum bello voluptatum inſurgente nobis arma

poſt

fuerant opportuna, multò magis post voluptatum, vitiorumque prælium à dæmonijs nobis illatum.

DE PŒNITENTIA.

11 S. Gregorius *(Homil. 34.)* Pœnitentia est perpetuò peccata plangere, & plangendo non committere.

12 D. Ambrosius *(de Dauid lib. 1.)* peccauit, quod solent Reges, sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit quod Reges non solent, confessus est culpam, & obsecrauit indulgentiam.

13 D. Augustinus *(in lib 50. Homiliarum Homil. vltima)* non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleëmosynis.

14 Idem *(de Mirabilibus Sacræ Scripturæ)* vis, quod est incertum euadere; age pœnitentiam dum sanus es, si ita agis dico tibi, quod securus es; *& alibi*, pœnitentia, quæ ab infirmo petitur infirma est, quæ verò à moriente vereor, ne & ipsa moriatur.

15 Idem *(in Soliloquijs)* inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihil prosunt lamenta si replicentur peccata, nihil valet de malis veniam poscere, & mala denuò iterare.

16 Idem *(in lib. 50. Homiliarum Homil. vltima)* quid infelicius? quid peruersius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura eius erubescere, hoc est non erubescere de peccato, & postea erubescere de pœnitentia.

17 D. Basilius *(serm. 58. de Tempore)* quomodo aget pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? pœnitentia, quæ à moriente petitur, vereor, ne mortua sit, & ideò dilectissimi quicunq; vult inuenire misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, vt sanus esse valeat in futuro.

18 Idem *(serm. 164. de Tempore)* quando te corrigis, quando mutaris? cras inquis, ecce quoties dicis, cras cras, factus es coruus; ecce dico tibi, cum facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina, & ille coruus, cuius vocem imitaris exijt de arca, & non redijt.

19 D. Augustinus *(serm. 58. de Tempore)* erit tempus, in quo peccator volet pœnitere, & non poterit, quia quando potuit noluit; & propter malum velle perdidit bonum posse.

20 Idem *(serm. 36. ad Fratres in Eremo)* age pœnitentiam dum sanus es, & si sic agis dico tibi, quia securus es, quia pœnitentiam egisti

egisti eo tempore, quando peccare potuisti, si vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

21 D. Bernardus (*serm. 79. in Cantica*) cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ego ipse, an non cinerem, tanquam panem manducat? ego autem quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo, mandor cum arguor, glutior cum instruor, decoquor cum immutor.

DE TRIBVLATIONE.

22 D. August. (*lib.4 de Ciuit. Dei cap.3.*) iustis quidquid malum irrogatur non est pœna criminis, sed virtutis examen.

23 D. Ambrosius (*in Psal.38. in illa verba Hieremiæ cap.1. quid tu vides virgam vigilantem ego video?*) Hieremia priùs baculum vidit, deinde ollam feruētem, sed cur priùs baculum postea ollam feruentem? quia, qui baculo tribulationis non corrigitur in ollam Gehennæ mittitur, vt ardeat.

24 Idem (*super illud Pauli, Vobis donatum est, vt patiamini pro Christo*) pati pro Christo non datur, nisi amatoribus Christi; summa dignitas, & gratia illa est.

25 D. Augu. (*in Enchiridion cap. 11.*) ideò Deus substinet malos in hac vita, vt ministrent bonis præbendo illis materiam meritorum.

26 Idem (in *in Psal. 114.*) flagellat omnem filium, quèm recipit, nec tam amarum mihi debet esse, quod flagellat, quam dulce, quod recipit, & super Psal. 35. nullus seruus Christi sine tribulatione est, si putas te nondùm habere persecutiones; nondùm cœpisti esse Christianus.

27 Idem (*super verba Psal. 133. in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum*) facile est benedicere in diebus? quid est in diebus; in rebus prosperis: nox enim tristis res est, dies res est læta: quādo tibi bene est benedicis Dominum, quando filiū desideras, & nascitur benedicis Dominum; ægrotabat filius liberatur? benedicis Dominum: benedicite igitur Dominum, quando? in noctibus, quando benedixit Iob? quando tristis nox erat; ablata sunt omnia, quæ possidebantur, ablati sunt filij, quibus seruabatur, quam tristis nox? sed videamus si non in noctibus benedixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

S   28 Idem

28 Idem (*in illa verba, quem diligit Dominus corrigit, & quasi pater in filio complacet sibi*) flagellat Deus omnem filium, quem recipit: es tu forte exceptus à passione flagellorum? exceptus es à numero filiorum.

29 D. Bernar. (*serm. 2. de Ascensione Domini, quòd tribulatio ipsum Deum etiam exaltauit*) Christus cum per naturam Diuinitatis non haberet, quo cresceret: vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret inuenit, veniens Incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltauit illum.

30 D. Basilius (*annotatione 103. lib. 1. Regum*) sagittæ, quæ iuxtà nos à potenti Dei manu, interdum iaculantur non ad interitum sunt, sed ad salutem, quoniam signa sunt amoris diuini, nō furoris.

31 D. Anselmus (*in illa verba 2. ad Corinth. 9. fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*) illud facit prouenire, quod potest humana fragilitas sustinere: cum viribus tentamenta modificat, nec permittit vltra virium vestrarum mensuram, tentationis pondus excrescere.

32 D. Gregorius (*lib. 16. moralium cap. 16.*) aurum in fornace ad naturæ suæ claritatem proficit, dum sordes amittit; probantur animæ iustorum, quibus exustione tribulationis, & subtrahuntur vitia, & merita augentur, & lib. 12. cap. 15. reproborum vita, tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur.

33 Beda (*super illa verba primæ Petri 2. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exempla, vt sequamini vestigia eius, ait Beda*) Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exempla, non quidem deliciarum, sed tribulationum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, spinarum, Crucis, vulnerum, & mortis.

34 S. Hieronymus (*in epist. ad Cypr.*) quando in hoc seculo morborum crudelitate fuerimus afflicti, tantò post resurrectionem in futuro maiora præmia consequemur.

35 D. Ioan. Chrysost. (*Homil. 3. super illud Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt*) duo diuersa conspicio, quod flet, & quod consolari contemnit, si enim fleuit, cur consolari contempsit? aut si noluit consolari, cur fleuit? conditio à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur, plangit affectus, sed Fide exultat.

36 Seneca

36 Seneca ad Christiani erubescentiam (*lib. 2. de Prouidentia Dei cap. 2.*) nullum spectaculum Ioue dignius, quam virum fortem intueri cum aduersa fortuna luctantem, & paulo inferius, nihil eò infelicius, cui nihil euenit aduersi: argumentum est, talem à Deo contemni, vt imbellem, & ignauum? erubescat, addo ego, Christianus ad huius Ethnici verba.

37 Origenes (*Homilia 20. in Exodum*) ego opto, vt dum in hoc sæculo sum, visitet Dominus peccata mea, ne in alio audire merear, fili recordare, quod recepisti bona in vita tua; *Idem in illa verba Oseæ 4. Non visitabo super filias vestras, cum fuerint ex fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulterauerint, ait Origenes*, vis audire indignantis Dei terribilem vocem, audi, quod dicit per Prophetam? cum enumerasset multa nefanda, quæ commiserat populus, addit etiam hæc (*Et propter hoc non visitabo super filias vestras, cum fornicatæ fuerint, & super sponsas vestras, cum adulterauerint*) hoc est terribile, hoc extremum, cum iam non corripimur pro peccatis, cùm iam non corrigimur delinquentes, nunc enim cùm excesserimus peccandi modo, Deus zelans auertit à nobis zelum suum.

SVPER PRAELATOS.

38 Glosa (*in cap. 4. Iudicum*) Apis habet aculeum pungentem, & facit mel consolans, & in bono Prelato debet esse rigor iustitie, & dulcedo misericordiæ.

39 S. Thomas à Villa noua (*serm. de Dominica 3. Aduentus*) felices, qui solum de seipsis in die iudicij reddituri sunt rationem; nam altitudo dignitatis officij, quasi præcipitium, timenda est.

40 Origenes (*in illa verba, tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel, Homilia 20. num. 25.*) populus peccat, & Principes suspenduntur, non enim tantum pro suis arguuntur delictis, pro populo enim coguntur Principes, reddere rationem; ne fortè non docuerint, non monuerint, non sollicitè arguerint eos, qui primùm peccauerunt, ne contagio dispergeretur in populos, in ipsos enim conuertetur ira Dei, & cessabit à populo; hæc si cogitarent homines; dignitatem, ac prælaturam non ambirent, sufficit enim pro peccatis proprijs argui, & reddere rationem.

41 D. Augustinus (*serm. in Parasceue, in illa verba Lucæ, memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*) dic mihi latro

regnum petens; quid in eo tale vides, ex quo regnum petis? dic mihi in perſpicuo eſt, clauem, & Crucem cernis, ſed hæc Crux ipſa regni inſigne eſt,& per eam Ieſum regem appello; quia video Crucifixum, opus enim Regis eſt pro his vitam, quibus regnat exponere; nam bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

42 D. Ioannes Chryſoſtomus (*ſuper illud Matth. 25. alligant onera grauia*) circa vitam propriam eſto auſterus, circa vitam aliorum benignus: audiant te homines, parua mandantem, & grauia facientem.

43 Oleaſter (*ſuper illa verba Iſaiæ 9. factus eſt principatus ſuper humerum eius*) putant vſque hodie inſenſati filij Adam, imperia, regna,& principatus huius ſæculi honores eſſe, non onera: quos puer noſter arguit, qui ſuum principatum, quaſi graue onus ſuper humeros gerit, non ergo Prælate, aut Princeps, cùm ad prælaturam vocaris, te ad honorem vocari putes, ſed ad onus, & ſub præfectura tibi gerendum puta, ſicut ſub onere graui. Et Claudianus;

Regis ad exemplar, nec ſic inflectere ſenſus,
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Et Martialis; *Regis ad exemplum totus componitur Orbis.*

SVPER DIVINAM EVCHARISTIAM.

44 D. Ambro. (*ſuper illud Matth. cap. 10. eſtote prudentes ſicut ſerpentes*) ſerpens cum venerit ad bibendum aquã, priuſquam bibat, extra fontem euomit venenum ſuum, & poſtea bibit; ita, & nos quando ad Altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum: hoc eſt iracundiam,odium,inuidiam, falſitatem, & ſic de Altare Domini Corpore, & Sanguine eius ſatiemur.

45 Idem (*lib. de Sacramentis cap. 4.*) ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, quod quotidie paſcit.

46 Algerus (*lib. 1 de Sacramentis cap. 18. tomo 6.*) Corpus eius nobis viaticum eſt, ne moriamur, & deficiamus in via.

47 D. Auguſtinus (*Tractatu 84. in Ioan.*) dicere audeo, quod Deus, cum ſit omnipotens plus dare non potuit, cum ſit ſapientiſſimus plus dare neſciuit, cum ſit ditiſſimus plus dare non habuit.

Idem

48 Idem (*Super illa verba Matt. 22. Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*) rogo vos fratres diligenter attendite: si ad mensam cuiusque potentis hominis nemo præsumit, cum vestibus conscissis, & inquinatis accedere; quanto magis à conuiuio æterni Regis, idest ab Altare Domini, debet se vnusquisque inuidiæ, vel odij veneno percussus, vel iracundiæ furore repletus, cum reuerentia, & humilitate subtrahere: propter illud, quod scriptum est, amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? de quo legitur, quod ligatis manibus, & pedibus missus est in tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dẽtium. Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, idest ad Altare Domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præsumit accedere.

49 Idem (*serm. 1. in Cæna Domini*) oportebat, vt mensa illa Angelorum lactesceret, & ad paruulos perueniret, *& alibi trac. 25. in Ioan. 6.* qui manducat hunc panem inuisibiliter renascitur, intùs infans est.

50 D. Hieronymus (*ad Amand.*) Dominus, ac Saluator noster, nunc est pars in singulis, & in Salomone Sapientia, in Dauid Bonitas, in Iob Patientia, in Petro Fides, in Paulo Zelus, in Ioanne Virginitas, in cæteris cætera, in Eucharistia ipse est omnis.

51 D. Gregorius (*lib. 2. Regum, super illa verba 1. Corint. 11. probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*) quid enim est hoc loco se probare, nisi euacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mẽsam, & purum exhibere?

52 D. Gregorius Papa (*serm. de Cæna Domini*) magnum quidem bonum est, vt Christo Domino incorporemur, quod fit per hoc Sacramentum Eucharistiæ.

53 D. Gregorius Nyssenus (*Orat. in Cant.*) nostra ad hunc panem edendum præparanda sunt corda, vt tali epulo refecti ad altiora in fortitudine cibi illius transeamus.

54 D. Ioann. Chrysos. (*Homil. 1. in Psal. 50.*) Mater cùm genuerit filium statim eum tradit foris, & pietatis insignia abscondit, superbia erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater; Christus autem non ità, ipse nutritor, & mater est, ideò & pro cibo propria nos Carne pascit, & pro potu suum Sanguinem propinauit.

55 Idem (*Homil. 42. in 1. ad Corinth.*) vult comedentes hunc

panem

panem Aquilas esse ima, & terrena deserētes ad ipsum accedamus, & ardenti charitate inde effecti Aquilæ ad ipsum Cælum euolemus.

56 Idem (*super illud Psal. 22. parasti in conspectu meo mensam*) qui tribulationes carnis habent, veniant ad mensam potentis, & tribulationes fiunt consolationes.

57 D. Ioan. Damascenus (*lib. 4. cap. 14.*) hoc Sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis Deitatisque participes efficit; nosque inter nos in eodem Christo conciliat, atque coniungit, & veluti vnum corpus coagmentat.

58 D. Ioann. Chrysostomus (*Homil. 24. super illud Matth. vbicumque fuerit corpus ibi congregabuntur, & Aquilæ*) Aquilas vocat, ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsùm trahi, & serpere, sed assiduè sursum volare ad Solem Iustitiæ conspicere, acutosque, & perspicaces habere mentis oculos, Aquilarum enim, non Gracculorum, hæc est mensa.

59 Idem (*super illud Ioann. cap. 13. in fine dilexit nos*) quid amplius pro amore nostro præstare potuit, quam vt seipsum vescendum traderet nobis.

60 Gerson. (*lib. de Præparatione ad Missam*) Christus ignis est, etiam si frigidus sis; dummodo in peccato mortali non sis, accede; nam sæpè accedit homo ad Eucharistiam frigidus, & indeuotus, & post illam feruidus incalescens inuenitur.

61 Tertull. (*lib. de Resurrectione carnis, cap. 6. loquens de Eucharistia*) ò mensa admiranda, quæ aduersus superbiam, humilitatem; aduersus inuidiam, charitatem; aduersus auaritiam, eleēmosynam; aduersus libidinem, castitatem; aduersus vitia omnia, virtutes subministrat; aduersus hostes, arma præbet!

SVPER MORTEM.

62 D. Augustinus (*lib. 2. contra Pelagianos*) nihil sic hominem à peccato reuocat, sicut frequens mortis meditatio.

63 Idem (*lib. Confessionum*) nihil me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis.

64 D. Basilius (*orat. de morte*) perpende obsecro plurimos violentis periculorum incursibus esse raptos, quibus ne vocem quidem emittere ob mali irruentis atrocitatem permissum est? Quid igitur

igitur expectas? tempus, quod incertum est? num cogitationum etiam tuarum Dominus es futurus?

65 Idem, contemplare ſepulchra, diſcerne captiuum à Rege; robuſtum ab imbecilli; formoſum à deformi; hoc modo fatalem naturæ curſum ſi expendes; nunquam, mihi crede, intumeſces.

66 D. Hieronymus (*Epiſ. ad Cyprianum*) qui ſe quotidie recordatur moriturum contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.

67 D. Gregorius (*lib.17. Moral.*) ideo voluit Deus, vt hic dies nobis incertus, ac incognitus remaneret, vt Dum ſemper ignoratur, ſemper etiam proximus eſſe credatur.

68 Ephrem Syrus (*ſerm. de vita ſpirituali*) inclinemus nos ad ſepulchra, & conditionis occulta perſpiciamus, ex cadaueribus permixtos oſſium aceruos, graniaque, cum reliquis oſſibus permixta cernamus, & hæc conſiderantes nos ipſos in illis, veluti in ſpeculo quodam contemplabimur. Vbi iuuentutis flos, & pulchritudo? vbi venuſtus ille genarum color? hæc nobiſcum cogitantes, carnis deſideria fugiamus, ne in iudicij die confundamur.

69 D. Bernardus (*ſerm. de villici iniquitate*) mors eſt crux horribilis, ad quam quotidie feſtinas, & non attendis? vide quomodo te crucifigit, crura diſtenduntur, manus, & brachia decidunt, pectus anhelat, ceruix langueſcit, labia ſpumant, oculi ſtupeſcunt, vultus horreſcit, facies exudat, & morte tacta palleſcit, & hæc vtique quæ videmus deforis, & quæ ſentimus, læuia ſunt ad ea, quæ intus anima miſerabilis iam prægustat.

70 D. Thomas (*in Catena in Matth.25. ſuper illud dormitauerunt omnes*) dormitare eſt ante mortem langueſcere, quia per pondus ægritudinis peruenitur ad ſomnum mortis.

71 Zeno Epiſ. Veronenſis (*ſerm. de præcepto attende tibi*) intuere, & inſpice ſepulchra ſi potes diſcernere, quis ſit dominus, quis pauper, quis ſit diues; vide ſi potes ibi diſcernere plebeum à Rege; virum fortem, ab imbecilli; decorum, ab informi; ſi ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occaſio, ſed ſemper memor eris tui.

72 Tull. (*de Senectute*) quis eſt quamuis ſit adoleſcens, qui exploratum habeat ſe ad veſperam eſſe victurum?

DE AVARITIA.

73 D. Anſelmus (*ſuper epiſ. ad Ephesios*) auari Deus, nummus eſt.

74 D. Augustinus (*serm. 21. de verbis Domini*) desiderauit guttam, qui non dedit micam.

75 Idem (*Epis. 3. ad Ioan. comitem*) Auarus similis est Inferno; Infernus enim quantoscumque mortuos deuorauerit, nunquam dicit satis est, sic & omnes thesauri si circumfluxerint in Auarum, nunquam satiabitur.

76 Idem (*serm. 48. ad Fratres in eremo*) ò homo auaritia plenus, an ignoras, quod tria sunt insatiabilia, & quartū nunquā dicit sufficit! & quid est quod nunquam dicit sufficit, nisi animus hominis, qui nunquam dicit satis est? ò homo non ignoras, quod omnium malorum radix auaritia est, & seruitus Idololatriæ, mater vsuræ, genetrix simoniæ? fomes culpæ, pœna viæ, nutrix gehennæ? ò auaritia abyssus insatiabilis, semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis? ò pestis interminabilis! ò famelica rabies! nam omnia suis terminis clauduntur; sola auaritia nullo clauditur fine, omnia in homine senescunt: vitia sola auaritia iuuenescunt; ò rabies omni fine carens, terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cælum suis finibus arctatur, sola auaritia terminum nescit; ò auare, qui si terræ, & cæli Deus fueris nunquam quieueris; donec fueris superior altissimo; ò pestis dæmone sęuior, nam Dæmon similis Altissimo esse voluit, sed auarus super Deum, si posset, ascendere vellet.

77 Idem (*in illa verba ad Romanos 8. quis nos separabit à charitate Christi &c. serm. 10. de Sanctis*) auarus dicit in corde suo, quod forte non audet lingua sua: quis nos separabit à cupiditate auri? tribulatio, an angustia, an persecutio? possunt, & auari dicere auro, propter te occidimur tota die.

78 D. Basilius (*Homil. 9. in ditescentes*) Auarus quanto plus accipit, tanto plura desiderat.

79 D. Gregorius (*14. moralium loquens de auaritia*) abundantia, quam ob requiem quæsierant, nunc ob custodiam grauius laborant.

80 D. Hieronymus (*in quodam serm.*) omnia vitia cum ætate senescunt; sola auaritia semper floret.

81 D. Ioan. Chrysostomus (*Homil. 81. in Matt. de Auaritia*) tantus namque est auaritiæ furor, vt hæc Iudam, & proditorem nequissimum, & sacrilegum nefandissimum faciat; audite hæc omnes

auari

auari, qui grauissimo Iudæ morbo laboratis, & teterrimam hanc ægritudinem fugiatis, nam si qui vna cum Christo viuebat, qui doctrinam Christi audiuit, si qui signa fecit; in profundissimum malorum baratrum ex hac ægritudine præcipitatus est; multò faciliùs vos, qui sæcularibus rebus affixi estis; hic morbus aggreditur, nisi iugiter, atque perpetuè vigiletis.

82 Beda (*in sent.*) quis diues? qui nihil cupit, & quis pauper? auarus: ipse enim propriæ est causa miseriæ ingerens sibi sitim, auaritia desideratis opibus, non extinguitur, sed augetur.

83 D. Leo (*serm. 6. de Passione*) nullum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.

84 Origenes (*Homil.35.in Matth.*) Iudæ Hischariotis imitatores in Christi Domini venditione sunt omnes auari, qui propter res temporales eijciunt ab Anima sua Saluatorem; qui eum contemnunt propter auaritiam, aut lucrum pecuniarum: tales enim dicunt dæmonibus, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.

85 D. Chrysologus (*serm.48.*) multos facit auaritia inter diuitias indigere iudicium enim Dei est, vt in eo quo quis deliquit puniatur, vt semper indigeat, qui semper indigentiam timet.

SVPER DIVITIAS.

86 D. Augu. (*lib. 31. confessionum*) omnis mihi copia, quæ Deus non est, inopia est.

87 D. Ambro. (*lib. de bab. Israëlita cap. 14. super illud Psal. 25. viri diuitiarum*) benè viros diuitiarum appellat, vt ostenderet eos non esse possessores diuitiarum; sed à suis diuitijs possideri.

88 D. Augu. (*serm. 112.*) grandis animus est, qui inter diuitias non superbit, at maior animus est, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo.

89 D. Bernardus (*serm. 1. in Psal. Qui habitat*) laquei Diaboli diuitiæ sunt huius seculi.

90 D. Bernardus (*de contemptu mundi*) vtinam saperes miser, & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulare?

91 Idem (*in quodam sermone*) diuitiarum amor insatiabilis longè amplius torquet animam, quam refrigeret vsu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur.

T 92 D. Cle-

92 D. Clemens Alexandrinus (*orat. ad gentes*) præter futuram vitam cætera omnia fluxa, & fragilia sunt, ac velut calculorum ludus semper transferuntur.

93 D. Gregorius (*Homil. 15. in Euangelium*) quis mihi crederet si diuitias spinas interpretarer, quia istæ pungunt, illæ delectant; & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctione mentem lacerant, cumq; ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.

94 D. Ioan. Chrysostomus (*Homil. 36. in Matth.*) quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur: sic animas diuitum auarorum absque sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis nunquam reperies, sed ante quam priora componant alia inuaserunt.

95 D. Chrysostomus (*Homil. 2. de verbis Isaiæ*) aurum nihil aliud est nisi terra rubra, propterea anima, quæ se auro, argentoue congregando, & congerendo deuouit ab hisce ponderibus suis depræssa ad inferiorem locum in æternum crucianda deuoratur.

96 Idem (*lib. 1. super Matth.*) qui diuitiarum seruus est diuitias custodit, vt seruus: qui autem seruitutis discussit iugum, distribuit eas, vt dominus.

97 S. Maximus (*Homil. in solemn. Diui Michaëlis, super illud Matth. 19. facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum Cælorum*) quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus tanquam onustum, & impeditum animal per angustum Regni iter, transire non poterit: simul enim vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercusso limite retrorsum redire cogetur.

SVPER MVNDI ILLECEBRAS.

98 D. Bernardus (*Opusculo de Charitate cap. 12.*) creditores sunt importuni, exactores maligni spiritus mali, qui pro voluptate transitoria æternos exigunt cruciatus.

99 D. Petrus Damianus (*epist. 114.*) quidquid carni voluptuosum videtur, & blandum, vt re vera Diaboli viscariam perhorresce.

100 D. Ambro. (*de bono mortis*) tolle animam tuam ne eam alliciat esca laqueorum, voluptates sæculi escæ quædam sunt, & dum voluptates quæris, laqueos incurris.

101 D. Io:

101 D. Ioann. Chrysostomus (*Homil. 22. ad Populum*) tunc cognoscemus, quam amara sit voluptas, cum re ipsa experiemur, quantæ nobis sit amaritudinis ministra.

102. Idem (*Homil. de S. Thecla*) sunt enim carnifices quidem crudeles corporis voluptates, imò carnificibus crudeliores, nam vinculis torquent non manu factis, per oculos animam vulnerant, aspero flagello intellectum torquent.

SVPER DETRACTIONEM.

103 D. Hieronymus (*in epist. ad Celantium*) vbi non sunt audientes, non inueniuntur detrahentes.

104 D. Bernardus (*lib. 2. de consideratione in Eugenium cap. 13.*) nescio quod maius peccatum sit murmurare, aut murmurationem audire; vnus portat Diabolum in ore, alius in aure.

105 Glossa Ordinaria (*in Eccle. 22.*) si hilari vultu detractorem audies, tu illi das fomitem detrahendi, si verò tristi; discet, non libenter dicere, quæ didicit non libenter audiri.

106 D. Gregorius (*Homil. in Ezecch. in illa verba Psal. 17. circumdederunt me sicut apes*) apes mel habent in ore, & vulnus in aculeo caudæ, & omnes, qui lingua blandiuntur, & latentèr ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occultè feriendo vulnus inferunt.

DE ORATIONE.

107 D. Anselmus (*lib. de meditatione*) abscondis thesaurum tuum, vt incites, cupidam recondis margaritam, vt augeas quærentis amorem, differs dare, vt doceas petere, dissimulas audire petentem, vt facias perseuerantem.

108 Idem (*lib. de mensura Crucis Domini*) sæpè Domine differs, quod petitur, vt excites magis appetitum, non differs, eo quod non vis dare; sed vt aucto desiderio abundantius possis dare.

109 D. August. (*serm. 226.*) oratio iusti clauis est Cæli; ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.

110 Idem (*in Psalm. 65.*) ne deficias in Oratione Deus enim quod concessurus est, si differt, non aufert.

111 Idem (*in sententijs 252.*) multa Deus concedit iratus, quæ negaret propitius.

112 D. Bernardus (*serm. 4. in Psal. 90.*) quid est quod incessantèr orantes, & supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus gratiæ abundantiam peruenire? putatis forsan, quod auarus, aut

inops factus est Deus? impotens, aut inexorabilis? absit; hoc? sed ipse nouit figmentum nostrum, quia dum adhuc infirmi sumus oportet ipsa gratia temperari, ne fortè elationis, aut indiscretionis vitium incurramus *& alibi*, priùs quam oratio eggressa sit ab ore nostro, Deus scribi se iubet in libro suo, & vnum de duobus sperare indubitanter debemus, quia aut dabit, quod petimus, aut quod nouerit esse vtilius.

113 D. Gregorius (*in Psal. 129. de profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*) non ait clamo, sed clamaui, habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudiris ab oratione non deficias, imò precibus, & clamoribus insistas, vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideò tibi dicit, regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud, esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias, si dissimulat audire, quem rogat, esto raptor, vt Regnũ Cęlorum accipias; esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas Cęlis, inferant preces tuę ipsis Cęlis violentiam; vt regnum Cælorum quadam orationis vi rapiant.

Ex Sententijs aliæ sunt graues, & magnificæ quales sunt sententiæ Platonis, Aristotelis, de Deo vt est illa Diui Augustini, *Deus melius scitur nesciendo*: aliæ sunt acutæ, & breues vt sunt illæ Senecæ, & Boëtij, vt, *homini auaro tam deest, quod habet, quam quod non habet*; Sententiæ tamen magis senes, quam iuuenes decent.

EXPENSIO VIGESIMA QVINTA.

De Sacris Literis.

SAcræ literæ sunt, quæ à Deo Authore ad nos emanarunt, quarum authoritas omnem humanam sapientiam antecedit, quapropter ait D. Cyprianus lib. de Spectaculis Sacris; incumbat Christianus litteris, ibi inueniet condigna fidei spectacula, videbit Deum instituentem mundum suum; & cum cæteris animalibus; hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem, spectabit mundum in delictis suis, piorum præmia, impiorum supplicia: maria populo siccata, & de petra rursùs populo maria porrecta: spectabit de Cælo descendentes messes, non ex areis, inspiciet flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminibus exhi-

exhibentia, videbit in quibusdam fidem, cum igne luctantem; religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersas; intuebitur, & animas ab ipsa morte reuocatas; quippequi vides scripturas esse theatrum miraculis refertissimum.

Scripturarum quadripartitus est sensus, quem concionatores præsertim, qui ad fructum dant operam callere debent: Primus sensus dicitur litteralis, quo explicantur scripturæ, eodem prorsus modo, quo sonant auribus, & à quocunque homine possent explicari, vt sunt hæ scripturæ, *non occides, non furtum facies*; aliquando tamen inuoluunt parabolas, nec possunt enucleari sensu litterali; vnde ait Tragicus Sophocles;

Mysteria numen tecta sapientes docet,
Fatuis magister prorsus est inutilis.

Alius sensus dicitur Tropologicus, & est, qui sub figurarum, & similitudinum vmbris nos docet, documenta moralia instar Emblematum, vt esset hæc scriptura, *quidquid obtuleris sacrificij sale condies*: ad indicandum quod etiam in liberalitate adhibenda est prudentia, figurata in sale, quia vt loquitur Aristoteles, *liberalitas sine prudentia virtus non est, sed prodigalitas*, affero etiam hanc aliam scripturam in sensu Tropologico, *Sacerdotes barbam ne radunto*, ad significandum, quod Sacerdotes, vt tueantur res diuinas, viriles debent esse, ac fortes, virilitas enim significatur in barba; vnde etiam Diogenes rigidus ille Cynicus interrogatus, cur barbam nutriret? respondit, *vt me virum esse meminerim*. In sensu tropologico D. Thomas expendit illud Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & nomen eius vocabitur Emanuel*, ait, *ad hoc Dei filius veniebat in mundum carne assumpta, vt nos ad resurrectionis statum promoueret, in quo, neque nubent; sed erunt, sicut Angeli Dei in Cælo*, vnde Venantius Fortunatus de eadem Virginitate Mariæ cecinit;

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum, progenerare suum.

In eodem sensu D. Ioan. Chrysost. *Homil. 10. in cap. 1. Ioan. expendit illud Exodi 32. aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; ait ille; *Tales oportet esse eos, quibus animarum cura commissa est, vt perire malint, cum his, qui sibi crediti sunt, quam sine illis salui esse*. Sic in Solio Salomonis, de quo scriptum est; non esse factum tale opus in vniuersis regnis,

inter

inter alia admiranda duodecim aderant Leones; Pierius lib. 1. Hierogl. ait Leonem esse symbolum vigilantiæ, decet enim principem vigilantia; quapropter virgam illam, quam vidit Hieremias cap. 12. affirmat fuisse sceptrum regium, in cuius capite secũdum mores Aegyptiorum oculus apertus, & vigilans inspiciebatur, vnde fuit dicta (*vigilans*) *virgam vigilantem ego video*, & vt alij legunt *oculatam*, vel *oculos apertos habentem*, & Alciatus in suis Emblematibus principis manum figu at oculum apertum in medio habentem, hoc disterio, *Oculata manus*: & Ezechiel vidit quosdam equos multos habentes oculos, cap. 16. & totum corpus eorum oculis plenum erat, vt indicaretur vigilantia superiorum, quam Christus monuit dicens, *Vigilate itaque, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, super quæ verba Hugo Cardinalis ait, *hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maxime Prælatos ad vigilantiam, & diligentiam; quos non tantum vult esse vigilantes, sed etiam vigiles; vnde Christus Matth. 14. reprehendit Petrum, Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum.* & Magnus Alexander alloquens suos aulicos, vt refert Amianus lib. 8. de gestis Alexandri dicebat, plus vigilare, quam vos, certè scio, vt ipsi quietos somnos capere possitis.

Tertius sensus dicitur Allegorigus, estque, qui sub metaphorarum vmbris, ac sub similitudinibus rerum materialium, ac sublunarium mysteria Fidei cooperit; vt sunt hæc verba, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, ad significandum, Beatissimam Virginem nascituram ex Dauid filio Iesse, & Messiam ex Virgine: vel hoc aliud de Verbo Incarnato, *dum nox in suo cursu medium iter haberet*; quia Incarnati Verbi ortu, Sol lucebat in angulo, diametraliter opposito Hierosolimæ Templo; qui Iudea nocturnis cimmerijs circumuoluta iacebat in squalore, & Antipodæ dumtaxat à Sole illuminabantur ad indicandum, quod post humani generis reparatoris aduentum, fidei lux Hebraicum deserens populum, transiret ad illustrandum Ethnicos, qui iacebant in errorum tenebris, vt prędixerat Propheta, *ambulantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*.

Fabulantur Poetæ, quod dum Troiana Ciuitas ædificabatur, è Cælo descendit Minerua hoc monito, quod tamdiù Ciuitas illa staret donec intra Ciuitatis Troiæ mænia symulachrum illud conseruaretur. Natalis Comes Mythologia lib. 40. cap. 5. attendens huius

huius fabulæ allegoriam dixit, quod voluit significare sapientiæ necessitatem in superioribus, vt Ciuitates regere valerent, sine qua disperduntur, quia vir insipiens perdet populum suum, ait ipse Natalis: *Ciuitas illa, in qua sapientia desit in rebus publicis administrandis diutius consistere non potest*; & Troia propter Regis Priami insipientiam fuit euersa, est itaque necessaria principibus sapientia, & minus malum censetur subdi tyranno, quam insipienti; & Hugo Card. in Psal. 108. dixit, *Pœna magna est habere Prælatum cupidum, vel auarum, sed maior est habere insipientem Prælatum*, Aristoteles Polit. lib. 4. cap. 10. loquens de Prælato auaro, ac cupido, ait, *Respicit ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum*, & Salomon Sapientia x. Reges alloquens aiebat, *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam*.

In sensu allegorico amenè expenditur illud Exodi 1. *Videns Pharao, quod populus Israel crescebat, & quasi germinans multiplicabatur, præcepit obstetricibus dicens, quidquid masculini sexus Hebræis natum fuerit in flumen proijcite*; per Allegoriam, Pharao est Diabolus, qui videns fideles in virtutibus crescere, primos bonos conceptus, ne consuetudine, & operatione crescant, aquis mundanarum voluptatum demergere, & extinguere conatur, & hanc allegoriam adamussim enucleat Petrus Rauennatus super Matth. inquiens, *Diabolus semper primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum si sunt, & in ipso ortu festinat extinguere sciens, quod ea subuertere funditus non posset*, vnde cum Dauid dicere possumus Psal. 63. *Quanta malignatus est inimicus in sancta*.

Postremus tandem sensus dicitur Anagogicus, & est, qui arcana Dei, & secreta cælestia per ea, quæ facta sunt nobis ostendit, vndè ait Apostolus, *Per ea, quæ facta sunt ducimur ad cognitionem inuisibilium*, vt sunt hæc verba, *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt fiat potestas eorum in ligno vitæ*; ad enucleandum in sensu anagogico, neminem fruiturum regno, Cælestis Beatitudinis; nisi qui sanctificatus fuerit per merita Sanguinis Christi.

In sensu anagogico Magdalenæ vnguentum expendit D. Leo Papa, Magdalena pretiosum vnguentum emerat, vt secundum consuetudinem Iudæorum Christum mortuum vngeret, vt ipse Christus testatur dicens, *Vnguentum hoc ad sepelliendum me fecit*, sed Christus noluit vngi post mortem, sed in vita, quare hoc? quia

quia si vngeretur Christus post mortem, opus erat spatio triumu dierum expectare, vt igitur hæc Magdalenæ gratitudo beneficio compensaretur vngi voluit in vita, ecce D. Leo Papa ait; *Vt gratias tanto citius redderet Magdalena de suo vnguento: illud voluit in vita*. Triumphum etiam Christi, quo die Palmarum ingressus est Ierusalem; in sensu anagogico expendit Riccardus, quærit enim, cur Christus voluerit venire super Asinam, & non potiùs super equum Regium, & respondet, hoc Christum fecisse ob gratitudinem, quam hoc beneficio voluit compensare, cum enim tempore maximi frigoris Christus nasceretur in Bethleem Iudæ Bos, & Asinus, infantem puerū calefecerūt, ideo ob tantum beneficium voluit modo eum honore tali afficere, secumque adducere in triumphum.

Oleaster in eodem sensu explicat illud Exodi 16. vbi postquàm quinque panibus, ac duobus piscibus satiauerat Christus quinque millia hominum imposuit Apostolis, vt colligerent fragmenta, quærit causam, cur Christus iusserit hæc fragmenta colligi, & acutè respondet; *Mira est hominis ingratitudo, vt opus sit Deo testes suorum beneficiorum adhibere, in hunc finem arbitror Christum duodecim cophinos panis, asseruare praecepisse, ne turba in deserto beneficijs immemores, in inficias irent*.

D. Ambro. & Rupertus Abbas perpendentes illa verba Cant. 8. *Quam pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis*, dicunt gressus Conceptio Deiparæ est, & Rupertus in Cant. cap. 2. ait, *Filia principis fœminini generis est ob libertatem laudatur ex calceamentis, cum seruæ discalceatæ incedant, Maria enim non fuit serua peccati, sed concepta fuit sine illo*.

Aliquando pluribus sensibus possunt eadem verba explicari talis est illa sententia, quam ad sedādum populi tumultum euomuit Pontifex Caifassus in Christum Innocentem, *Expedit, vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat*; quæ verba duplici sensu possunt explicari. Sic exigit politica ratio, vt vnus homo damnetur patibulo, ne omnium ciuium cruor barbarè fundatur; vel hoc alio modo; sic exigit Diuina Iustitia, vt Christus, qui solus potest vocari homo, cum omnes alij per peccatum degenerauerint in bruta, tanquam victima mactetur, ne hominum genus damnetur: sic titulus Crucis eiusdem Redemptoris mundi: I. N. R. I. nempè Iesus, Nazarenus, Rex, Iudęorum, potest etiam explicari hoc alio modo,

modo, *Iniuriarum ne recorderis inimicorum*, ad commendandam dilectionem inimicorum, eo quia Christus etiam post mortem voluerit eam docere è Cruce hisce characteribus, potest etiam interpetrari hoc alio sensu, *Ingratitudo nostra Redemptorem interfecit*. Concionator igitur versatus sit in sacris literis: ex Patribus autem, & Expositoribus vnum seligat, quem imitetur ipsumque indesinenter lectitet, ait enim Seneca, *Distrahit animum multitudo librorum, ideòq; cum plures legimus nullos imitamur Authores*.

EXPENSIO VIGESIMA SEXTA.

De Hieroglyphicis, & Symbolis.

AMænam præstant eruditionem orationibus Hieroglyphica, sunt igitur Hieroglyphica quædã monumenta, quæ arcanum aliquod exploratũ faciunt, per ea, quæ cadunt sub sensus, vt phrenoschemata, picturæ, & alię res physicæ, quæ arcanũ aliquod significant, veteres enim Ethnici suos sensus Hieroglyphicis, ac Symbolis adumbrare consueuere; ne illorum intelligentia ad plebeios homines perueniret; & hæc hieroglyphica conficiebant sculptis rerum, ac animalium figuris, quibus Aegyptij crebrò vtebantur, de quibus Tacitus sic scribit: *Per figuras animalium Aegyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ, impressa saxis cernuntur*, ideò nonnulli ad exprimendum annum serpentem pinxere, qui caudam ore mordebat.

Deus etiam, à quo omnis sapientia, vt à proprio fonte emanat, in scripturis passim loquitur per hieroglyphica forsan, vt ait Augustinus, *Quemadmodum multa per vitrum, aut succinum pellucent iucundiùs; ità magis delectat veritas per imagines, ac symbola collucens*, vt sunt hæ scripturæ de Verbo Incarnato. *Nascitur, dum nox in suo cursu medium iter haberet*; & Sol Antipodas illustraret, ad exprimendum, quod lux Fidei relinqueret Iudęam iam tenebris circumuolutam, & alios illuminaret populos; quapropter vsque adhuc Hæbraicus populus errorum circumuolutus tenebris, sine propria sede, ac regno hinc inde vagatur: ex alia verò parte ab Oriente venerunt Magi, vt natum Regem adorarent, *Quasi de remotissimo altissimoque secreto*, ait D. Leo Papa, *ijs quibus erat ignotus aduenièns, cæcitatem ignorantiæ sustulit, sicut*

V *scriptum*

scriptum est sedentibus in regione umbræ mortis; lux orta est eis.

Nascitur in nocte ad explorandum, quod diuinus Sol ortu suo peccati tenebras expelleret, quippequi:

Fallimur in media natum, qui nocte putamus;
Nam secum nobis nascitur ipsa dies.

Nascitur humana indutus carne, ac hominem se fecit, vt Deus cum sit omnia, & homo nihil, omnia fieret homo, imò Deus ipse.

Omne bonum Deus est: homo nil est, at Deus ipse,
Post quam nil fieret, omnia factus homo est.

Nascitur Diuinus Sol in medio Tauri, & Virginis; vt exprimeret se natum in feruentiori æstate sui amoris, quapropter præsepis paleas quæsiuit, vt faciliùs algentem mundum diuino succenderet amore, in signo Tauri lucet Sol Verno tempore: in signo Virginis Autumnali tempore splendet: vnde euenit, quod in medio Tauri, & Virginis sit Estas.

Nascitur è Virgine hoc est extra naturæ ordinem, ne homo dumtaxat crederetur, sed aliquid extra hominem, nempè Deus;

Omnia nunc fiunt, fieri, sed posse negabam,
Cum Deus alter homo factus, homoque Deus.
Et rupes oleum fundunt, & balsama quercus,
Et sterilis ramus lilia, spina rosas.
Omnia mira quidem, tamen hoc superantur ab vno,
Quod Patrem generet filia, Virgo virum.

Nascitur in puncto Solstitij hyberni, quando Sol transmittens octauam Capricorni partem Tropicum attingit, & Solstitium hybernum facit, quo tempore Sol incipit altiores circulos petere, vt indicaret, quòd cum malitia hominum ad summum peruenisset cumulum, Sol Diuinæ gratiæ ad nos reuertens, Solstitium fecit in præsepe, vnde ait Nyssenus, *Videns noctem ad summam longitudinem peruenisse; vt progredi vlterius nequeat, consistere, ac regredi? cogita exitiosam peccati noctem, quæ malis omnibus plena ad summum malitiæ cumulum creuerat, hodie recisam esse, ne longius serperet, atque illuc sensim redactam, vt plane deficiat, ac dilabatur.*

Nascitur dum Virgo Astræa, super Horizontem apparet, & Saturnus in Cæli medio regnat: hoc fuit symbolum aurei sæculi, quod Sibilla Cumana præsagiuit illis duobus carminibus, quæ ab

Ethnicis

Ethnicis de natiuitate Octauiani Cæſaris fuerunt interpetrata; à Sanctis verò Patribus Auguſtino, Iuſtino, Alberto M. de Incarnati Verbi ortu fuerunt intellecta carmina ſunt ſubiecta;

Iam redit, & Virgo, & redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies Cælo demittitur alto.

Naſcitur hyemali Solſtitio, vt opponeretur Ioannis Baptiſtæ natiuitati: ſingulis enim annis duo ſunt Solſtitia, æſtiuum vnum, alterum hyemale; ſunt enim duo Tropici in Cælo hybernus, & æſtiuus; hybernus eſt, per quem Sol tranſmittens octauam Capricorni partem Solſtitium hybernum facit, quo tempore Sol altiores incipit petere circulos: æſtiuus verò per quem Sol octauam partem Cancri tranſmittens Solſtitium æſtiuum facit; quo tempore remeare incipit Sol ad inferiores circulos: ſolſtitium verò æſtiuum incipit in ipſas idus Iulij: hibernum idus Decembris, *Iſtæ geminæ natiuitates, Ioannis Bapt. & Chriſti fuerunt ſymbolum*, ait D. Auguſtinus; *Si myſterium intelligimus, hoc eſt, vt humilietur homo, & exaltetur Deus, ſecundum illud, quod de Domino ipſe Ioannes dixerat, Illum oportet creſcere, me autem minui, vt humilietur homo, natus eſt Ioan. tempore, quo incipiunt decreſcere dies, vt exaltetur Deus eo die natus eſt Chriſtus, quo incipiunt dies creſcere.*

Naſcitur dum Octauianus Cæſar Auguſti nomine fuit inſignitus, quod nomen omen eſt dignitatis, ac augmẽtum gloriæ ſonat, *Symbolum*, ait Aimonius, *quo Chriſtus naſcitur, vt æterna gloria fruantur electi: ſub Auguſto naſcitur, quia electos ſuos virtutibus auget.*

Naſcitur in ſtabulo nempè ad humilia deſcendit, vt ad ſublimiora eleuetur homo.

Heù nimis facinus prono deuoluitur Orbe,
Infelix caſus ſæpiùs iſte fuit.
Sed tamen, vt nobis puer iſte eſt lapſus ab aſtris,
Hoc felix caſu, ſurgere cæpit homo.

Naſcitur tempore, quo Auguſtus vniuerſi triumphator pacifica manu Iani, hoc eſt pacis templum claudit, & hoc ſymbolum fuit pacis, quam ſemper adamauit, & in hæreditatem ſuis reliquit fidelibus, ait Beda, *Voluit pacatiſſimo tempore naſci, quia pacem magnopere quæſiuit, & adamauit.*

Naſcitur dum nox atra totam circumuoluebat Iudęam, quia peccati tenebras erat profligaturus.

 O Nox

O Nox clara nimis, qua lux ostenditur ipsa?
O nimium cæcus, quò latet ipsa Dies?
Nascitur in cęcis tenebris, sed nox Lux incipit esse.
Quid mirum est? & homo cœperat, esse Deus.

Nascitur tempore, quo nomina omnium gentium Romano subditarum Imperio describebantur, & in eodem libro etiam sacrosanctum inscribitur nomen Iesu, quo nomine totus liber remansit sanctificatus, & hoc significauit; quod omnis gens erat per Iesum sanctificanda, ait Origenes, *In totius Orbis professione describitur etiam Christus, vt cum omnibus scriptus omnes sanctificaret.*

Nascitur hyemali tempore, dum mundus alta rigebat niue, vt suis calefieret flammis, de Deo enim, ait Scriptura, quod ignis consumens sit bene igitur.

Nascitur in mundum cum frigore cuncta rigerent,
Ignibus accendi debuit iste suis.

Nascitur in caula, vt simul, & Pastor, & Rex cognosceretur, caula enim ab aula parum distat, imò si primam demis literam idem sunt.

Nato caula fuit: Pastoribus illa patebat,
Sed tamen & patuit regibus, aula fuit.
Quidquid delirent alij, regesue, ducesue
Dux facit iste aulam, non facit aula ducem.

Nascitur in stabulo, quia si primus homo, vt fieret similis altissimo, *eritis sicut dij*, cecidit Icareo lapsu, in miseriarum Oceanũ, modò se humiliauit Deus, vt si eius quęreret similitudinem homo resurgeret, quapropter responde mihi, ò homo;

Cur Cælum quæris? si par cupis esse tonanti
Debueras stabulum quærere Adame prius.
Peccasti similem dum te vis esse supremo,
Peccabis rursum: ni cupis esse modo.

Nascitur in carne humana vt homo, qui delicias non quærebat nisi in carne, sine peccato posset delicijs carnis frui.

Hùc carnalis homo, qui spiritualia nescis,
Hìc tibi delicias carnis amare licet.
Spiritus hic quondam oppressus sub carnis amore est.
Ne noceat posthac, en Deus ipse, caro est.

Nasci-

Nascitur in terra, vt amoris sui grauitatem, ac magnitudinem ostenderet;

Ignis amor, veteres quondam sensere Poëtæ
In te crediderim, non fuit ignis amor.
In terram te traxit amor, petit ignis olimpum,
Aut amor hic non est, aut grauis ignis amor.

Nascitur in stabulo, quia mactandus Agnus erat, in cuius sanguine stolas suas debebant lauare Christi fideles.

Plaudite pastores vestra hæc est gloria, Christus
In stabulo nasci debuit, Agnus erat.

Nascitur in paleis, quia ignis consumens faciliùs voluit hac materia algentem mundum succendere, vt veluti flamma tandem sursùm hoc est ad Cælum disceret tendere.

An quo cælesti facile orbis ab igne flagraret
Exceptus fuit, in stramine noster Amor.

Nascitur in tenebris, quia diuinus erat Sol totum lustraturus mundum debuerat è tenebris erumpere, vt de peccati vmbris triumpharet.

Cur intempesta noctis discurrit in vmbra
Hospitio nondum Virgo recepta suo?
Forsitan auroram decuit sub nocte vagari,
Cùm medijs oriens surgeret in tenebris.

Nascitur nocte, quia peccati tenebræ totum obscurauerant mundum nulla remanserat in Orbe lux gratiæ, non poterat hic puer nisi nocturno nasci tempore.

Non poteras aliter medio, quam noctis oriri
Cynthie, quòd nullus staret in Orbe dies.

Nascitur in tenebris, quia thesaurus est, quo redimendum erat totum humanum genus è diabolica seruitute, thesauri meliùs non inueniuntur, nisi in obscurioribus terræ visceribus.

Cur latet quæris? Thesaurus crede Tonantis
Obscuris tenebris defodiendus erat.

Nascitur hyberno tempore mundi amor, vt suis ignibus nostra temperaret frigora, vndè dixisse Virginem crederem nocte illa omni die clariori.

Frigore non lædor; Boreæ non sensio flatus
Dum meus in medio frigore feruet amor.

Nascitur inter stabuli aculeatas paleas, ac hyberni temporis

rigidiora

inops factus est Deus? impotens, aut inexorabilis? absit; hoc? sed ipse nouit figmentum nostrum, quia dum adhuc infirmi sumus oportet ipsa gratia temperari, ne forte elationis, aut indiscretionis vitium incurramus *& alibi*, prius quam oratio eggressa sit ab ore nostro, Deus scribi se iubet in libro suo, & vnum de duobus sperare indubitanter debemus, quia aut dabit, quod petimus, aut quod nouerit esse vtilius.

113 D. Gregorius (*in Psal. 129. de profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*) non ait clamo, sed clamaui, habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudiris ab oratione non deficias, imò precibus, & clamoribus insistas, vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideò tibi dicit, regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud, esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias, si dissimulat audire, quem rogat, esto raptor, vt Regnũ Cęlorum accipias; esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas Cęlis, inferant preces tuę ipsis Cęlis violentiam; vt regnum Cælorum quadam orationis vi rapiant.

Ex Sententijs aliæ sunt graues, & magnificæ quales sunt sententiæ Platonis, Aristotelis, de Deo vt est illa Diui Augustini, *Deus melius scitur nesciendo:* aliæ sunt acutæ, & breues vt sunt illæ Senecæ, & Boëtij, vt, *homini auaro tam deest, quod habet, quam quod non habet*; Sententiæ tamen magis senes, quam iuuenes decent.

EXPENSIO VIGESIMA QVINTA.

De Sacris Literis.

Sacræ literæ sunt, quæ à Deo Authore ad nos emanarunt, quarum authoritas omnem humanam sapientiam antecedit, quapropter ait D. Cyprianus lib. de Spectaculis Sacris; incumbat Christianus litteris, ibi inueniet condigna fidei spectacula, videbit Deum instituentem mundum suum; & cum cæteris animalibus; hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem, spectabit mundum in delictis suis, piorum præmia, impiorum supplicia: maria populo siccata, & de petra rursùs populo maria porrecta: spectabit de Cælo descendentes messes, non ex areis, inspiciet flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminibus

exhi-

exhibentia, videbit in quibusdam fidem, cum igne luctantem; religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersas; intuebitur, & animas ab ipsa morte reuocatas; quippequi vides scripturas esse theatrum miraculis refertissimum.

Scripturarum quadripartitus est sensus, quem concionatores præsertim, qui ad fructum dant operam callere debent: Primus sensus dicitur litteralis, quo explicantur scripturæ, eodem prorsus modo, quo sonant auribus, & à quocunque homine possent explicari, vt sunt hæ scripturæ, *non occides, non furtum facies*; aliquando tamen inuoluunt parabolas, nec possunt enucleari sensu litterali; vnde ait Tragicus Sophocles;

Mysteria numen tecta sapientes docet,
Fatuis magister prorsus est inutilis.

Alius sensus dicitur Tropologicus, & est, qui sub figurarum, & similitudinum vmbris nos docet, documenta moralia instar Emblematum, vt esset hæc scriptura, *quidquid obtuleris sacrificij sale condies:* ad indicandum quod etiam in liberalitate adhibenda est prudentia, figurata in sale, quia vt loquitur Aristoteles, *liberalitas sine prudentia virtus non est, sed prodigalitas*, affero etiam hanc aliam scripturam in sensu Tropologico, *Sacerdotes barbam ne radunto*, ad significandum, quod Sacerdotes, vt tueantur res diuinas, viriles debent esse, ac fortes, virilitas enim significatur in barba; vnde etiam Diogenes rigidus ille Cynicus interrogatus, cur barbam nutriret? respondit, *vt me virum esse meminerim*. In sensu tropologico D. Thomas expendit illud Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & nomen eius vocabitur Emanuel*, ait, *ad hoc Dei filius veniebat in mundum carne assumpta, vt nos ad resurrectionis statum promoueret, in quo, neque nubent; sed erunt, sicut Angeli Dei in Cælo*, vnde Venantius Fortunatus de eadem Virginitate Mariæ cecinit;

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum, progenerare suum.

In eodem sensu D. Ioan. Chrysost. *Homil. 10. in cap. 1. Ioan. expendit illud Exodi 32. aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; ait ille; *Tales oportet esse eos, quibus animarum cura commissa est, vt perire malint, cum his, qui sibi crediti sunt, quam sine illis salui esse*. Sic in Solio Salomonis, de quo scriptum est; non esse factum tale opus in vniuersis regnis,

inter

inter alia admiranda duodecim aderant Leones; Pierius lib. 1. Hierogl. ait Leonem esse symbolum vigilantiæ, decet enim principem vigilantia; quapropter virgam illam, quam vidit Hieremias cap.12. affirmat fuisse sceptrum regium, in cuius capite secũdum mores Aegyptiorum oculus apertus, & vigilans inspiciebatur, vnde fuit dicta (*vigilans*) *virgam vigilantem ego video*, & vt alij legunt *oculatam*, vel *oculos apertos habentem*, & Alciatus in suis Emblematibus principis manum figu at oculum apertum in medio habentem, hoc disterio, *Oculata manus*: & Ezechiel vidit quosdam equos multos habentes oculos, cap.16. & totum corpus eorum oculis plenum erat, vt indicaretur vigilantia superiorum, quam Christus monuit dicens, *Vigilate itaque, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, super quæ verba Hugo Cardinalis ait, *hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maximè Prælatos ad vigilantiam, & diligentiam; quos non tantum vult esse vigilantes, sed etiam vigiles; vnde Christus Matth.14. reprehendit Petrum, Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum*. & Magnus Alexander alloquens suos aulicos, vt refert Amianus lib. 8. de gestis Alexandri dicebat, plus vigilare, quam vos, certè scio, vt ipsi quietos somnos capere possitis.

Tertius sensus dicitur Allegorigus, estque, qui sub metaphorarum vmbris, ac sub similitudinibus rerum materialium, ac sublunarium mysteria Fidei cooperit; vt sunt hæc verba, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, ad significandum, Beatissimam Virginem nascituram ex Dauid filio Iesse, & Messiam ex Virgine: vel hoc aliud de Verbo Incarnato, *dum nox in suo cursu medium iter haberet*; quia Incarnati Verbi ortu, Sol lucebat in angulo, diametraliter opposito Hierosolimæ Templo; qui Iudea nocturnis cimmerijs circumuoluta iacebat in squalore, & Antipodæ dumtaxat à Sole illuminabantur ad indicandum, quod post humani generis reparatoris aduentum, fidei lux Hebraicum deserens populum, transiret ad illustrandum Ethnicos, qui iacebant in errorum tenebris, vt prędixerat Propheta, *ambulantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*.

Fabulantur Poëtæ, quod dum Troiana Ciuitas ædificabatur, è Cælo descendit Minerua hoc monito, quod tamdiù Ciuitas illa staret donec intra Ciuitatis Troiæ mænia symulachrum illud conseruaretur. Natalis Comes Mythologia lib.40.cap.5. attendens

hujus

huius fabulæ allegoriam dixit, quod voluit significare sapientiæ necessitatem in superioribus, vt Ciuitates regere valerent, fine qua disperduntur, quia vir insipiens perdet populum suum, ait ipse Natalis: *Ciuitas illa, in qua sapientia desit in rebus publicis administrandis diutiùs consistere non potest*; & Troia propter Regis Priami insipientiam fuit euersa, est itaque necessaria principibus sapientia, & minus malum censetur subdi tyranno, quam insipienti; & Hugo Card. in Psal. 108. dixit, *Pœna magna est habere Prælatum cupidum, vel auarum, sed maior est habere insipientem Prælatum*, Aristoteles Polit. lib. 4. cap. 10. loquens de Prælato auaro, ac cupido, ait, *Respicit ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum*, & Salomon Sapientia x. Reges alloquens aiebat, *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam*.

In sensu allegorico amenè expenditur illud Exodi 1. *Videns Pharao, quod populus Israel crescebat, & quasi germinans multiplicabatur, præcepit obstetricibus dicens, quidquid masculini sexus Hebræis natum fuerit in flumen proijcite*; per Allegoriam, Pharao est Diabolus, qui videns fideles in virtutibus crescere, primos bonos conceptus, ne consuetudine, & operatione crescant, aquis mundanarum voluptatum demergere, & extinguere conatur, & hanc allegoriam adamussim enucleat Petrus Rauennatus super Matth. inquiens, *Diabolus semper primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum si sunt, & in ipso ortu festinat extinguere sciens, quod ea subuertere funditùs non posset*, vnde cum Dauid dicere possumus Psal. 63. *Quanta malignatus est inimicus in sancta*.

Postremus tandem sensus dicitur Anagogicus, & est, qui arcana Dei, & secreta cælestia per ea, quæ facta sunt nobis ostendit, vndè ait Apostolus, *Per ea, quæ facta sunt ducimur ad cognitionem inuisibilium*, vt sunt hæc verba, *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt fiat potestas eorum in ligno vitæ*; ad enucleandum in sensu anagogico, neminem fruiturum regno, Cælestis Beatitudinis; nisi qui sanctificatus fuerit per merita Sanguinis Christi.

In sensu anagogico Magdalenæ vnguentum expendit D. Leo Papa, Magdalena pretiosum vnguentum emerat, vt secundum consuetudinem Iudæorum Christum mortuum vngeret, vt ipse Christus testatur dicens, *Vnguentum hoc ad sepeliendum me fecit*, sed Christus noluit vngi post mortem, sed in vita, quare hoc?

quia si vngeretur Christus post mortem, opus erat spatio trium dierum expectare, vt igitur hæc Magdalenæ gratitudo beneficio compensaretur vngi voluit in vita, ecce D. Leo Papa ait; *Vt gratias tanto citius redderet Magdalena de suo vnguento: illud voluit in vita*. Triumphum etiam Christi, quo die Palmarum ingressus est Ierusalem; in sensu anagogico expendit Riccardus, quærit enim, cur Christus voluerit venire super Asinam, & non potiùs super equum Regium, & respondet, hoc Christum fecisse ob gratitudinem, quam hoc beneficio voluit compensare, cum enim tempore maximi frigoris Christus nasceretur in Bethleem Iudæ Bos, & Asinus, infantem puerũ calefecerũt, ideo ob tantum beneficium voluit modo eum honore tali afficere, secumque adducere in triumphum.

Oleaster in eodem sensu explicat illud Exodi 16. vbi postquàm quinque panibus, ac duobus piscibus satiauerat Christus quinque millia hominum imposuit Apostolis, vt colligerent fragmenta, quærit causam, cur Christus iusserit hæc fragmenta colligi, & acutè respondet; *Mira est hominis ingratitudo, vt opus sit Deo testes suorum beneficiorum adhibere, in hunc finem arbitror Christum duodecim cophinos panis, asseruare præcepisse, ne turba in deserto beneficij s immemores, in inficias irent*.

D. Ambro. & Rupertus Abbas perpendentes illa verba Cant. 8. *Quam pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis*, dicunt gressus Conceptio Deiparæ est, & Rupertus in Cant. cap. 2. ait, *Filia principis fœminini generis est ob libertatem laudatur ex calceamentis, cum seruæ discalceatæ incedant, Maria enim non fuit serua peccati, sed concepta fuit sine illo*.

Aliquando pluribus sensibus possunt eadem verba explicari talis est illa sententia, quam ad sedãdum populi tumultum euomuit Pontifex Caifassus in Christum Innocentem, *Expedit, vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat*; quæ verba duplici sensu possunt explicari. Sic exigit politica ratio, vt vnus homo damnetur patibulo, ne omnium ciuium cruor barbarè fundatur; vel hoc alio modo; sic exigit Diuina Iustitia, vt Christus, qui solus potest vocari homo, cum omnes alij per peccatum degenerauerint in bruta, tanquam victima mactetur, ne hominum genus damnetur: sic titulus Crucis eiusdem Redemptoris mundi: I. N. R. I. nempè Iesus, Nazarenus, Rex, Iudęorum, potest etiam explicari hoc alio modo,

modo, *Iniuriarum ne recorderis inimicorum*, ad commendandam dilectionem inimicorum, eo quia Christus etiam post mortem voluerit eam docere è Cruce hisce characteribus, potest etiam interpetrari hoc alio sensu, *Ingratitudo nostra Redemptorem interfecit*. Concionator igitur versatus sit in sacris literis: ex Patribus autem, & Expositoribus vnum seligat, quem imitetur ipsumque indesinenter lectitet, ait enim Seneca, *Distrahit animum multitudo librorum, ideòq; cum plures legimus nullos imitamur Authores*.

EXPENSIO VIGESIMA SEXTA.

De Hieroglyphicis, & Symbolis.

AMænam præstant eruditionem orationibus Hieroglyphica, sunt igitur Hieroglyphica quædā monumenta, quæ arcanum aliquod exploratū faciunt, per ea, quæ cadunt sub sensus, vt phrenoschemata, picturæ, & alię res physicæ, quæ arcanū aliquod significant, veteres enim Ethnici suos sensus Hieroglyphicis, ac Symbolis adumbrare consueuere; ne illorum intelligentia ad plebeios homines perueniret; & hæc hieroglyphica conficiebant sculptis rerum, ac animalium figuris, quibus Aegyptij crebrò vtebantur, de quibus Tacitus sic scribit: *Per figuras animalium Aegyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ, impressa saxis cernuntur, ideò nonnulli ad exprimendum annum serpentem pinxere, qui caudam ore mordebat.*

Deus etiam, à quo omnis sapientia, vt à proprio fonte emanat, in scripturis passim loquitur per hieroglyphica forsan, vt ait Augustinus, *Quemadmodum multa per vitrum, aut succina pellucent iucundiùs; ità magis delectat veritas per imagines, ac symbola collucens*, vt sunt hæ scripturæ de Verbo Incarnato. *Nascitur, dum nox in suo cursu medium iter haberet;* & Sol Antipodas illustraret, ad exprimendum, quod lux Fidei relinqueret Iudęam iam tenebris circumuolutam, & alios illuminaret populos; quapropter vsque adhuc Hæbraicus populus errorum circumuolutus tenebris, sine propria sede, ac regno hinc inde vagatur: ex alia verò parte ab Oriente venerunt Magi, vt natum Regem adorarent, *Quasi de remotissimo altissimoque secreto*, ait D. Leo Papa, *ijs quibus erat ignotus adueniens, cæcitatem ignorantiæ sustulit, sicut*

ſcriptum eſt ſedentibus in regione vmbræ mortis; lux orta eſt eis.

Naſcitur in nocte ad explorandum, quod diuinus Sol ortu ſuo peccati tenebras expelleret, quippequi:

Fallimur in media natum, qui nocte putamus;
Nam ſecum nobis naſcitur ipſa dies.

Naſcitur humana indutus carne, ac hominem ſe fecit, vt Deus cum ſit omnia, & homo nihil, omnia fieret homo, imò Deus ipſe.

Omne bonum Deus eſt: homo nil eſt, at Deus ipſe,
Poſt quam nil fieret, omnia factus homo eſt.

Naſcitur Diuinus Sol in medio Tauri, & Virginis; vt exprimeret ſe natum in feruentiori ęſtate ſui amoris, quapropter preſepis paleas quæſiuit, vt faciliùs algentem mundum diuino ſuccenderet amore, in ſigno Tauri lucet Sol Verno tempore: in ſigno Virginis Autumnali tempore ſplendet: vnde euenit, quod in medio Tauri, & Virginis ſit Eſtas.

Naſcitur è Virgine hoc eſt extra naturæ ordinem, ne homo dumtaxat crederetur, ſed aliquid extra hominem, nempè Deus;

Omnia nunc fiunt, fieri, ſed poſſe negabam
Cum Deus alter homo factus, homoque Deus.
Et rupes oleum fundunt, & balſama quercus,
Et ſterilis ramus lilia, ſpina roſas.
Omnia mira quidem, tamen hoc ſuperantur ab vno,
Quod Patrem generet filia, Virgo virum.

Naſcitur in puncto Solſtitij hyberni, quando Sol tranſmittens octauam Capricorni partem Tropicum attingit, & Solſtitium hybernum facit, quo tempore Sol incipit altiores circulos petere, vt indicaret, quòd cum malitia hominum ad ſummum perueniſſet cumulum, Sol Diuinæ gratiæ ad nos reuertens, Solſtitium fecit in præſepe, vnde ait Nyſſenus, *Videns noctem ad ſummam longitudinem perueniſſe; vt progredi vlterius nequeat, conſiſtere, ac regredi? cogita exitioſam peccati noctem, quæ malis omnibus plena ad ſummum malitiæ cumulum creuerat, hodie reciſam eſſe, ne longius ſerperet, atque illuc ſenſim redactam, vt plane deficiat, ac dilabatur.*

Naſcitur dum Virgo Aſtręa, ſuper Horizontem apparet, & Saturnus in Cæli medio regnat: hoc fuit ſymbolum aurei ſæculi, quod Sibilla Cumana præſagiuit illis duobus carminibus, quæ ab

Ethnicis

Ethnicis de natiuitate Octauiani Cæsaris fuerunt interpetrata; à Sanctis verò Patribus Augustino, Iustino, Alberto M. de Incarnati Verbi ortu fuerunt intellecta carmina sunt subiecta;

Iam redit, & Virgo, & redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies Cælo demittitur alto.

Nascitur hyemali Solstitio, vt opponeretur Ioannis Baptistæ natiuitati: singulis enim annis duo sunt Solstitia, æstiuum vnum, alterum hyemale; sunt enim duo Tropici in Cælo hybernus, & æstiuus; hybernus est, per quem Sol transmittens octauam Capricorni partem Solstitium hybernum facit, quo tempore Sol altiores incipit petere circulos: æstiuus verò per quem Sol octauam partem Cancri transmittens Solstitium æstiuum facit; quo tempore remeare incipit Sol ad inferiores circulos: solstitium verò æstiuum incipit in ipsas idus Iulij: hibernum idus Decembris, *Istæ geminæ natiuitates, Ioannis Bapt. & Christi fuerunt symbolum*, ait D. Augustinus; *Si mysterium intelligimus, hoc est, vt humilietur homo, & exaltetur Deus, secundum illud, quod de Domino ipse Ioannes dixerat, Illum oportet crescere, me autem minui, vt humilietur homo, natus est Ioan. tempore, quo incipiunt decrescere dies, vt exaltetur Deus eo die natus est Christus, quo incipiunt dies crescere.*

Nascitur dum Octauianus Cæsar Augusti nomine fuit insignitus, quod nomen omen est dignitatis, ac augmētum gloriæ sonat, *Symbolum*, ait Aimonius, *quo Christus nascitur, vt æterna gloria fruantur electi: sub Augusto nascitur, quia electos suos virtutibus auget.*

Nascitur in stabulo nempè ad humilia descendit, vt ad sublimiora eleuetur homo.

Heù nimis facinus prono deuoluitur Orbe,
Infelix casus sæpiùs iste fuit.
Sed tamen, vt nobis puer iste est lapsus ab astris,
Hoc felix casu, surgere cæpit homo.

Nascitur tempore, quo Augustus vniuersi triumphator pacifica manu Iani, hoc est pacis templum claudit, & hoc symbolum fuit pacis, quam semper adamauit, & in hæreditatem suis reliquit fidelibus, ait Beda, *Voluit pacatissimo tempore nasci, quia pacem magnopere quæsiuit, & adamauit.*

Nascitur dum nox atra totam circumuoluebat Iudeam, quia peccati tenebras erat profligaturus.

Nascitur in terra, vt amoris sui grauitatem, ac magnitudinem ostenderet;

Ignis amor, veteres quondam sensere Poëtæ
In te crediderim, non fuit ignis amor.
In terram te traxit amor, petit ignis olimpum,
Aut amor hic non est, aut grauis ignis amor.

Nascitur in stabulo, quia mactandus Agnus erat, in cuius sanguine stolas suas debebant lauare Christi fideles.

Plaudite pastores vestra hæc est gloria, Christus
In stabulo nasci debuit, Agnus erat.

Nascitur in paleis, quia ignis consumens faciliùs voluit hac materia algentem mundum succendere, vt veluti flamma tandem sursùm hoc est ad Cælum disceret tendere.

An quo cælesti facile orbis ab igne flagraret
Exceptus fuit, in stramine noster Amor.

Nascitur in tenebris, quia diuinus erat Sol totum lustraturus mundum debuerat è tenebris erumpere, vt de peccati vmbris triumpharet.

Cur intempesta noctis discurrit in vmbra
Hospitio nondum Virgo recepta suo?
Forsitan auroram decuit sub nocte vagari,
Cùm medijs oriens surgeret in tenebris.

Nascitur nocte, quia peccati tenebræ totum obscurauerant mundum nulla remanserat in Orbe lux gratiæ, non poterat hic puer nisi nocturno nasci tempore.

Non poteras aliter medio, quam noctis oriri
Cynthie, quòd nullus staret in Orbe dies.

Nascitur in tenebris, quia thesaurus est, quo redimendum erat totum humanum genus è diabolica seruitute, thesauri meliùs non inueniuntur, nisi in obscurioribus terræ visceribus.

Cur latet quæris? Thesaurus crede Tonantis
Obscuris tenebris defodiendus erat.

Nascitur hyberno tempore mundi amor, vt suis ignibus nostra temperaret frigora, vndè dixisse Virginem crederem nocte illa omni die clariori.

Frigore non lædor; Boreæ non sensio flatus
Dum meus in medio frigore feruet amor.

Nascitur inter stabuli aculeatas paleas, ac hyberni temporis

rigidiora

rigidiora frigora; lilium erat natus puer, non poterat melius florere, quam in hisce spinis, vt verificaretur illud canticorum, *Sicut lilium inter spinas.*

Cur ita nude iaces? cùr te tua frigora ladunt?
Heccine sunt spina flosculé parue tua.

Nascitur, & in lachrymas totus erumpit; vt hominum sordes hisce tergeret limphis: inuenerat enim hominem multis temeratum criminum maculis.

Abluit hac maculas animarum lachryma naeuos
Tam bene, quam tergat spongia nulla suit.

Nascitur in paleis hyberna tempestate, quia frumentum electorum in paleis citiùs voluit maturari, in bonam terram ceciderat non expectauit æstatem, quamuis æstas credi possit, dùm Sol in medio Tauri, & Virginis exoritur; Taurus enim verno tempore regnat in Zodiaco, Virgo autumnali, in medio veris, & autumni feruet æstas, in æstate igitur feruentioris amoris crede natũ hunc diuinum Solem, paleas quæsiuit, queis facilius algentem mundum succenderet ad virtutem.

Nascitur Bethelehem, quæ interpretatur ciuitas panis, venerat de seipso parare Ieiuno homini conuiuium, Eucharistiæ Sacramento, ne obsonia deessent, in ciuitate panis factus est caro.

Nascitur in medio cicurarum bestiarum, & in medio latronum moritur, vt nos doceret quantus esset amasius virtutis, quæ sedere non sapit nisi in medio, vndè, & nascens, & moriens magister bonus virtutem nos docuit.

Nascitur occurrentibus pastoribus: Agnus erat decuit inter pastores hunc Agnum nasci, qui postea super Crucis aram erat mactandus, ad diuinum placandum furorem.

Nascitur in paruula caula, quia dilatare charitatem etiam ex angustijs didicit.

Nascitur humano indutus habitu, qui antea humanitatis actus semper exercuerat, vt nos doceret quantam vim habeat consuetudo; cùm post frequentatos humanitatis actus Deus ipse tandem habitu inuenitur, vt homo: etiam in Deo consuetudo fit altera natura.

Nascitur nostra indutus humanitate, vt sperare mitiorem Iudicem inciperent rei; inhumanus enim amplius non poterit esse, qui tenacissimo glutino humanitati coniunctus separari ab

illa

illa non vult, *Quod enim Deus semel assumit, nunquam dimittit.*

Nascitur tempore, quò Sol visus est incedere spicis coronatus; & iurè, debuerant enim homines spicas in Cælo videre, si debuerant de Cælo Panem Eucharisticum sperare.

Nascitur nocte, qua Romæ olei fons erupit, vt adueniente hoc sponso, maritando cum humanitate, omnis homo aptare potuisset lampadas suas, ne illud *nescio vos* fatuarum virginum amplius audiretur.

Nascitur dùm tellus oleum ministrat, voluit enim milites suos Athletas facere; oleum cito parauit, vt illos liniret ad bellum; vnde, & ipse de cælesti gymnade nobilis agonista nudus arenam ingressus oleum quærit.

Nascitur cum è tellure emanat oleum, indicaturus, fore pacis amasium, oleum enim symbolum est pacis.

Nascitur secum deferens oleum, quia venerat curare vulnera nostra nulla circumligata fascia, nec fota oleo, vnde diligens medicus secum attulit, & fascias, & huius olei balsamum.

Nascitur eo vel tempore, quò Engaddi vineæ floruerunt, mirum non sit, Sol prope taurum natus, vel ipso hyberno tempore vernam reuocauerat temperiem, igitur floruerunt Engaddi vineæ, vt signum darent huius veris.

Vides quot Symbola, quot Hieroglyphica ex ortu Incarnati Verbi, quà à tempore, quà à loco, ac cæteris circumstantijs exoriuntur omnia enim hæc, ait diuinus Interpres, in figura contingebant, vndè Hieroglyphica, & Symbola vocantur, & ex hoc facilè percipies quid sint cōceptus oratorum, qui vulgò cōnceptus prædicabiles numcupantur.

EXPENSIO VIGESIMA SEPTIMA.

De Adagijs.

Adagia, quæ si appositè ponantur in oratione plurimùm valent ad eruditionem, ac vrbanitatem, *Sunt dicta arguta communiter vsurpata, & vsu trita, quæ à paucis ad plura similia transferri commodè possunt*, est tamen animaduertendum, ne adagia obscura orationi admisceantur, nec etiam crebra, hoc enim puerilem progigneret stylum. Insuper non sunt quomodocumq; orationi

orationi figenda, ſed prout res poſtulat, in hoc ſcribendi genere inſudarunt olim viri eruditiſſimi Chryſippus, Cleantes, Ariſtides, Ariſtophanes, meliori tamen methodo de omni adagiorum genere feliciſſimo calamo plures conſcripſit libros Aloyſius Nouarinus ex noſtra Religione, vir omni prorſus eruditione ornatiſſimus in omni linguarum genere peritiſſimus, & qui ni ab immaturæ mortis falce abraſus è viuis importunè fuiſſet, centum Typis mandaſſet libros iam conſcriptos: eius nomen, iam toto Orbi clarum, ſolum non claret, ni cui eruditione caret, velut enim lucidiſſimum ſydus ſub ſuorum ſcriptorum vmbris, vſque ad prodigium emicat, quis enim clariùs Virginem Matrem illuſtrauit, quam Nouarini Vmbra virginea? Quis ex recenſioribus feliciùs dilucidauit Sacras Scripturas, quam Nouarinus ſuis electis ſacris? quis eloquentiùs ſuper ineffabile Euchariſtiæ Sacramentum diſſeruit, quam Nouarinus in ſuo Agno Euchariſtico? ipſe tandem ſuis in operibus ex antiquitatis ruderibus plures eruit eruditiones, iam penè in obliuionis Sarcophago conſepultas, vtinã omnes Scriptores tantum imitarentur virum, non caneret ſatyricus ille;

Tenet inſanabile multos
Scribendi cachoëtes;

verùm, vt meo videar fungi munere, vt preſens exigit expenſio nonnulla hic ſubijciam adagia acutiora, quibus facilè vti queat Orator.

Centuria Adagiorum Enucleata.

MAGNES EST MAGNVS

1 Prouerbialem ſaliuam prolata verba ſapiunt princeps enim, qui ad ſe trahat ſubditorum pecuniam magnes dicitur, illis etiam ſolemus vti quodam ſale, ad enucleandam rem, quæ magnas in animis hominum vires habeat, & abdita quadam vi illas ad ſe trahat, vt ſunt *lucrum, voluptas, dignitas*, vt ſcribit ille iam ſi lucrum, & voluptas conſpirabunt, quid opus erit honeſtate lenocinandi cordibus: quorum illa ſunt rapaciſſimi magnetes. Ad auari manum etiam transfertur magneticus lapis, vndè cecinit Ioninus,

Pro dextra cupido lapis eſt magnetis auaro:
Scilicet occultis viribus Aera trahit.

Obiecta etiam ſenſuum externorum magnetes lepidè dicũtur; vndè feſtiuè ex noſtris Religioſis cecinit Pater Marcellus Bentiuoglius, cuius opera ſunt inedita.

Ciaſcun

Ciascun' oggetto à sè m' alletta, e tira,
Non perch'ei forte sia;
Mà perche fieuol è la virtù mia;
Perche il mio cor tutto mollezza spira,
Per me, quanto si vede in questa vita
(Benche ferro non son) è calamita.

Vniuersè quidquid à quolibet amatur dicimus ejus esse magnetem, ad quem concupiscentis voluntas trahitur, vnde est illud disthicon;

Et ferrum magnes; & viles succina culmos,
Et sibi quidquid amat iungere quisque cupit.

2 VERBA IN VENTVM PROFERRE.

Prouerbialitèr dicitur de illo, qui inutilia & nihil profutura effundit verba, Petrus Blessensis Epist. 76. *Quæ utilitas tibi quæso est verba proferre in ventum.*

3 QVIDQVID EST PVLCHRVM SEQVITVR MOMVS.

Tritum apud veteres est; Momum inter Deos adscitum Deorum vitia summa libertate increpasse, vt nulli parceret, in omnes sæuiret: vnde res in Prouerbium abijt, & qui aliena satyrico dente præscrutatur Momus dicitur, idest rigidus, ac sæuerus censor; cum enim significamus omnia aliorum Vellicationi obnoxia illud vsurpamus, quod habet Clemens Alexandrinus lib. 7. *Stromatum quidquid est pulchrum sequitur Momus*, & Diuus Greg. Nazianz. in poëmate de Virgin.

— — — — — — ipsis conuinere nulla,
Inuidia est oculos, nec ob id Momus acerbas
Injciet Soleas, stridorem emittere dicens.

Alludit ad veterem fabellam, qua fertur Momum in Veneris soleas, ac crepidas linguas acuisse.

4 SE PROPRIO BACVLO PERCVTERE.

Olet prouerbium hæc dicendi formula, & in eos torquere possumus, qui sibi ipsis malorũ sunt authores, & dum in alios sæuiunt, feriunt priùs seipsos, vt sunt detractores, & hoc sensu cecinit S. Prosp.

Nam quicunque alium molitur lædere: primum
Ipsum se baculo percutiet proprio.

5 NESTORE PROVECTIOR.

Prouerbialiter vtimur his verbis in eum, qui diuturnam æta-

tem circumfert, multosque exegit annos, hic enim prouerbiali comparatione Nestore prouectior dicetur, qui annosissimus fuisse proditur, Ausonius epist. 18. ad Vxorem.

Nestore si quamuis prouectior æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.
Non ignoremus, quid sit matura senectus:
Scire aui meritum non numerare decet.

6 PLVRES CANALES REPERIMVS PAVCOS, *qui referant Conchas.*

Vertitur præsens dicendi formula in prouerbialem formam, qua significamus multos esse, qui doctrinæ aquas transmittere ad alios probis monitis velint, paucos, qui id opere præstent, quod alios docent, rem subiectum Billij carmen explicat.

Concha priùs sese liquidis ingurgitat vndis,
Tuncque superfusas plena refundit aquas.
At contra exiguos latices simul, atque canalis,
Quam fusam cepit, mox quoque redit aquam.
Cernimus ehù multos, hac tempestate canales,
Pene etiam vacuo pectore quisque docet,
At vix inuenias, multos è millibus vnum.
Qui conchæ similem se prius esse ferat.

7 VIDETVR CYMBALVM TINNIENS.

Adagialem Saliuam hæc verba habent, quæ in eum iacimus, qui sermone dumtaxat valet, moribus tamen suis à verbis longè discrepat; vnde de illo, qui rectè loquatur, & non rectè viuat dicitur illud Pauli *Cymbalum tinniens.*

8 AD PHOENICEOS, AC NESTOREOS ANNOS VIVERE.

Hoc adagio vtimur, cum diuturnam alicui vitam præcamur, quæ enim de Phœnicis, ac Nestoris diebus produnt authores obuia cuicunque sunt. Phœnicem enim in ipsa morte immortalitatem exhaurire aiunt authores, vtî & Nestorem longiores duxisse dies, ad amicum igitur scribere possumus, *vale ad Phœniceos, ac Nestoreos annos.*

9 SOLA TEMPORIS AVARITIA VTILIS EST.

Experientia magistra omnem auaritiam præsertim pecuniarum esse noxiam, res est trita apud omnes, sola tamen auaritia temporis probanda est, quia vtilis, quæ iactari prouerbialiter vulgò solet.

10 OVIS

10 OVIS CVM LEAENA NON PABVLATVR.

Hoc adagio vtimur ad significandum aliqua inter se minimè cohærere, vel ad significandum, quod vir probus improbi consortium debeat effugere.

11 SCARABEORVM VERBA LOQVI.

Obuia sępè est hęc dicendi formula *Scarabeorum verba loqui*, ac de illo dicitur, qui impura, & obscena verba loquitur fœtorem exhalantia: scarabei enim in cęno, ac stercore se dumtaxat volutant.

12 SVNT SEPVLCHRA DEALBATA.

Iaci in eos solet hoc adagium, qui foris pietatem præferunt, intus verò eorum anima omnium vitiorum spurcitia labefactata emarcescit in sceleribus; de illo etiam dicitur, qui extima benignitatis specie malignitatem occulit.

13 IN IGNE VIVERE, VT SALAMANDRA.

Sapiunt prouerbium, etiam hæc verba, ac de illo dicuntur, qui in tribulationum igne positus nil læditur, imò ipsis aduersitatibus maior, aduersæ fortunæ ictibus ferreum obijcit pectus; is enim assimilatur Salamandræ, de qua fertur, quod inter flammarum turbines Lætior viuat, ac illesa.

14 ADVERSA PRAESTANT, QVAE NEGANT SECVNDA.

Vexationem dare intellectum prouerbialiter in omnium resonat ore, crebrò enim accidit, vt vtiliora sint aduersa, quam secunda, ac ea commoda, seù vtilitates aduersa afferant, quæ afferre secunda nequiuerunt, hinc apud Enodium lib.3.epist.4. prouerbialiter habetur, *Ecce præstant aduersa, quæ non secunda, & ipsa secunda potiùs sunt aduersa*.

15 AVREA CLAVIS OMNEM IANVAM APERIT.

Ad explicandum, quanti sit roboris aurum, eo quod ipsius luce sępèsępiùs obtenebretur iustitia, violetur pudicitia, corrumpatur æquitas, reuocentur sententiæ, hac dicendi formula prouerbialiter vtimur; nihil enim est, quod aurum non obtineat, nulla difficultas sese objicit, quam aurum non superet; vt verum sit quod vulgò dicitur, *Aurea patefacit clauis omnem Ianuam*, tritum est etiam ad rem meam præclarum illud Menandri dicterium: *Aurum omnia patefacit, etiam inferorum portas*; & D. Gregorius Nazianzenus de auro sic loquitur, *Auro loquente iners est omnis oratio, persuadet enim, etiamsi vocem nullam edat:* in quadam verò

oratione de S. Iuone hæc habentur. Sit aurum in litibus arbitrer; in affectibus tyrannus; in deliniendo syrenula; Tulliani tuba raucescat eloquij, vbi pecunia loquitur; Hectoreæ militiæ fulgura compescantur, vbi nummus decertat; virtus frangatur Herculea, vbi hastis pugnatur argenteis: non poterunt hæ commotiones; Iuonis animum, vel decutere leuitèr, quia semper ad pietatem substinendam quadratus Iuo existet.

16 *NESCIT VOX MISSA REVERTI.*

Hæc verba prouerbium olent, & significamus verba prolata non posse reuocari, quapropter, quæ volumus indicta silentio sunt præmenda, D. Hieronymus ad Pamachium pro libris suis aduersus Iouinianum sic loquitur: *De Opusculis meis contra Iouinianum, quod & prudentèr, & amantèr feceris exemplaria subtrahendo, optimè noui; sed nihil profuit ista diligentia cum multi ex vrbe venientes; eadem lectitarent, quæ se Romæ excepisse referebant; in hac quoque prouincia, iam libri fuerant diuulgati, & vt ipsi legistis nescit vox missa reuerti.*

17 *NEC SI PACTOLVM DARES.*

Etiam hoc aurigerum flumen in adagium abijt, Pactolus Lydię fluuius erat, aureis arenis, ingens igitur rei pretium, quod æquare rem non potest hac formula exprimimus, nempe *Nec si mihi Pactolum dares, tibi hanc traderem rem.*

18 *AETHIOPEM DEALBARE CONAMVR.*

De casso, ac irrito labore hæc verba proferuntur, sic S. Hisydorus Pelleusiota lib. 2. epis. 16. *Nos*, inquit, *qui te ad pœnitentiam cohortamur, tanquam Aetiopem dealbare conantes comicis dicterijs insectamur. Ego verò multas in hominibus mutationes, & iam extitisse audiens, & fieri conspiciens, & futuras expectans, rectè mihi facturus esse videor, si bona spe fretus te excitem, ac corrigam;* & Billius in sua Anthologia sacra eos amœnè reprehendens, qui in rebus caducis consolationem quærunt, ait.

Tædia, quæ mundi teneat reperire quietem,
Si velit, in solo numine quærat eam.
Vera quies Cælo fixa est, fallitur ille,
Sedibus in nostris, qui putat esse locum;
Qui mundi curas mundi medicamine curat,
Hunc album Aethiopem reddere velle reor.
Namque nouas sordes trahit hic, qui tædia mentis,

Vt

Vt pellat, mundi gaudia vana cupit.

19 *ALTER ANTHEVS, SEV ANTHEI MORE.*

Finxere commenta Poëtarum à casu, seù in humum lapsum vires resumpsisse Antheum, & terræ contactu fortiorem factum, vt aptior ad pugnam fieret, cùm tanquam victus deijceretur ab Hercule aduersario. Hoc adagio igitur vtimur, quotiès, quis ex eo quod ruinæ, ac deiectionis causa videbatur depressus fortior, ac neruosior emergit, vel magis se Deo vnit, ac ex ipso lapsu, ac infælicitate, secundæ fortunæ opem videtur sumpsisse, hoc sensu vsus est peritissimus Antistes Aloysius Lolynus. *Alius*, inquit, *à musis auersus, ac planè aggrauatus, adeò Anthei more à repulsæ casu, vires sumpsit, vt breui Clericus non malus, nec literarum insipiens euaserit*. Potest etiam adagialis hæc formula dici de eo, qui ex aliquo infortunio, vel aduersæ fortunæ ictu ad Deum se conuertit mundi illecebras despiciens.

20 *PANDORAE PIXIS HISCE TEMPORIBVS est aperta.*

Cum volumus indicare ingentium malorum, ac calamitatum extitisse fontem, aliquem in Rep. vtimur hoc dicterio, nempè *Pandoræ Pixidem adaperuit*, ab ipso enim omnia mala emanant. Fabulantur enim Poëtæ Pandoram puellam ad homines transmissam cum vase omnia calamitatum genera intus occulente; quo Epimethei imprudentia aperto, in omnem partem morbi, ac calamitates emanarunt hinc habetur illud, *aperta Pandoræ Pixide bellorum clades has oras infestauit*.

21. *FIDELIS ACHATES.*

Dicterium hoc in amicos vibramus; potest etiam ad virtutes transferri, quæ cultores suos nequaquam deserunt sic Ioan. Eusebius ad spem transtulit lib. 5. cap. 25. inquiens, *Exemplo amicorum spes tristioribus nunquam deest rebus, nunquam illa sequitur fortunam; cum autem nos derelinquunt amici, adest sola fidelis Achates: adeò meretur de lætitia subinde de vita*; addit in huius virtutis laudem, & commendationem. Conquoctiones, ac dulces somnos parturit, corpus bene coloratum reddit, & pingue, vt subtilissimi medicorum aiunt. Plus de virtutibus meretur, quarum cor est, & spiritus, & vigor: anticipata soluit stipendia laboribus, & quibusque probatis actionibus magnas impensas charitatis, suis prouidet sumptibus arduas expeditiones amoris, ipse quoque

amor

amor fortissimus agnoscens obsequia spei, suas delegat vires in sui primitias roboris; sufficit spes; illa enim omnem merorem expellit, omnem trudit mæstitiam laborum, omnia audet, & ne temeritatis arguar felicitatem superat. Fidus Achates etiam dicitur de Angelo Custode.

22 *FRONS DEMOCHRITI FORIS, COR HERACLITI Intus.*

Vsurpamus hanc dicendi formulam ad indicandum aliquem foris lætitiam, ac risum præseferre, intùs verò pregrandi torqueri tristitia, hoc adagium contrario sensu, etiam potest verti, nempè frons Heracliti foris, cor Democriti intus, & tunc vsurpabitur cum aliud foris patet, aliud latet intus, & sub tristitiæ facie, gaudium, ac lætitja occulitur.

23 COENVM DE COELO FACERE.

Hoc prouerbium tritum est, & in omnium ore resonat, ac ad illos transfertur, qui Cęlestia, ac Diuina contemnentes, quę magni sunt facienda, terrę commodis, ac diuitijs dumtaxat adhęrent; huc reuocari potest, quod habet Iulius Firmicus licèt ipse ità vtatur hac formula, vt ad eos traducat, qui Deorum falsorum exemplo ad immania quæque scelera alios vocabant; ait ipse, *Cœnum de cęlo facitis, & ad præcipitia crudeli calamitate ducitis homines.*

24 *QVI MVLTOS REGIT, A MVLTIS REGATVR necessè est.*

Axioma hoc adagiale erutum fuit ex adagijs Pij Secundi Pontificis Max. cuius meminit Sabellicus lib. 9. vbi cũ huius Papæ recẽseret gesta: aiebat; *Qui multos regit à multis regatur necessè est, & qui cæteris imperat omnium esse seruus debet, omnibusque sese accomodare, ac etiam multorum indiget consilio, qui consultè, ac prudenter alios regere studet, facilè enim aberrat, qui soli sibi fidit, & aliorum negligit consilia, ac monita.*

25 CORVVS OCVLVM CORVI NON ERVIT.

Tunc vsurpamus hunc dicendi modum, cùm volumus significare similes, aut dignitate, aut gradu, aut moribus non facile inter se sęuire, nec iustitiæ leges frangere eos, qui in probitate, ac morum rectitudine conueniunt D. Gregorius Turonensis lib. 5. Historia Francorum num. 19. hoc prouerbium tangit inquiens; *Rex iustitiam cunctis largiri debet, & ecce ego iustitiam à te non recipio, sed vt video consentis iniquitati, & impletur in te prouerbium*

bium illud, quod coruus oculum corui non eruit: aiunt Naturales hunc volucrem in oculos præsertim insilire, coruorum tamen oculis parcere. Magis latè cum in re aliqua, aut professione proceres sibi ignoscunt, nec alius contra alium agit, qui alterius partes alter tueatur, cum de tertio agitur, hoc etiam prouerbio vti quis poterit, vt etiam hoc alio, *de cane canis non edit.*

26 TESTVDINE TARDIOR.

Adamussim hoc adagium transfertur in eum, qui lento gradu in aliqua facultate proficiscitur: vel cum volumus significare esse arduum, atq; difficile, quempiam à vitæ prauæ moribus discedere, & ad nouam vitæ institutionem migrare, hanc paroemiam, etiam vsurpamus.

26 PANDORAE SVNT FILIAE.

Prouerbium etiam olet hæc sententia, quæ torquetur in mulieres procaces, quæ verecundiam omnem eiurauerint, ac suis blanditijs, vel lenocinijs ad necem incautos alliciunt iuuenes. Pandoram enim aiunt, cum ignis à Prometheo furtim fuisset sublatus vindicandi huius sceleris causa mortalibus aduenisse, pro bono videlicet, atque vtili igne, ignem alium malum, ac pestiferum asportasse, ac hominum animos inflammasse, & tandem omni eam pulchritudinis genere à Dijs instructam, & exornatam fuisse. Iam cum suum quisq; illæcebræ, ac fraudis genus in vnum contulisset, tum verò confertam, & cumulatam imposturam hominibus inuectam esse, versutam nempè mulierculam impudentem dicendi suauitate præditam, pernicioso oblectamento homines perdebat. Ioninus in profanam mulierem sic canebat.

Regulus aspectu nocet, atrox vipera lingua,
At mulier duplex improba virus habet.

28 HONOR CYCLOPICVS.

Adagium hoc de his peculiariter dicitur, qui ad summam elati dignitatem cōfestim Icareo veluti lapsu in miseriarum oceanum taliter ruunt, vt postremò pereant loco: satis tritus est Amani lapsus, in Artaxerxis Aula, eius honor verè Cyclopicus potest dici: huius adagij originem Elias Crethensis enucleat: post enim Troiæ excidium Vlysses, hùc, atque illùc aberrans, ac loca subinde commutans in Cyclopum Insulam appulit, cumque è naui descendisset, ac per Insulam aberrasset in antrum quoddam incidit, illic signa quædam incolarum nactus consedit, incolas expectans.

Venit autem Vir quidam prodigiose, ac inusitatæ magnitudinis, neque enim (vt Homeri verbis vtar) similis erat viro frumentum edenti. Cyclops porrò hic erat armenta pascens eaque iam in antrum reducens, qui cum ipsum, ac ipsius socios conspexisset, qui nam essent rogabat, Vlysses autem tùm, alia, tùm nomen suum exponit, ille verò duos ex ipsis simul arripuit, atq; contriuit eorumq; corporibus sibi cenam parauit: qua quidem ex re metu perterritus Vlysses vinum, quod secum in vtre detulerat eum delinit, ac verbis mulcet, munusque hospitale ab eo requirit. Ille verò hoc inquit hospitale munus tibi dò; quod te postremùm comedam; nec tamen Cyclops, quod in animo habebat perficere potuit, nam cum Vlysses ipsius mentem vino concussisset oculis eum orbauit: vnde ex hoc ortum fuit Adagium illud honoris Cyclopici, quapropter Cyclopico etiam honore Iulianus magnos viros afficiebat postremos ad persecutionis periculum illos conseruans.

29 PHRYNAEA IMPVDENTIA OPERATVR.

Phrynem nobilem Athenis extitisse meretricem, tritum est apud omnes; hæc enim exuta omni verecundia, ac modestia nudatum pectus Iudicibus ostendit, à quibus tamen post multa patrata scelera, morte punitur, ac in mare demergitur, ac si minor aquarum copia, ad tantæ mulierculæ vesanos extinguendos ignes, non fuisset satis, quapropter Phrynea impudentia dicitur de muliercula inhonesta, quæ à se omnem exclusit modestiam huius insanæ Veneris humidam necem lepidè descripsit Poeta, inquiens;

Cynthia nuda sinus vittisque soluta capillos,
Pectore velinolas remige venit aquas.
Aeolus, at Siculis Austros explodit ab antris,
Turbantes resflui naufraga regna maris.
Bacchatur tumidus sinuato vertice pontus,
Acta cito sponsam turbine spuma premit.
O vocitat præbete manus demergor amicas
Turgida iam vultus obruit vnda meos.
Aequas dat pœnas, en pulchra puella sueta,
Præcipitare Mares præcipitata mari.

30 BABYLONIIS CRVDELIORES.

In tantam erupit apud Babylonios immanis barbaries furiam, vt

vt hisce temporibus in prouerbium abierit, vnde ad indicandum animum quẽdam Neronianum, ac ferinum hisce vtimur verbis, homo ille Babylonijs crudelior, vt etiam de eodem potest lepidè dici, quod sit nostri sæculi Nero, qui candorem ne quidem in nomine gerit; de Babylonica barbarie, sic loquitur S. Athanasius in Apolog. prò sua fuga, *Quod autem ipsi tales sint ipsorum opera declarant, ac ostendunt eorum animos feris efferiores, ac Babylonijs crudeliores esse.*

31 LITERAE VRIAE.

Satis sacris in paginis est trita Vriæ historia, quapropter Vriæ literæ in Adagium abiere, de illo enim, qui propriæ necis instrumenta gerit, Vriæ literas, dicitur deferre, quia est causa propriæ mortis; eodem prorsus modo, quo Vriæ literæ extitere; prouerbiali etiam schemmate, illi Vriæ literas portare dicuntur, qui scientiam habent sanctitate destitutam, quapropter luxit fractis oculis D. Thomas Præfatione in Epis. Canoni: vbi doctrinam sanctitate viduam carpens, ait, *Istæ sunt Epistolæ, siuè literæ Vriæ, de quo loquitur lib. 2. Regum cap. 11. quòd portauit literas mortis suæ; literas mortis suæ portant viri literati, qui sciunt, & docent, sed non faciunt. Vriæ literas fert, qui sanctitatem scriptione, ac verborum redundantia alios edocet; & postea moribus prauis virtutes, quas edocebat violat. Sanctitatem operibus temerat, & totam virtutum Cohortem denigrat, vt mortis suæ sententiam suis hisce literis à probitate exulantibus portet*, in quam amæntiam Billius in calce suæ Anthologiæ sacræ lepidè sic cecinit;

Hæc ego dum veterum lego monumenta parentum,
Ex varijs rapui floribus instar apis.
Vt desiderio Christi mens ægra medellam
Inueniat, gemitus, & leuet ipsa suos.
At tu dà quæso genitor sanctissime, vitam
Vt mea conscriptis congruat vsque meis.
Neue Vriæ in mortem stolido mihi scripta ferantur,
Quæ tandem æternæ sint mihi causa necis.

32 PLVRA CAPITA HABET, QVAM HABVIT HYDRA.

Commenta Poëtarum lepidè hãc enarrant de Hydra fabulam, fera namque fuit septenis distincta capitibus, quorum vnum obtruncatum in nouum repullulabat caput, vnde Hercules eximius tantæ feræ profligator ignem adhibuit ad extinguendam immanẽ

feram; applicans nempè ignem obtruncato capiti, ne ampliùs in nouum resurgeret, hæc igitur Lerneæ Hydræ capita in adagium irrupere, ad significandum virum quemdam multis implicitum negotijs, & qui omnibus præstet operam de hoc enim potest dici prouerbialiter, plura habere capita, quam Hydra habuit.

33 *RES IN DEMOCRITI PVTEO ADHVC LATENS.*

De Democriti puteo plura habentur apud Ethnicos, in quo natantem latere veritatem aiebant, sed me iudice in puteo collatam voluit Democritus veritatem ad indicandum, veritatem iam esse demersam, & non amplius vigere in mundo, verùm homines mendacijs dumtaxat gaudere. Potest enim dici de veritate, aut re qualibet, quæ obscurissimis obuoluatur tenebris, nec facilè ventura in lucem sit, vt esset de aliquo satis arduo negotio, quod non facilè suum possit sortiri finem, de illo enim adagiali sale dicimus, rem adhuc in Democriti puteo latere incertam.

34 *DIGNITATIBVS HOMINES DANDI, non Dignitates Hominibus.*

Hac dicendi forma vtimur prouerbiali amænitate, vt explicemus, quod quærendi potiùs sunt viri dignitatibus digni, quam dignitates ipsæ viris ipsis, & euertendæ ambitioni, & vt dignitatum vt ita dicam dignitati, honorum honori consulatur: huius adagij meminit etiam Sabellicus AEneidum x. lib. 6. in calce; *Dignitatibus*, inquit, *sunt homines dandi*, *non dignitates hominibus*, *adeò vt dignitatum potiùs habenda sit ratio*, *quam ambientium dignitas*.

35 *FILO ARIADNAEO DVCI.*

Ariadnæa fabula iam trita est apud omnes, vt etiam eius stamen, quo è Cretensi labyrintho Ariadna Theseum extraxit, ne occideretur à Minotauro; vndè hic dicendi modus vsurpatur, ac dicitur de eo, qui certa regula in re ambigua, & in qua difficilis sit exitus ab aliquo perito Doctore ducitur in negotio perdifficili. De eo enim non sine prouerbiali saliua *filo Ariadneo duci*, dicetur, ducta Paræmia à recensita fabella: fuit etiam, qui huic filo obediētiam comparauit, qua sola tutè per difficultatum omnium, ac discriminum flexum pergimus.

36 *DVO PLVS VIDENT, QVAM VNVS.*

Vsurpari solet à recentioribus hoc adagium, cum vnius consilium, ac prudentiam non tanti faciendam esse indicamus; vt non alij quoque audiantur, ac alienum consilium non sit amplectendum,

dum, nullus enim adeò oculatus est, quin alterius quoque monitis, ac consilijs non indigeat cum plerùmque, quod vnius oculum fugit, non fugiat oculum alterius, vt amænè, ac lepidè loquitur Franc. Florerius lib. 2. *Nemo sibi adeo fidat, vt instrui ab alijs nolit tritum enim est illud prouerbium plus duo vident, quam vnus.*

37 *EST NODVS PLVSQVAM GORDIANVS.*

Cùm negotium aliquod arduitatem, ac difficultatem inuoluit, quod difficilè solui possit, ac in finem duci, hoc adagio vtimur nempè negotium esse nodum, plusquam Gordianum.

38 *ADAM IN ILLO VIDETVR NON PECCASSE.*

Indubitatum est post Protoparentis lapsum, omnes homines peccati labem contrahere, exceptis Christo Iesu, & eius Matre, cæterum in Adamo omnes peccauerunt, quapropter producta formula vsurpari solet, per quandam Hyperbolem, quando, scilicet viri alicuius innocentiam, ac integritatem volumus significare dicimus enim de tali innocenti, *Adamum in eo peccasse non videri.*

39 *BRIAREI MANVS ALIENIS BONIS INIICERE.*

Præcipuè prouerbium hoc torqueri potest in Principes auaros, qui multis vectigalibus subditorum sanguinem videtur exsugere hinc S. Gregorius Nazianzenus, idem adagium euibrans in raptores alienorum bonorum orat. 29. loquitur: *vt alios cerneret publicis bonis Briarei manus injicientes, ac malis lucris turgentes.* In aula præcipuè multos reperiri Briareos, res est clara, vndè Ioan: Eusebius lib. 2. cap. 72. in hec verba erumpit: respice aulam; tot Argos, tot Briareos inuenies, quot ambitiosos, & manibus vberes; & nutus Principum distinguentes vt ex vultu, velut ex tripode augurentur oracula diuinitatis.

40 *SEMPER VXOR LOTH RETRO' RESPICIT.*

Sunt nonnulli, qui ab inchoato bono recedentes terga vertunt incæpto bono, ac retrò respiciunt, quos minatur ipse Christus inquiens: veh illis? qui imponunt manus ad aratrum, & retrò respiciunt, ipsis enim benè conuenit hoc adagium, *semper vxor Loth retrò respicit*, notandũ quippè est, quod hi tales sunt semper imbecilliores, ac fragiliores, quapropter vxori Loth hoc est imbecilliori sexui assimilantur. Vndè Origenes Homil. 5. in Genesim rem ad mulierem transtulit, quæ voluptates amat, à quibus mens necatur. Sed redeamus ad Loth, qui cum vxore, & filiabus interitum

fugiens Sodomorum, accepto ab Angelis mandato, ne retrorsum respiceret, sed tenderet in Segor. Quidni vxor eius immemor fit præcepti, ac retrorsum respicit impositam legem rumpit, efficitur in statuam salis: putamus ne, tantum scelus in hoc esse commissũ, vt quia respexit mulier retrorsum interitum, quem diuino beneficio effugere videbatur inuenit? Quid enim tantum criminis habuit, si sollicita mulieris mens retrorsum, vndè nimio flammarum crepitu terrebatur aspexit? sed quia lex spiritualis est, & quæ contingebant antiquis, in figuris illis contingebant, videamus ne forte Loth, qui non respexit post se rationabilis sit sensus, & animus virilis; vxor autem hic carnis imaginem teneat: caro est enim, quæ respicit semper ad vitia, quæ cum animus tendit ad salutem illa retrorsum respicit, & voluptates requirit. Inde denique, & Dominus dicebat, *Nemo mittens manus suas ad aratrum, & retro respiciens aptus est regno Dei*, & addit: *memento te Vxoris Loth*. D. Grego. Nanzianzenus, etiam docet Sodomam esse interpetrandum mundum; Vxorem verò illius hominem ipsum, qui mundi illecebras iam despexit, ac reliquit; vndè non debet retrò respicere, nempè ad vomitum redire, ac relictum mundum quærere. Ait nempè idem Grego. Car. 3. de Virg.

Nec verò Sodomam fugiens, mundique fauillas,
Horribilesque minas habentis ab æthere flammæ
Ad Sodomam flectis oculos: ne fortè repente.
Conrescas salis in statuam, cunctisq; columna
Publica cum vitijs prostres, tum mortis acerba.
Nec Sodomam liquisse fugam contentus, in aruis
Vicinis defige gradum, flammæque propinquis;
Sed celer in Montem propera; ne te igneus imber
Obruat, & sauos pariat mora longa dolores.

41 *SISYPHVS IN MONTEM FACILIVS VRGEAT.*

Hoc adagium lepidè iaci potest in eum, qui irrito conatu in aliquod negotium, quod vix fieri potest incumbit, ac in cassum desudat hinc Monachus ille Lirinensis de indomabili proteruitate, malæ mulieris loquens cecinit;

Quid tua sollicitis distendis pectora curis
Imprudens frustra tempus inane teris.
Fœmineam ratione velis si vincere mentem
Flectere, vel dictis colla proterua putes.

Sic

Sic operam ludis, veluti, qui semina siccis
Littoribus mittit, Aetiopemue lauat.
Aue sum in montem saxum, qui Sisyphus vrget,
Illius euadat, culmina ad alta prior.
Quam muliebrem animum voces linguamq; rebellem,
Insanosque ausus perdomuisse queas.

42 *ALTERA MANV TRAHIT, ALTERA REPELLIT.*

Hoc adagio eos expungimus præsertim concionatores, qui sancta concionantur, ad virtutem alios prouocant, ipsi verò in vitiorum sintina coinquinati emarcescunt, euertentes operibus, quod verbis construxerant, quamobrem hoc sensu S. Greg. Nanzia. Terrasticis num. 4. sic ait;

Vel ne doceto, vel doceto moribus
Illa trahas me, ne manu pellas, at hac,
Erit loquendum si probe viuas minus
Sermone non tam, quam manu pictor docet.

43 *OCVLVS SINE PVPILLA, LVCERNA sine Igniculo.*

Vsurpamus hanc dicendi formam cum redarguere volumus aliquem, cui aliquid desit, quod illi sit maximè necessarium, vt sine illo agere nequeat, sic oculus sine pupilla, est Christianus sine fide, sine religione, sine pietate, sine iustitia; Princeps sine subditis, quî S. Hieronymus Dialogo aduersus Luciferianos hoc tangit adagium inquiens de ipsis Hæreticis, *Sit lucerna sine igniculo, sit oculus sine pupilla.*

44 *ECHENEIDE, AC REMORA TARDIOR.*

Instar prouerbij vsurpari potest, cum res exilis motum aliquem detinet, ac remoratur, vt de aureis pomis; quæ Athalantæ cursum detinuerunt, quapropter de auro potest dici, suas habere remoras, quibus cursum ad Cælestem Patriam remoretur: carnem Echeneidis officium obeuntem nobis exhibet S. Gregorius Nãzianzenus, eo quia caro detineat spiritum, ne ad cælestia tendat Carm. 3. de Virg. sic ait;

Nec vita ipsa tua immittas Echeneida carnem,
Qua velut iniecta properantem compede pupim
Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.

De Remora amenè, ac lapidè loquitur Italus Poëta.

Nella via dell'Accidia, che tenemo,

E remora

E remora un pensier, se l'altro è remo.

45 DE SCYLLA IN CHARYBDIM TRANSFERRI

Vtimur adagiali hac formula, cum indicamus ad effugiendum aliquod malum in aliud grauius prolabi hominem, hoc sensu, ait Petrus Blessensis epist. 145. *Sic ei durior aduersarius constitutus obstat, & de Ergastulo ad labirynthum de Scylla translatus in Charybdim.*

46 OBLIVIONIS AQVAM GVSTARE, EX LETHAEO *Gurgite bibere.*

Tritum est hoc adagium, ac ferè in omnium oribus, illudque vsurpamus cum aliquis obliuiscitur rei iam memoriæ mandatæ sic ei dicimus, *nunquid Lethæi latices bibisti?* vel cum volumus aliquem obliuisci iniuriarū *bibe* ei dicimus, *Lethæi vndas*, hinc est illud Lactantij lib. 3. de falsa religione cap. 18. *Ob mirum, ac singularem Pythagoræ memoriam! ob miseram obliuionem nostrùm omnium! qui nesciamus, quod ante fuerimus, sed fortasse, vel errore aliquo, vel gratia sit effectus, vt ille solus Lethæum gurgitem non attigerit, nec obliuionis aquam gustauerit, videlicet senex vanus (sicut otiosæ vetulæ solent) fabulas tanquam infantulis credulis fingit.*

47 ICARIVS VOLATVS.

Trita est Icari fabella, quæ prouerbialiter dici solet de aliquo, qui ità sursum tendit, vt miserrimè sit cassurus præcipuè de aulicis, qui vt ad dignitates sublimiores euehantur, sic in sublime euehuntur ob superbiam, vt aliquando Icareo lapsu ruant in deteriorem statum, vt fecit in Artaxerxi aula, Amanus ille, vndè si vides præterita tempora, si expectas præsentia multos Icarios volatus depræhendes. Ad Icarium volatum explicandum pertinet illud, quod Nicephorus scholijs in Synesium inquit, Icarus ait ipse, homo erat, ceteram astronomiam discere voluit, ac syderum cursus, sed cum non posset facilè rationum demostrationes intelligere despondet animum interim ab hac scientia, qua de causa fabulatum est eum sibi cereas alas conglutinasse, vt in Cælum euolaret, sed in ipso volatu Solè eidem occurrente, ac vehementius insultante liquefactæ sunt pennæ; ipse verò cecidit in ipsam partem maris, quæ ei forte contigit, à quo Pelagus Icarium appellatum est.

48 QVOD RARVM CHARVM.

Indubitatum est raritatem pretium præbere physicis rebus, sic ada-

adamantes, vniones, & alia gemmarum genera, ideò sunt pretiosa, quia rara; & ideò nobis chara, quia rara; lapides enim, ligna, ac plantæ ideò vilescunt, quia in magna sunt copia; vndè habetur adagium illud, *inopem me copia fecit*. Religiosis præsertim viris suadetur hoc prouerbium, vt rarò se in hominum conspectum dent, ne sæpiùs visi viliores fiant, vndè scitè, ait Thomas à Kempis in Dialogo Nouitiorum cap. 4. *Citò deuotionem suam perdet, qui sollicite eam non custodit, sed varia amicorum solatia petit. Lumen in lucerna clausum fulgorem suum retinet, & ardorem: extra verò positum, & eiectum leui flatu extinguitur, & tenebrescit; quod si omne rarum charum censetur; tanto erit; quis Deo charior, & hominibus reuerentior, quanto rariùs foris videtur; plures religiosi viri in maiori haberentur honore, si rariùs ab illis spectarentur.*

49 TANTALEVM POCVLVM LIBARE.

Ad confirmandam amicitiam adagiali hoc dicto vtimur præsertim, cum ad amicos inscribimus; de Tantali enim poculo scribit Philippus Beroaldus, & alij Authores Tantaleum poculum tangunt. Iarchas apud Indos philosophorum erat princeps penes quem Tantali statua subscriptione notata est, quatuor cubitorum longitudinis, quæ similis propinanti phialam porrigit, in quam humor distillat incorruptibilis, ex hoc Tantali poculo solent bibere Indici philosophi, vnde apud Indos amicitiæ firmandæ causa huiuscemodi compotatio inuenta est.

50 NVLLI SECVRVS HOMO INCVMBIT, nisi illi, qui non succumbit.

Axioma hoc, quod prouerbiali festiuitate nequaquam caret, tunc dicimus; cum monemus aliquos, vt soli Deo adhæreant mūdique illecebras nihili faciant, ac huius vitæ voluptates fugiant; in solum enim Deum spem nostrā debemus iactare, ne iactemur, solus enim Deus est, qui non succumbit: succumbit verò quidquid est infra ipsum vnde D. Augu. in Psal. 32. ait. *Ecce Dominus tuus factus est tibi quasi baculus: securus homo incumbit, quia ille non succumbit dic ergo securus, possessio tua ex possidentibus eam, dixit scriptura impleuit fiduciam, remouit dubitationem.*

51 BVCCINATOR SVI.

Quia superbia multos obcæcat; plures audiuntur iactatores suorum facinorum, & qui se, ac sua prædicant ad ostentationem; vnde de ipsis potest dici, quod sint buccinatores sui; Hinc Plutarcus,

cus, de Agesilao, sic ait; *Ità planè Agesilaus vitam instituit, dum tacitus bona sua secum circumferret; abunde magnus buccinator ipsemet sui erat: latabatur enim ex animo, quod testis sibi esset idoneus, ac spectator bonorum intus rationem certò sibi commorari ostendens, eamque egisse, rationem postea, quam iuxtà Democritum adsueuerat, ex se voluptatem accipere.*

52 *QVI SERO DAT VIX DAT.*

In omnium ore sicut resonat illud adagium, qui citò dat, bis dat: sic è conuerso, qui sero dat, vix dare dicitur: quod in illum quadrat, qui difficilè, ac seriùs, quàm potest dat, quod est daturus, vndè Scitus canebat Poëta.

Qui sera dat vix dat, vis tu dare vix; serò prabe,
Qui cito dat bis dat: vis dare bis: cito da.
Marmore cum legeret Cinna dare durus amicis,
Marmoreis monitis perstitit esse lapis.

53 *BENEFICIA PVLVERI, INIVRIAS MARMORI Inscribere.*

Hoc præstant, qui beneficiorum obliti; altè memoriæ inscribunt iniurias, quibus afficiuntur, vndè Thomas Stapletonus in vita Thomæ Mori: *Videbat vir inclytus, & summus homines tam facilè beneficiorum obliuisci tarde autem maleficiorum, & ait beneficia pulueri, si quid mali patimur marmori insculpimus.*

54 *CONVENIT, VT VESPIS.*

Adagium hoc vsurpatum fuit ad enucleandum aliquod cum magno incommodo alicui conuenire. Vespes enim pro suis latibulis velut coniuratæ magno consensu dimicant, petunt propè accedentes, & aculeis fodunt, vt in templo concordiæ, sępè fuit nidus ciconiarum, sic in fano Monetæ fuit examen vesparum, vnde cecinit Poëta.

Conuenit vt vespis quarum domus arce Moneta
Turbat agens strictis per lutea corpora telis.

55 *SPES ALIT, ET FALLIT.*

Iacitur adagialis hæc formula in eos, qui spem suam in rebus caducis, ac fictilibus collocant, vndè de tali spe dicitur, *Spes alit, & fallit*, è conuerso, vt spes alat, & non fallat; monemus viros, suam spem ponere in Deo, illumque dumtaxat aspirare; alit enim Deus, quia omnipotens, sed non fallit, quia infinitè verax, alit te anima rebus omnibus caducis, alit gratia sua, alit venerabili Sacramento

cramento Corporis, & Sanguinis proprij; non fallit, veritate ipsa dicente, *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*; è conuerso, mundi spes dicitur alere, & fallere; ideò spes impij lanugini, & spumæ comparatur, Quid facilius, quam lanugo? quid facilius dissipatur, quam spuma? si opes fures diripiant, vbi erit spes auari? si propter aliquam siuè veram, siuè falsam suspicionem, à gratia Principis aliquis excidat, vbi manebit spes ambitiosi?

56 *METANAEA NON LABORARE*

Est vitam ita instituere, aut in re aliqua ità se gerere, vt non facilè aliquod committatur, cuius pœnitere nos debeat. Scotus de bono Silentij lætus inquit, Silentij bono Metanea non laborabit; rectè enim apud Plutarcum Simonides Poëta silentium, Xenocrati Philosopho tribuit, vt etiam Ioann: Stobæus, maximusque Valerius.

Haud vlli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

57 *SEMPER INOPS, QVICVMQVE CVPIT.*

Maximis abundet aliquis diuitijs; si incipit aliena cupere, incipit egere, & ipse diues fit pauper, vnde tritum est illud prouerbium, *Inops est, quicumque cupit*, & Claudianus.

- - - - - - - - - - *semper inops, quicunque cupit.*

vis audire alias, simul diuitis, ac mendici voces? Luc. 12. v. 17. hæc fudit diues, *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos*. Audis egentis voces, vnde ait Sanctus Zeno, quis non talis misereatur? quis non felicitatem eius doleat? angustiatur ex abundantia, constringitur, & cohortatur ex opulentia, infelix, in præsentibus bonis, infelicior in futuris, & ideò ager ei non tàm redditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores: Terra ei non fructuum copiã, sed curarum molestiam germinauit: itàvt curis, ac mæroribus stimulatus egentibus, & esurientibus similes præferat cruciatus, deniquè, & egeni vox ista est, *Quid faciam?* vnde cibus? vnde vestitus? eadem conquæritur, & diues? *Quid faciam, vbi recondam?* ijsdem cruciatibus pro sollicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate torquetur.

58 *DVORVM SAPIENTIOR PRIOR TACEBIT.*

Loquacitas nimia insipientis est nota, ac exilis animæ, vt nos docuit ipsa natura, quæ in cicada loquacitatem posuit, in aquila silentium; sic homines impudentiores magis loquuntur, vt verùm

ſit illud adagium, *Duorum ſapientior tacebit prior;* nam ille ſapientior eſt & melior, cum citiùs retulit pedem, cum vtrinq; certatur, neque hoc ignauiæ ſignum eſt, ſed fiduciæ.

59 SPHINGARVM VNGVES.

Dicitur hoc prouerbium de maximè rapacibus, ſic ſphingarum vngues alicubi eſſe dicentur, vbi omnia rapiuntur, nihilq; tutum cuſtoditur; Sidonius lib. 5. epiſt. 7. ait, *Videbis illic manus Briarei, & Sphingarum vngues:* ideſt, vt inquit Scholiaſtes, *Manus vncinatas, quibus omnia inbament.* Sphinges, vel ſphingæ ſunt animalia aduncuis vnguibus, quæ griphi vocantur vulgò; & Iuuenalis Satyra 1.

- - - - - - - - - *vngueſque obſcruet acutos.*

60 POMVM ATHALANTAE SEQVI.

De ijs prouerbialiter dicitur, qui à propoſito, ac inſtituto digrediuntur, & aliena conſectantur; natum ab Athalanta Cenæi filia, quæ cum Hippomene pedum celeritate decertans eo ipſo victa eſt, quòd inter currendum obiecta ab Hippomene aurea mala colligeret, itaque curſum ſuum retardauit.

61 POLIMITA VESTIS PARVM PRODEST SINE TALARI.

Prouerbium olent hæc verba, quorum ſenſus eſt, virtutum varietatem parùm prodeſſe, niſi perſeuerantia veluti diademate coronetur, hinc illud in rebus Aſceticis periti: *Parum prodeſt veſtis polimita, niſi ſit talaris, & virtutum ornatus eſt inornatus, ſi perſeuerantia abſit, quæ virtutum; vt ſic dicam eſt virtus.*

62 NESCIT IMPERARE, QVI NESCIT OBEDIRE.

Aſceticis hoc dictum prouerbiali feſtiuitate non carens maximè familiare eſt, hinc illud Anonimi authoris, ſed rem piam tractãtis, qui neſcit obedire, neſcit imperare, ac iubere, hùc reuocari poteſt, & illud, quod habet S. Greg. lib. 1. Dialogo. *Vſus quidem*, inquit, *rectæ conuerſationis eſt, vt præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit, nec obedientiam ſubiectis imperet, quam Pralatis non nouit exhibere.*

63 INTER SECVNDA THESEVS. INTER ADVERSA PROTHEVS.

Feſtiuè poteſt hoc adagium torqueri in eum, qui amicis adhæret cum proſpera eos fortuna vehit, fugit cum aduerſitatum fluctibus præmuntur. Sidonius Apollinaris in quẽdam inuehens lib. 3. epiſt. 13. ait, *Hoc fabricatu Dedalus noſter amicitiarum culmen ædificat,*

adificat, qui sicut sodalibus, velut Theseus inter secunda sociatur, sic ab ijs postmodum velut Protheus, inter aduersa dilabitur.

64 NOSTRI TEMPORIS ANAXARCHVS.

Sumitur prouerbialiter hoc dictum pro animo forti, ac constanti in aduersis. Anaxarchus enim, vt vetera produnt monumenta, cum tunderetur in Mortario, dixit, *Anaxarchi follem tunde, non Anaxarchum*, ac si carnis imbecillitatem omnem exuisse videretur carneusque non esset, sed ferreus; sic de Anaxarcho Orige. lib. 7. contra Celsum; *Anaxarchus in mortarium coniectus, dum crudelissimè contunderetur, vocem emisit inter pœnas egregiam, & verè diuini cuiusdam spiritus, tunde Anaxarchi follem: ipsum enim non tundis;* noui Anaxarchi etiam dicti fuere nonnulli nostri temporis hæretici, qui in errorum pertinacia insistentes, exquisita passi sunt supplicia, veluti Diaboli martyres, & pati non videbantur.

65 AMICOS DE MAMMONA FABRICARE.

Est opum largitione, ac diuitiarum profluuio beneuolos sibi pauperes facere, qui veri amici apud Deum beneficijs exerceant munus, Tertull. lib. de pat. cap. 7. *Non piget donare eum, qui non timet perdere, alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum dabit nudo, nisi idem sit, qui auferendo tunicam, etiam pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nolis, si eum in tantum amauerimus, vt amissum non sufferamus.*

66 IN MEDIO FONTE SITI EXCRVCIARI.

Auaro adamussim adaptatur hoc prouerbium, qui in auro mersus, auri siti magis excruciatur, ac torquetur: ijs etiam conuenit, qui in rerum copia veluti inopes nesciunt operari, qui S. Gregor. Nanzianzenus orat. 40. ait, *At quid faciendum tibi est, vt contraria per contraria colligas, messem, nempè per diligentiam, ac industriam, sitisque restinctionem per fontem, atq; instar cerui grauissima siti laborantis magna celeritate ad fontes accurras, contractamque currendo fatigationem aqua extinguas, non autem vt Ismaeli accidit ob aquæ inopiam si siccitatem incidas, aut quod poëtæ fabulantur in medio fonte, siti excrucieris*, & alibi epis. 11. ait, *Tantalo similes eadem pœna mulctari nimirum in aquis sitientes.*

67 AD REI COLOPHONEM SE CONFERRE.

Adagium hoc solemus dicere cum vltima rei cuiquam manus imponitur, vndè D. Grego. Nanzianzenus orat. 1. sic ait, *Ad ipsum*

orationis colophonem iam me confero, nec quidquam verè attingam.

68 SINE ALIS VOLARE.

Crebrò in multorum ore resonat adagium hoc, quo significamus aliquem supra vires aliquid moliri; eoque irrito conatu ferri, quo aspirare potest, non peruenire.

69 NVLLVS IGNIS FVMO CARET.

Adhibemus hoc dicterium, cum significare volumus nullum esse adeò perfectum, quem imperfectio aliqua, Næus aliquis, non concomitetur iuxtà illud. *Iustus septies in die cadit*, vndè Franciscus Nouellius lib. 2. ait; *Nemo est ab omni parte beatus; nullus est, quem defectus aliquis non deuenustet, denique & vulgò iactatur, nullum sine fumo ignem esse.*

70 MEL ATTICAE

Iacimus hæc verba in hominem suauissimæ eloquentiæ; sic in Ponto Meletius presbyter longè omnium, qui tunc fuerunt in dicendo copiosissimus, ingenij gloria princeps cōmuni laudis honorisque testimonio *Mel Attica*, nuncupatus fuit. Ars enim Oratoria inquit Nicephorus natiua in eo visa est, cum foret in alijs quoque artibus ad plenam absolutionem perfectus.

71 DEPONERE SVPERCILIVM.

Torqueri hoc prouerbium in eum potest, quem à superbia, ac fastu auocamus, dicimus ei; iam supercilium depone, sic Prudentius in Psychomachia, ait;

Desine grande loqui frangit Deus omne superbum
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur,
Disce supercilium deponere, disce cauere,
Ante pedes foueam, quisquis sublime miraris
Peruulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, & ima redire feroces
Vidimus, horrendum membris animisq; Goliam,
Inualida cecidisse manu.

72 ETIAM EXIGVA SCINTILLA GRANDEM *Syluam succendit.*

Vtimur hisce verbis, cùm aliquem docemus ab exiguo malo ingentia exoriri mala, qui & peccatum peccato viam emollire dicimus, & Eusebius lib. 2. de adoratione cap. 13. ait, *Non solum peccata magna horreas, sed et venialia, quæ putantur leuia, & falsa voce parua dicuntur, non est parua culpa venialis, quia supra*

se

se habeat aliud maius, idest lethale peccatum; imò preindè magna censenda, quod supra se non habeat nisi vnum malum, quod sit maius, non solum homines censent mortem, & malum timent, sed & febrim, & lethale vulnus.

73 *IMAGINATIO FACIT CASVM.*

Amænè, ac acutè de hoc trito adagio Drescelius: non male inquit imaginatio illis conspicilijs comparatur, quæ turbam ex viginti circiter millibus aspectabilem repræsentant exercitum; quidquid in Orbe magnum est subsideat, si ei vanum imaginationis tumorem ademeris: cogitationes, meticulosæ, suspiciones, æmulationes, & mille huiusmodi, quæ vitam miserè discruciant imaginationis sunt ludibria; imaginatio vigilātium est somnium, quod mille phantasmata, modo ridicula, modo horrida obiectat, vulgi verbum est, *Imaginatio facit casum*, hic non minus verè dixerim; imaginatio, aut fabricat Crucem, aut certè aggrauat, quemadmodum is, qui pontem angustum transit, aut altum scandendo petit, tunc demum ruere incipit, cum ruiturum se imaginatur, ità prorsùs frequentissimè calamitosus fit, qui fetalem esse arbitratur.

74 *AVREA FRAENA MELIOREM EQVVM non faciunt.*

Festiuum olent hæc verba adagium, quo significamus diuitias, ac opes non augere virtutem diuitis. Hinc Franciscus Florelius lib. 5. ait; Quid molliorem, an superfluum ornatum quæris? relicta virtute, que solidior, ac magis necessaria est, vel à vulgi mente meliorem disce mentem, *Aurea frena meliorem equum non faciunt;* nec tu hoc ipso eris melior, si ornatior, mollior eris, non melior.

QVOD TACITVM ESSE VELIS NEMINI DIXERIS.
Non tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

75 Hoc prouebio alios monemus, ne secreta sua alijs explicent, qui enim prodi non vult ab alijs, alijs secretum suum, ne prodat; ægrè ab alijs impetrabit, quod à se impetrare non potuit, vnde quod tacitum esse velis, nemini dixeris.

76 *LVTVM EXORNARE.*

Cum aliquem casso labore defatigantem corrigimus hoc adhibemus adagium, nempè *Lutum exornare, aut Aetiopem lauare est hic tuus inanis labor;* transferri etiam potest ad illos, qui inepti

ad

ad dignitatem efferuntur; hinc eſt illud Saluiani de gubernatione Dei: *Nam ſicut ait quidam in ſcriptis ſuis, quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto.*

77 MENS LABYRINTHAEA.

Mentem labyrinthæam ille dicetur habere, qui multis ſimulationum inuolucris, ſinuoſis anfractibus, ac flexuoſis aſtutiarum fraudibus à mentis candore, ac ſimplicitate longè abeſt, vulpemq; in corde occulat.

78 CEREBRVM IN CALCANEIS GESTARE.

Satyricum hoc adagium in eos vibramus, qui imprudentiæ nota laborantes ſine iudicio, & inconſideratè aliqua præſtant, quæ amæntiam olent, vnde iſti non ſine aliqua prouerbij ſaliua cerebrum in calcaneis dicuntur habere.

79 VT SERITVR METITVR.

Cum volumus indicare fructum correſpondere labori hoc vtimur adagio, vnde eſt illud, *Qualis erit vita; tale erit, & præmium:* nam vt tritum habet prouerbium; *vt ſcritur, metitur;* & Benedictus Soſſagus lib. 3. epigr. ad perſonas, etiam tranſtulit, cum cecinit lepidè iuxtà ſolitum.

Cur non grandiloquum ferat ætas noſtra Maronem
Quæris? Cæſaribus cura Maronis erat.
Indocto non lauta Creſſi tam cœna dabatur,
Cæſareis vates accubuere thoris.
Optima menſarum vorat hic, mihi peſſima ponunt,
Et vis Ieiunus carmina voce tonem?
Ecce bibo lymphas lymphatur, at ille phalerno
Lymphari neſcit, nomine potor aquæ.
Cæſareas ſere nunc animas, mox ſugere priſcos
Aſpicies vates, vt ſeritur metitur.

80 CVM CANE PVGNARE.

Eſt cum vili, & imperito pugnam inire, & victoriæ gloriam Antagoniſtæ vilitate veluti inficere; quo non eſſe prudentis, aſſerebat S. Greg. Nanzianzenus ad Maximum, vbi ait.

Quis mente pugnet præditus cum canicula.

81 AEGYPTIA TEMPLA REFERRE.

Olet, & phraſis iſta prouerbium, qua ſignificamus aliquem totum eſſe in externo corporis cultu, animum verò, & quidquid

intus

intus est negligit, finitque squalore omnia interna obduci, quapropter hi tales Sodomiticis assimilantur pomis, quorum pulchritudo exterior intimum tegebat fætorem, vel sepulchra videntur dealbata; hanc rem apprimè agitat Clemens Alexandrinus lib.3.pędago.cap.2. inquiens; non externi ergo hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est, dici potest ornandam quoque esse carnem ornamento continentię, istæ autem mulieres non animaduertunt, dum colunt id quod est extrinsecum, quæ intus in profundo sita sunt esse planè inculta, horrida, ac sterilia, cuiusmodi etiam sunt ornamenta Aegyptiorum apud quos templa, eorumque porticus, ac vestibula, eorumque atria multis columnis cincta sunt, parietes lapidibus externis, & artificiosè depictis resplendent, itàvt nihil desit: ædes autem auro argentoque electro collucent, & ex India, ac Aetiopia varijs fulgentibus lapillis, intus verò non inuenitur Deus, qui quęrebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel cocodrillus, vel serpens indigna, sed antro spelunca, ac cęno dignissima: apparet, igitur Aegyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur: ità etiam mihi videntur nostri temporis fęminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculisque pingendis, ac pilis tingèndis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur.

82 *STRVTHIONIS STOMACHVM HABERE.*

Forma hæc dicendi vsurpatur prouerbialiter pro eo, qui omnia conquoquit, omnia digerit; Is enim dicitur struthionis stomachum habere. Struthio enim tantam habet caloris vim, vt ferreas catenulas, claues, ac ferrum digerat. Potest etiam fieri translatio de corpore ad animum, sicque struthionis habebit stomachum, qui omnia suffert, aduersa omnia tollerat: ad rem nostram est illud Iacobi Titini super illa verba Actorum cap.10. *Occide, & manduca*, super quæ verba elegantissimè ait ipse struthionis habet stomachũ Prælatus Ecclesiæ, qui errores omnes, prauos mores, & affectus iugulat.

83 *SACERDOTES LIGNEI.*

Verba hęc in prouerbium abiere illisque vtimur, cùm significare volumus nostri sęculi Sacerdotes à priorum sanctitate excidisse trita enim est hæc dictio, *Priùs Calices lignei erant Sacerdotes aurei*; nunc è conuerso, *Calices sunt aurei, & Sacerdotes lignei*; vndè, &

dè' & Trithemius in cap. 4. Regularum S. Benedicti, ait; *Habebant in primitiua Ecclesia Calices ligneos, vel areos, Sacerdotes autem aureos, nunc autem Calices aurei sunt, sed Sacerdotes lignei.*

84 *ARGVM TALPAM REDDERE.*

Vtimur hoc dicto, cùm significamus oculatissimum aliquem aliquo defectu eò duci, vt Maximè cæcutiat, vnde habetur illud distichon.

Sit licèt antiquo tibi mens oculatior Argo,
Te poterit cæcum reddere cæcus amor.

85 *DE TRAGICO COTHVRNO STREPENS.*

Iaci solet hoc acutum dictum in virum superbum tumidum, ac fastuosum; hinc Hieronymus Arnouius lib. 1. ait, *Quid te super alios cubeis? Quid tragico cothurno te iactas?*

86 *EXTRA CLEPSYDRAM DOCTVS.*

Cùm aliquid asseritur, quod venire in dubium & controuersiam non possit extra clepsydram dicetur esse; vnde de illis, qui quæstiones in campum afferunt, quæ nulli sunt momenti dici possunt docti, sed extra Clepsydram.

87 *IANVM BIFRONTEM REFERRE.*

Sapiunt prouerbialem amænitatem prædicta verba, quæ dicuntur de viro maximè prouido, ac circumspecto, qui & futura præuideat, & iaciat in præterita oculos, vndè hic Ianus dicetur, hoc est bifrons.

88 *SINE FVCO EST VERITAS.*

Vtitur hoc adagio S. Iræneus ait enim lib. 3. aduersus hæreses cap. 15. *Sine fuco est veritas, & propter hoc pueris tradita est.*

89 *DEMOCRITVS HIC RISVS MATERIAM INVENIRET, Heraclitus verò Lachrymarum.*

Exprimimus hoc adagio, rem ab vno capite vberem ridendi materiam exhibere; ex alio lachrymarum, vt accidit in rebus perituris huius corrupti sæculi, Hisdebertus epis. 56. ait sapienti nullum rerum euentum animi constantiam extorquere, ac productæ formulæ prouerbialis meminit; integrum hic locum dabo. *Sapiēs aduersus eam, quam dicitis fortunam nunquam imparatus, nunquā inermis inuenitur: suum habet clypeum, quo iacula frustrentur inimici, extra se nullum pugnæ quærit apparatum; in omni casu ipse tutus est; pectus eius pharetra fertilis, & armamentarium copiosum, semper sagittis exuberat, semper abundat munimentis, hauriri non potest,*

potest, cum telæ promere non desistat; quibus ille munitus vniuersa fortunæ missilia contundit, obsequenter, pariter, & persequenter superior est: dum ea blanditur, ingratus est, dum intonat aspernatur; nullis rerum mouetur euentibus, exultans vniuersis: quippe nihil est, vndè non triumphet animi triumphator; sed fortasse quæris; quibus armis tam viriliter sapiens dimicet, quæ pugnandi forma biformi hoste sit potentior; quod si nescis deceptum ire confiteor, qui nec ea ignota tibi, nec tibi deesse crediderim, infelix cuicunque contigit præfata carere armatura; infelicissimus, cui etiam ignorare; apud tales Democritus materiam risus inuenit, Heraclitus lachrymarum; Et Faustinus omnia munduna risu digna asserit.

Talia quid rogo sunt! non sunt stultissima! nonne
Cuilibet insulsa risu explodenda videntur?
Quæ si forte volet dignos ridere cachinnos.
Democritus rumpet pulmonem, viscera, bucchas.
Non satis vnus erit, nec si ter mille fuissent
Democriti, nec si gens tota armenta gregesque,
Saxa, feræ, & volucres, totus rideret, & orbis?
Tot merito celebrare queat deliria risu.

90 CANERE SVRDIS.

In eos dicimus prouerbiale hoc assertum, qui frustra aliquid, vel suadent, vel orant, & aures vacuas non præbentibus loquuntur; vnde Virgilius in Buccolica;

Non canimus surdis, respondent omnia sylua.

91 BELLVM TROIANVM EX GEMINO OVO EXORDIRI.

Est cum quis de re aliqua dicturus, altiùs, quàm sit par exorditur, à primisque initijs exordium petit; vnde S, Hieronymus, sic scribit epis.21. *Quorum, ais, ista tàm alta repetita principio, & ità procùl cæpta, vt meritò quis Horatiano de nobis possit sale ludere, & gemino bellum Troianum orditur ab ouo*; Marianus Victorius, ait. Ordiri ab ouo est longa repetere initia, vt oua illa ex quorum vno Castor, & Pollux orti sunt, ex altero Helena, quæ Troiano bello causam præbuit;

92 SCOPVLIS DVRIOR.

In propriæ voluntatis viros, ac inexorabiles hoc adagium iacimus: vnde Sidonius lib. 4. epist. 23. hoc sensu extulit, dum ait, *Nisi scopulis durior, duras, aut adamantibus rigidior perseueras insecabilibus.*

93 *VVLTVM HOMINIS HABET INGENIVM FERAE.*

Torquemus hanc dicendi formam in eos, qui extrinsecè videntur benignitatem, ac clementiam præseferre; intùs verò animum corruptum, moresq; temeratos fouent, quapropter de illis dixit Baptista Mantuanus;

Qui partim sensu partim ratione feruntur,
Nec viuunt totos cum pietate dies.
Hi sunt Centauri, Minotaurique biformes
Mostra, quibus duplex ambiguumque genus.

94 *LITERAE BELLEROPHONTIS.*

Prouerbiali schemmate literas fert Bellerophontis, qui putans commendatitias se Epistolas afferre, affert accusatorias, quales fuere, & Vriæ literæ in literis diuinis; Bellerophon enim ab Argiuorum Rege hospitio acceptus fuit, & non multò post apud eũdem falso crimine accusatus, rex tamen ne hospitij religionem violare videretur, si hominem suapte manu occideret: id negotij commisit socero suo Iobbati in Lycia commorante; ad quem legauit Bellerophontem, cum literis in ipsius perniciem scriptis, quibus lectis multis eum laboribus agitauit Iobbates, & multa in pericula induxit, e quibus tamen ille saluus, & incolumis euasit.

95 *SAGITTA IN LAPIDE NVNQVAM FIGITVR.*

Iacimus hoc dictum in eos, qui minis, ac flagris corriguntur, sed perseuerant in suis erroribus, nam sicut lapis duritie sua sagittam non admittit, imò potiùs reijcit, sic hi tales arguitiua verba nihili faciunt.

96 *INGENIA DE SEMINE HYPOCRITARVM Pullulantia.*

Festiuè torquetur hæc forma dicendi in eos, qui aliud sunt, & aliud apparent, aliud præstant, & aliud loquuntur: vnde de ipsis ait Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 5. *Sed ista ingenia de semine Hypocritarum pullulare consueuerunt, quorum pœnitentia nunquam fidelis.*

97 *ARTE PELASGA LABORARE.*

Torqueri solet hoc adagium in eum, qui summa calliditate, & astu pollet, & nectendis, suendisque fraudibus idoneus est. Pelasgi enim populi erant Græciæ vetustissimi, qui hoc vitio laborabant, isti ex Arcadia oriundi, circa extremam partem Macedoniæ

coi-

consederunt; hinc habetur illud Silij lib. 4. *Calliditas Graia, atq; astus pollentior armis.*

98 FEROCIA, AC CONFIDENTIA SALMONEVM Superare.

Salmonei nomen in prouerbium abijt, is Aeoli filius fuit,& rex Elidis, qui cũ diuinos sibi honores petulantiùs quæreret, Iouemq; structo æneo ponte tonando, & in iaciendis fulminibus imitaretur, ab eodem Ioue fulminatus, ad inferos detrusus est: vnde de superbo homine magna quæque moliente in cęterorum metum, & horrorem; hoc adagium dici potest: facit hic illud sciti Authoris Ferrar. orat. 23. *Hic enim verò non possum, quin inter seria ridendam Salmonei Regis ridendam insaniam, tonitruá,& fulmina æneo super ponte, quadrigarum strepitu, & flammarum iactu nimis laboriosè imitantis.* De Salmonei ferocia Photius in sua Bibliotecha ex Nimmero ità loquitur: *Ferocia Salmoneum superat, audacia superat Ixionem*, quæ adagialis forma in immitem, ac ferocem quadrat.

99 DEMOSTHENIS, & TVLLII PHILIPPICAS SCRIBERE.

Acutè, quia simul pungit, adagialis hæc formula in illum inuehitur, qui calami acumine alios pungit, ac alienam famã quodammodo dilaniat: Philippicæ inuectiuæ dicuntur, quibus Demosthenes Philippum perstrinxit; cuius exemplo Cicero orationes, quas in Antonium edidit Philippicas inscripsit, ad rem nostrã D. Hieronymus epist. 101. ad Pammachium sic ait; *Opto si fieri potest cõmentaria potius scripturarum, quam Demosthenis, & Tullij Philippicas inscribere tibi;* hoc est magis placet sacrarum litterarum studio incumbere, quàm in quempiam inuehere, & calamo eos, qui in me sæuiunt lædere.

99 ROTA IXIONIS TORQVERI.

Ixion commenta poëtarum Iouis filium faciunt, qui vxorem duxit Diam filiam Doionei: cui cum multa pro compensatione dotis pollicitus esset, & ob id pater sponsæ ad eum venisset, vt munus reciperet, Ixion facta scrobe, eaque lignis, & stramentis intecta, patrem sponsæ in ea fraude enecauit, à quo nefando barbaroque crimine, cum neque homines, neque Numina eum vellent absoluere, diuque incertus vagaretur, ac erraret per nemora, syluarumque vmbras, demùm Iuppiter illius misertus, in cælum filium vocauit: vbi Iunonem stupro fœdauit, quod cum Iuppiter

intellexiſſet ab vxore, illum deiecit in terram, vbi cum gloriaretur de ſuo crimine, Iuppiter indignatus, vibrato telo ad inferos Ixionem detruſit, curauitque, vt ibi rotæ volubili alligatus perpetuò volutaretur: vndè Ouidius, *Voluitur Ixion, & ſe ſequiturque fugitque*. Igitur adagium rotæ Ixionis torqueri poteſt in ambitioſos, auaros, ac cupidos, & in eos, qui à ſenſu ad illicita rapiuntur. Ambitioſi præſertim dicuntur Ixiones, ac Promethei, ideſt cruciarij, ac aſſiduæ lanienæ obiecti, quorum corda vexationes cruētant; quid enim aliud ſunt ambitiones, mundique deſideria, quam volubiles rotæ, ac erumnoſæ, in quibus animæ, tamquam Ixiones continua ratione voluuntur? ideò vitioſos in circuitu ambulare dixit regius vates; imo diceres hos tales boues illos Babylonicos, qui perpetua vortigine in orbem ferūtur, & Eccleſiaſtici Author, vt hominem ab hiſce agitatum paſſionibus exprimeret dixit, *Præcordia fatui, quaſi rota carri*, & apprimè ſubiungit ſcitus ille,

Vt rapido pendens Ixion tollitur axe,
Sic dubia pendes ambitioſe rota.

Amęniùs Bulzius Ixionis rotæ choreas comparauit,

Se laſciua rotet lepido muliercula ſaltu,
Pulſet humum, molli feſta puella pede,
Haud ſimul inſanit blanda ad ſpectacula Cæſar:
Tetricus, & caſtris horret adeſſe choris.
Rex ſapit. Ixionis quiſquis ſe gerat in orbem
Addictus pœnis iam Stygis eſt, vel erit.

100 *PROSPERE' AMBVLAT, QVI PORTATVR A DEO.*

Eximium, & inexplicabile præſidium diuinum eſt à Deo, vt omnis difficultas fauente Deo tollatur, viarumque omnis aſperitas leuigetur: vnde S. Auguſt. in Pſal. 103. ad illud: illuc naues commeabunt: addit naues Eccleſias intelligimus; commeant inter tempeſtates, inter procellas tentationum, inter fluctus ſæculi, inter animalia puſilla, & magna, Gubernator eſt Chriſtus. In ligno Crucis ſuæ Illic naues commeabunt non timeant naues, non valdè attendant, vbi natent, ſed à quo gubernentur.

LIBER

LIBER TERTIVS DE ARGVMENTATIONE.

PRIMATI sumus in præcedenti libro omnia loca, tùm intrinseca, tùm extrinseca, è quibus veluti ab armamentario orator potest desumere arma: sicut enim gloriosus miles vallare se debet, ac munire omni armorum genere, vt se omnibus faciat ferocem, hostibus vulnera, ac cædem minetur, Martis nepos, Regumque occisor dicatur, vt machæram futura hostium strage consoletur, hominum animas exorbeat, legiones hostiles solo aspectu territet, occursu fuget, in prælium primus eat, è prælio postremus discedat, castris habendis optet campum, tela spargat, ac tandem nudato ferro feriat Cęsim, punctim, còminus, eminus: ità excellens orator se debet omni argumentorum genere obarmare, vt de aduersarijs triumphet, ideò benè, hìc visum est de hisce argumentis Rhetoricis agere: nam ex Aristotile 1. Rhetoric. cap. 2. tria sunt, quæ potissimum ad persuadendum valent nempè mores oratoris, motus auditoris, argumentorum tractatio.

EXPENSIO PRIMA.

De Argumentatione in Genere.

INter omnia Rhetoricæ instrumenta argumentatio principem occupat sedem, ipsa enim est, quà vltimò veritas depręhenditur, & illa quæ latet ignota eruitur, & fit nota; primò enim qenè perscrutanda est propositio, & ex quo loco communi tractanda, Argumenta enim eruuntur ex locis communibus in superiori libro enucleatis, deindè ex tali loco conficiendum est argumentum; nam si ab effectibus dico, voluptatem esse necem animę,

hæc

hæc propositio dicitur argumentum, sed nondum explicatum, latet enim sub verborum vmbris propositionis veritas, quæ si latius explicantur, conficeretur argumentatio, quæ veluti vibrata sagitta aduersarios torquet, vnde Seneca à forma accidentali sic probat nauim esse bonam inquiens, nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum est rostrum, nec cuius tutela ebore cælata est, nec quæ Regijs opibus præssa est, sed illa est bona nauis, quæ stabilis, ac firma iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & consentiens vento, sed naues Cæsaris, quamuis non sint auro onustæ, vanisque depictæ coloribus tamen, veluti volucres tumidis linis super æquora volitant resistunt maris incursibus: ergò fateamur eas optimas naues.

Argumentatio vulgò definitur, *Oratio, in qua vnum ex alio cõsequi denotatur*, hoc est, in qua, ex vna propositione cognita aliam inferimus, ac deducimus hæcque definitio conuenit tam argumentationibus dialecticis, quàm Rhetoricis, ac tamen differentia, quod propositiones Rhetoricę in argumentationibus verborum redundantia dilatantur: secùs dialectica, laconicè suas narrat in argumentationibus propositiones: vulgatum enim est illud Stoici Zenonis dictum: dialecticam adstrictæ manui in pugnum collectæ, Rhetoricam verò eidem, sed expansæ, ac adapertæ comparari, quæ similitudo præcipuè valet in argumentationibus, Syllogismus enim dialecticus paruus esse debet, ac strictus, è conuerso, Syllogismus Rhetoricus fusiùs se extendit.

EXPENSIO SECVNDA.

De Diuisione Argumentationis.

IN plura partitur membra argumentatio nempè in Syllogismum, Enthymema, inductionem, exemplar, dilemma, & soritem. Syllogismus est argumentatio, in qua ex duabus propositionibus tertia denotatur inferri, vt cum dicitur: *Omnes arbores sunt vegetabiles, amigdalus est arbor, ergò est vegetabilis*. Enthymema est syllogismus truncus, in quo ex vna dumtaxat propositione alia denotatur inferri, veluti cum dicimus: *Petrus est homo, ergo est animal rationale*: inductio est argumentatio, in qua ex pluribus

pluribus particularibus sufficientèr enumeratis vniuersale colligitur: Exemplar est argumentatio, in qua ex vno, vel pluribus particularibus aliud particulare propter similitudinem deducimus, vt cum dicimus: *Deus pepercit Niniuitis pœnitentiam agentibus, ergo etiam mihi parcet si pœnitentiam egero*. Dilemma est argumentatio bicornis, in qua duæ partes proponuntur, quarum alteram non possit aduersarius effugere, sed illarum qualibet capiendus est, vt *Vel præstasti operam literis, vel non; si non, ergo negligens es; si præstasti operam, ergo rudis, ac ignarus*. Sorites tandem est argumentatio, quæ aceruatim multas inuoluit argumentationes, & Cic. de illo in lib. de Diuinatione sic loquitur; *Si necesse sit latino verbo, liceat acerualem appellare, sed nihil opus est, vt enim ipsa Philosophia, & multa alia Græcorum verba; sic Sorites satis latino sermone est dictus*.

In Argumentationibus hæc aduertenda sunt; primo oratores magna dexteritate debent illis vti, ità vt oratio in discursu, seù argumentatione videatur fundata, quapropter ipsa argumentatio varijs eruditionibus est vestienda, & figurarum amænitatibus ornanda; secundò obseruandum est, quod præcipit Cic. vt quæ in ea adhibentur, aut vera sint, aut probabilia, aut verisimilia: tertiò orator, non debet ex omnibus locis enucleatis in præcedēti libro argumenta eruere, sed ex ijs dumtaxat, quæ videntur rei magis fauere, si enim ab omnibus locis, Orator vellet argumenta deducere, prolixas nimis traheret orationes, ac pueriles contexeret compositiones; quartò argumenta non sunt confusè applicanda orationi; sed debent ordinem seruare, in principio & fine ponuntur argumenta efficaciora, in medio quæ minorem neruum videntur habere, insuper argumenta validiora sunt diffusius pertractanda, vt maiorem efficaciam ostendent.

EXPENSIO TERTIA.

De prima Specie Argumentationis, seù de Syllogismis.

SYllogismus, quem Epicherema Græci vocant est, in quo ex duabus præmissis propositionibus tertia alia infertur, vndè ex tribus videtur constare partibus, nempè propositione assumptione, & complectione, quæ à Dialecticis maior, minor, & consequentia

quentia appellātur, verùm quia hæc Dialecticorum ratiocinatio, concisa nimis, ac laconica videtur, orator, qui non tantum docere, sed etiam delectare, ac flectere debet Syllogismum in quinque resecat partes, ac quinque amplificatis membris absoluit, quapropter Syllogismus Rhetoricus constat ex propositione, cui subijcienda est eius ratio, deindè assumptione, cum qua eius probatio coniungitur, postremò complectione; propositio est quà rem tractandam enucleamus; approbatio propositionis, est quà id quod expositum est varijs probamus rationibus: assumptio est ea, per quam id quod ex propositione ad dilucidandum pertinet assumitur, assumptionis approbatio est illa, per quam, quod probandum sumitur rationibus varijs corroboratur, ac munitur. Complexio deniqúe est, per quam, quod conficitur ex omni argumentatione breuiter, ac sigillatim dilucidatur.

Exemplum rem clarius enucleabit: volo adolescenti suadere, vt operam nauet virtutibus: primum quærenda est ratio ex locis thopicis, ac communibus in præcedenti libro explicatis, quæ ratio adolescenti suadeat præstare operam virtuti, sic ab effectibus virtutes illustrem reddũt hominem, ac ad gloriæ culmen euheũt: propositio verò sit ista: *Gloria est omnibus modis comparanda*, ratio huius propositionis ab effectibus est, *Quia gloria illustrem, ac clarum reddit hominem:* assumptio propositionis erit, *at sola virtute homo sibi comparat gloriam*; huius assumptionis probatio est, *Quia virtus hominem magis Deo vnit, Deus enim omni virtute est infinitè præditus:* Complectio tandem est, *ergo nauanda est opera virtuti.*

Hæc argumentatio in quinque fuit diuisa partes; vt latior pateat Oratori ad amplificandum campus, tamen siuè argumentatio sit quinque partita, vel tripartita nihil refert; si propositionem eiusque rationem vnicam censeamus partem; alteram verò assumptionem, & eius exornationem, quæ argumentatio est tripartita, at si separes propositionem, à ratione, & assumptionem, ab exornatione in quinque partes patebit distributa argumentatio, vt.

Propositio. *Quod ad æternam ducit gloriam, Deique amicitiam conciliat est omninò amplectendum.*

Assumptio. *Sed virtus ducit ad æternam gloriam, Deique amicitiam conciliat.*

Com-

Complexio. *Ergo virtus est omnibus modis amplectenda.*

Hæc argumentatio, quæ est tripartita facilè potest fieri quinquepartita, si assignentur tàm propositionis, quàm assumptionis probationes, tali pacto.

Propositio. *Quod ad æternam ducit gloriam, Deique amicitiam conciliat est amplectendum.*

Ratio propositionis. *Quia homo debet tendere in suum finem, qui est gloria æterna, ac Deus in Patria clarè visus.*

Assumptio. *Sed virtus ducit ad æternam gloriam, & ad Deum.*

Ratio Assumptionis. *Quia nobis conciliat Dei amicitiam, nosque facit Deo magis similes.*

Complexio. *Igitur virtus est omnibus modis amplectenda.*

At quod caput est Orator omnes partes argumentationis debet ex arte pertractare, easque amplificare, ornare figuris, vestire sententijs, illustrare adagijs, perpolire argutijs, ità vt ex qualibet probanda propositione perfecta texatur oratio.

Propositionem, sic amplifico. Quid optabilius, quam gloriæ apicem attingere? Quid illustrius, quam æternam consequi gloriam? Quid delectabilius inter fugaces mundi illecebras, quam Deo frui ipsumque, quem nunc in ænigmate videmus, facie ad faciem, vt loquitur Apostolus, videre? Si gloria est expetenda; eo quia ad immortalitatem ducat, ob quam Alexander Macedo plures aspirauit ad mundos, Indorum sibi subiugauit plagas, Barbarorum sanguinem effudit, ac victorum populorum clamoribus tàm vehementem præstauit famæ tubæ sonitum, vt eius fama hisce etiam temporibus vbique obstrepat: ob quam Scipio Africam ingruere, ac illa est ausus monstra lacessere, debellare, enecare: ob quam Carthaginensis Annibal Tyberis sitiens vndam, ingenti exercitu totam Italiam adoriri, ac deuastare non expauit, vt non Lærneam, vt quondam fictus Hercules feràm, verùm septem collium Vrbem profligaret, ac de totius Orbis Regina triumpharet, ob quam postremò cætera Mauortis fulmina Bellonæ in area durarunt, vsque ad cruoris effusionem, ac necis imminens periculum, enim verò si veriorem gloriam in Dei fruitione consistere indubitatum est, ab omnibus hominibus hæc gloria erit expetenda.

Propositionis rationem, sic extendo. Honestum est omnique

laude dignum ad proprium aspirare finem, nempè Deum propter quem cuncta sunt creata: omnia enim, quæ in huius concretæ telluris thearo mouentur propter finem mouentur, an non redundantia aquarum flumina, vt suum attingant finem per saxa, ac prærupta ruunt proprias non expauescentia lacerationes: an non plures se diuidunt in riuulorum meandros, ac grato murmure etiam sine lingua fatentur se ad proprium tendere finem, nempè maris sinum? flamma ipsa nullum patitur obstaculum, vsque dum ad suam euolet sphœram, si quæ sensu carent, naturali pondere ad proprium ankelant finem, quanto magis homo ratione præditus, Deique ope suffultus ad suum debet finem aspirare nempè Deum.

Assumptionem sic dilato; enim verò, quid celerius ad gloriæ apicem homines euheit ipsa virtute, quæ animum exornat, quæ nec naufragijs obrui, nec elementorum iniurijs violari, nec bellorum detrimentis amitti potest? virtus enim illa est per quam si viuimus, honestè viuimus, in cuius studio si morimur beati sumus, quam qui deserunt humanitatem fugiunt. Virtus ea est per quam salutaribus consilijs vrbes vigent, qua amissa violatur iustitia, temeratur æquitas, ac tota virtutum cohors nefando corruit lapsu, cuius ope ciuium continetur salus: per quam florent in templis honestamenta pietatis, ac sacerdotia sanctiùs administrantur: Virtus expeditissimus est ad Cælum ascensus: vtinam homines ad virtutis præstantiam animos conuerterent! fugerent profectò hanc solutioris vitæ rationem, nec se tot vitiorum sordibus coinquinarent, at reijcerent vitium hominem anxium reddens ad bonorum operum illicia, humilem ad timorem, eneruatum ad labores, procliuem ad libidines, in rebus attritis desperatione fractum, in florentibus elatum, ac insolentem: vtinam intelligerent homines quantum momentum in virtute positum sit, statìm eius vestigia sectarent, ac euntes, vt loquitur Regius Vates de virtute in virtutem; demùm Cælestem attingerent gloriam.

Ratio assumptionis sic potest dilatari. Maxima est virtutis præstantia, quæ homines Deo similes facit, per quam Deus, qui omnia continet, & non ambit; portat omnia, & onus non sentit, semper agit, & non quiescit, semper quiescit, & assiduè operatur, qui vndique collucet, & omnia illustrat, cui est pro domicilio splendor inaccessus, pro amictu circumfusum lumen, qui nullo

tempo-

temporum ſpatio, nulla locorum regione circumſcribitur: ſine accesſione cumulatur, ſine deceſſione diffunditur: Virtus inquam ea eſt, per quam diuina mens nulla rerum corporearum contagione fœdata hominem ſummo amore complectitur.

Concluſio denique, ſic erit extendenda. Quis igitur negabit, virtutem eſſe vnicum humani generis honorem? preclarum mentis ornamentum? intellectus ſplendorem? ac compendioſam quandam viam quà ad Deum propiùs accedimus: ſi homines vt opes cumulent nulli parcunt labori, Marla ſcindunt, tumentes vndas frangunt, cum ventis pugnant, elementis bella mouent, & hoc vt acquirant caduca, ac fragilia, hoc eſt opes, quæ citò effluunt, repentè dilabuntur; nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo fortunæ ſtatu hùc illùcque acta, quos in ſublime extulerunt improuiſo decurſu deſtitutos profundo cladium miſerabiliter immergunt: quanto magis igitur debent homines virtutem ſectari, quæ ad veræ gloriæ apicem viros euhcit.

EXPENSIO QVARTA.

De Enthymemate.

ENthymema eſt argumentatio trunca, quam nonnulli cum Epicheremate confundunt; à Valgio aggreſſio etiam vocatur, Cellius autem ait Epicherema non noſtram argumentationis tractationem, ac œconomiam, ſed ipſam rem eſſe, quam aggredimur probandam, ideſt argumentum, quo aliquid ſumus probaturi, & nondum ſit enucleatum, ſit tamen mente conceptum, verum hęc lis niſi tenuitatem, ac læuitatem inuoluit; ideò opere pretium dùxi haſce inter nugas tempus non terere.

Enthymema igitur acutum eſt iaculum, quod ſi vibratur in aduerſarios magnum illis infligit vulnus, eoſq; parùm nõ eneruat: hiſce argumentorum formulis præcipuè vſus eſt Chryſippus, qui inter omnes Rhetores, ſeù philoſophos vnus omnium maximè ſtuduit breuitati, vtpotè qui ſemper adamauit eas argumentationes, quæ punctim ferirent, & acutiores eſſent: Oratores etiam, qui circa Hypotheſes verſantur, omiſſa maiori propoſitione, vtpotè nota, & communis ad probãdam minorem, ſe debent diffun-

dere, vndè Enthymemate frequentius vtuntur Oratores, quã Syllogismo, præsertim cũ omittitur Thesis, & Hypothesis tractatur, vt est illud Cic. pro Mure. num 3. *A quo tandem Marcus Cato est æquiùs Consulem defendi, quam à Consule; Quis mihi in Rep. potest aut debet esse coniunctior, quam is cui Resp. à me vno traditur sustinenda magnis meis laboribus, ac periculis sustentata.*

Enthymema aliquando plures admittit propositiones simùl cõglobatas, è quibus tamen vna sola conclusio educitur, & dicitur Enthymema compositum, vt quæris cur cruentatis flagellis carnem domet? cur cilicinis se induat vestibus, cur abstinentia carnem eneruet, cur diuinis sit assiduus meditationibus, cur castitatem excolat, charitatem foueat, ac cæteris virtutibus se exornet, quia æternam aspirat beatitudinem: vel è conuerso ex vna propositione plures educi possunt conclusiones, vt vera beatitudo in Deo dumtaxat residet, ergo perperàm agit, qui ad acquirendam felicitatem, auri, argentique pondera, non sine graui vitæ dispendio apud Indos quæritat, ergo male agit, qui ad dignitatum apicem, ac fastigium dumtaxat aspirat, ergo stultè operatur is, qui caducis, ac perituris voluptatibus indulget, ergo sine sale agit, qui huius vitæ commodis dumtaxat adhærescit.

EXPENSIO QVINTA.

De Inductione.

Inductio est argumẽtatio, quæ ex pluribus collectionibus educitur conclusio satis probabilis, seù est oratio in qua pluribus similibus inductis propositio confirmatur, sic per inductionem D. Ambrosius probat virtutem magnum in minoribus experimẽtum capere, per exercitationem verò frequentem ad illustriora progredi 1. offic. cap. 10. *Qui disciplinam bellicam vult assequi quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu positus præludit prælium, & velut coràm posito prætendit hostes, atque ad peritiam, viresque iaculandum, vel suos explorat lacertos, vel aduersariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu: qui nauim in manu regere gubernaculis studet, vel remis ducere; priùs in fluuio, vel portu præludit; qui canendi suauitatem, & vocis affectant præstantiam, priùs sensim canendo vocem excitant, & qui viribus corporis legitimoque*

luctandi

luctandi certamine coronam petunt; quotidiano vsu palestra durantes membra, nutrientes patientiam laborem assuescunt! necnon ipsa natura nos in paruulis docet, qui prius sonos meditantur loquendi, vt loqui discant.

Hoc genere argumentationis plurimum Socrates est vsus, vnde Socratica etiam dicitur argumentatio, etiam Ouidius hunc argumentandi modum adhibuit, & probat ad consolandam Vxorem hac inductione, res asperas, ac tristes materiam esse gloriæ trist. 9. epist. 3.

Materiamque suam tristem virtutibus imple,
Ardua per preceps gloria vadit iter.
Hectora quis noscet, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Typhis iacet si non sit in æquore fluctus,
Si valent homines ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet inque bonis cessat non cognita rebus.
Apparet virtus arguiturque malis.

EXPENSIO SEXTA.

De Exemplo.

EXemplum est inductio Rhetorica, seu argumentatio imperfecta, in qua multa exempla simul coaceruantur eleganti distributione ad confirmandum, quod erat probandum, exemplum sit, rosa inter flores, est maximè laudibus excipienda; sic hanc propositionem amplifico adducens illorum exempla, qui ad honorem, vel gloriam rosis sunt vsi. Charites tergeminæ nunquam consueuerunt incedere, nisi rosea serta præ manibus gestantes: apud Ethnicos tanto erat in honore rosa, vt si quis Orator elegãtissimè loqueretur, illius auditores inclamarent dicentes, *Audiuimus rosas loquentes*, roseum paritèr os Taumantidi, hoc est Iridi attribuitur. Scipioni victoriosissimo in Patriam redeunti placuit rosas ferre, voluit enim suos milites roseis coronis victores ingredi Vrbis, ac Orbis sinum: Aegyptus quondam ad Romanos rerum dominos roseum munus quotannis immittebat. Arpochrati pariter, hoc est silentij numini sacra erat rosa. Scitis etiam Veneris esse florem, quia Venereæ voluptatis est symbolum breuitate

sua

ſua roſa, nam dum incipit deſinit, *Cum naſcuntur conſenuere roſæ:* Candidam olim fuiſſe roſam aſſerunt Poëtarum figmenta, rubuiſſe verò punctæ Veneris ſanguine, in primo innocentium deliciarum hortulo ſine ſentibus roſam, nullis exaſperatam dumis, nullis hirſutam vepribus, floruiſſe teſtatur præſul ille, qui re, & nomine Ambroſiam ſapit. Poſita hæc alia ſententia, *Qui me contemnunt erunt ignobiles*, ſic per coaceruationem exemplorum poteſt amplificari. Contempſerat Diuinam Maieſtatem, ſacrumque violauerat cultum vaniſſimus ille Princeps Nabuchdonoſor, ac Hieroſolymitarum Templum immani arrogantia ſacris expoliauerat ornamentis, denudauerat veneranda Altaria, rapuerat penſiles lampades, quia extinxerat Religionis ſplendorem, Sacerdotum cruorem effuderat, ac ſitienti ferro religionis cultores dilacerauerat: at repente tantum abominata hominem natura, eumq; reijciens in feram fecit degenerare belluis ipſis, qui fuit rapacior. Prophanus Balthaſar ſacra ſupellectili ad prophanas delicias abuſus fuerat, & illicò inter epularum delicias animã euomuit, ac in vini poculo vaſtum eius Imperium naufragium eſt paſſum: plura denudauerat templa aureis, argenteiſque vaſibus auarus Heliodorus, & repentè varijs punitur flagitijs: vix purpuram induerat Anthiocus, & religioni cruentatus cometa viſus eſt, ſacros Sacerdotes veluti irrationales mactabat victimas, non alio numini quam proprio furori, at ſordido aggreſſus à morbo, vermibuſque, ac ardenti febri conſumitur; ſic omnes religionis contemptores, ac euerſores; vel repentinus morbus perdidit, vt Decium; vel voluntaria mors confodit, vt Diocletianum; vel tabes corrupit, vt Maxentium; vel mala peſtis interimit, vt Copronimum; vel inſana febris excruciauit, vt Copronimi filium; vel putida lacuna demerſit, vt Neronem; vel ventris profluuius vſq; ad necem temerauit, vt Leonem, & Arium; quia ait Deus, *Qui me contemnunt erunt ignobiles*.

Vides quam efficax ſit exemplum: fateor tamen propriè non eſſe argumentationem, licèt nonnulli Ariſtotelem ſummum in omni ſcientia virum temerè auſi ſint reprehendere, quod exemplum argumentationis genus fecerit; verùm ſubtilis ille vir, ac ſcita mente præditus dumtaxat voluit exemplum eſſe argumentum, ſeù amplificationem per ſimilitudinem, quod quidem à verò non aberrat.

EXPEN-

EXPENSIO SEPTIMA.

De Dilemmate.

Dilemma tùm ex Dialecticis, tùm ex Rhetoricis præsertim ab Aristotele lib. 2. Rhetoricorum est argumentatio bicornis in qua duæ partes proponuntur, quarum alterã non possit respondens aduersarius effugere, & illarum qualibet capiẽdus sit; vt cum hominem ignarum, qui diù scholas frequentauit arguimus, *Aut ex animo vacasti literarum studio, vel non; si non, ergo* negligens es, tempusque prodegisti, si vacasti rudis es, & ingenio hebes; Cicero in epist. ad Quintum Fratrem ait, *Si implicabiles sunt iracundiæ summa est acerbitas, sin autem exorabiles summa lenitas.* Amęnum etiam est dilemma illud Renati Laurentij in comment. Tertull. super illud egregium factum Romanæ Lucretiæ sibi manus afferentis.

Si fuit ille tibi Lucretia gradus adulter
Immerita ex merita præmia morte petis.
Sin potiùs casto vis est allata pudori,
Quis furor est hostis crimine velle mori,
Frustra igitur laudem captas Lucretia, namque,
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.

Nec minorem habet argutiam illud Sciti Martialis in Cinnam, vbi dilemmate monet Cinnam officij immemorem, ac promissionis contemptorem lib. 7. epig. 42.

Primùm est, vt prastes, si quid te Cinne rogabo,
Illud deinde sequens, vt citò Cinna, neges.
Diligo præstantem non odi Cinna negantem
Sed tu nec præstas, nec citò Cinna negas.

Seneca etiam eloquenti dilemmate arguit immanem prorsus esse luctum, quàmuis iustæ sint rationes dolendi, sic ille consolatione ad Polydium de fratris obitu cap. 27. Illud quoque tibi magno erit læuamento si sępè te sic interrogaueris: vtrum ne meo nomine doleo, an eius qui decessit! si meo, perit meæ indulgentię laxatio, & incipit dolor, hoc vno excusatus, quòd honestus est, cùm vtilitatem respicit, à pietate desciscere, nihil autem minus bono conuenit, quam in fratris luctu calculos ponere: si illius nomine doleo necesse est alterutrum his duobus esse iudicem. Nam

si nullus

si nullus defunctis est sensus, euasit omnia frater meus vitæ incommoda, & in eum restitutus est locum, in quo fuerat, antequã nasceretur, & expers omnis mali nihil timet, nihil cupit, nihil patitur, quis iste furor est? pro eo, me nunquam dolere desinere, qui nunquam doliturus est. Si est aliquis defunctis sensus; nunc animus fratris mei veluti ex diuino carcere emissus, tandem sui iuris, & arbitrij gestit, & rerum naturæ spectaculo fruitur, & humana omnia ex superiori loco despicit! diuina verò quorum rationem tamdiù frustra quæsierat propiùs intuetur? quid itaque eius desiderio maceror, qui aut beatus est, aut nullus est? beatum deflere inuidia est; nullum dementia. Hinc Elias Israeliticum pepulum sic cogebat, *Vsque quo claudicatis duas in partes si dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illud.*

Dicitur autem Dilemma, quia ità vtrinque præmat, ac vrgeat; vt ex alterutra parte aduersarium torqueat, ac punctim feriat: quapropter à Dialecticis cornutus etiam Syllogismus appellatur; ità enim argumentationis cornua in eo disponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incidat.

Hoc argumentum potest tamen dilui, vel vtrumque cornu infligendo, sic tritum est illud Antigoni Regis, qui cum à germano peteretur, vt causa, quam habebat non in foro, sed domi cognosceretur hoc dilemmate respondit: vel causam iniustam habes, vel non; si non, cur litigas? si iustam causam habes, cur hominis conspectum fugis? cuius dilemmatis vtrumq; cornu, sic eneruare poterat frater: ad primum respondeo, quod si iusta causa est melius, ac faciliùs domi discutietur, si iniusta, minorem infamiam priuatim subibo, quàm in foro in conspectu omnium gentium.

Secundò modo potest eneruari dilemma negando vnam ex duabus partibus dilemmatis, vt vel credis te rationem esse rediturum vitæ tuæ in supremo Dei iudicio, vel non: si non credis, es hæreticus; si credis, & malè viuis, es stultus, quod dilemma, sic potest infringi negando secundam partem, credo enim potest quis respondere, sed non semper hanc considero diem, ac *Annos æternos in mente habeo*.

EXPENSIO OCTAVA.

De Sorite.

SOrites est argumentatio, quæ multas argumentationes aceruatim conuoluit, atque complectitur; vndè Sorites est nomen Græcum, & Latinè aceruatio dicitur, quia aceruatim multas propositiones inuoluat; & tandem quibusdam gradibus ad conclusionem accedat: Hinc Themistocles filium suum nondum triennem totius terrarum Orbis potentissimum esse probat. Europa dominatur Orbi, Europæ Gręcia, Grecię Athenæ, Athenis Themistocles, Themistocli Vxor, Vxori filius, ergo filius Orbi; hęc tamen argumentatio multas solet inuoluere fallacias, est enim fallax argumentandi genus: oportet autem singula retexere, & cauere cautè ne in transcursu aliquid illegitimum admittatur, aut minus consequens, vt vniuersa fragantur, sicut enim exilis scintilla magnum excitat incendium, ità paruus error totam argumentationis massam, ac propositionum aceruationem corrumpit. Spuriæ argumentationis Imago, quæ subijcitur esse potest, *Qui assiduè docta librorum volumina peruoluit, ac præ manibus habet multum studet, qui multum studet, est doctus, qui est doctus maximi est faciendus, ac magno est dignus honore. Sed Bibliopola semper libros peruoluit, habetque præ manibus, ergo Bibliopola doctus est, ac bonore dignus;* Tota fallacia huius argumentationis residet in æquiuocatione, nempè, *Qui libros voluit, est doctus,* & multum studet, hæc enim propositio est vera, quando voluuntur libri assidua lectione, Bibliopola verò non voluit libros lectitando, sed materialiter: hac argumentatione habetur illud Apostoli asserentis oportuisse in omnium salutem Euangelium ab Apostolis prædicari omnis enim quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit, quomodo verò inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur. D. Ambrosius etiam hoc argumentandi genere vtitur lib. de fuga sæculi cap.8. *Quod quæritur inuenitur, quod inuenitur temporis est, quod temporis est, vtique diligentiæ est, quod autem præuenit vsum temporis, Deus fundit, Deus dat, quod Deus dat naturæ, non diligentiæ est; ingenium igitur diuini est muneris, quod autem*

diuini muneris hoc natura; ingenium ergo natura est, inuentio diligentia, illud sine tempore, hoc indiget tempore. Quia argumenta sunt tota vis, ac neruus Orationis, quo nostram propositionem confirmamus, animaduertendum est maximè, vt firmum argumentum in principio collocetur, firmissima in extremo, reliqua debiliora per medium conijciantur: insuper orator sterilis, ac ieiunus esse non debet in recensendis argumentis, nec ea enarrare debet Dialectico more, scilicet laconicè simplicibus verbis, singulæ enim propositiones sunt amplificandæ, varijs ornandæ figuris, ac argutijs, vt perfecte, mouere, docere, & delectare queat Orator.

EXPENSIO NONA.

De Varianda Argumentatione.

Varietatem in argumentatione adhibendam esse docet Romanæ eloquentiæ Princeps, & Scitus Poëta Italicè cecinit, *Dal molto variar natura è bella*; sicut enim varietas delectationis est radix, ità è conuerso satietatis fons est similitudo, quapropter ipse Cic. 2. de orat. num. 177. sic loquitur; *Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate*; & 2. de orat. num. 161. de Carneade ait, *Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi, & varietas per quã esset optanda nobis, qui nullam vnquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probauit, nullam oppugnauit, quam non euertit*.

Amplum variandæ argumentationis theatrum Oratori aperiũt ipsa loca topica in præcedenti libro diffusè enucleata, quia ex illis locis veluti è plenis fontibus argumentorum riuuli possunt exhauriri, itaque vnicum argumentum variari poterit tot modis, quot sunt ipsa loca communia, varianda proponatur hæc quæstio contra Stoicos, *Passiones, seù affectiones animi non esse euellendas ab eodem animo*, prescrutandum est prius, è quibus locis depromi possunt argumenta ad probandam hanc quæstionem.

Primo, *à materia* potest præposita quæstio probari, quod in homine est spirituale non est euellendum, quia tota nobilitas hominis est spiritus, ex quo cum carne conflatur ipse homo, vndè licet spiritus in rigore sit forma hominis; tamen est etiam mate-

ria,

ria, ex qua conflatur ipſe homo; per ſpiritum enim ſecernitur, & diſtinguitur à brutis, ac ſimilitudinem ducit cum Deo, per quem homo cognoſcit inuiſibilia, & quæ non cadunt ſub ſenſum, per quem apprehendit futura, recordatur præteritorum: verùm paſſiones, ſeù animi affectiones ſunt ſpirituales, ſunt enim actus eliciti ab ipſo ſpiritu, ergo ſi bene moderentur non ſunt euellendæ paſſiones animi.

A forma probatur prepoſita quæſtio. Quæ ad hominis ornatum ſpectant ipſumque hominem perfectiorem efficiunt, nullo modo ab ipſo homine ſunt erradicanda, imò ſunt magni facienda, quia in perfectiori gradu ipſum hominem conſtituunt, atqui omnes animi paſſiones hominem magis perficiunt, eſt enim perfectio dolere de perpetrato malo, timere prudentèr de imminenti periculo, lętari de alieno bono, fugere malum, deſiderare honeſtum, ergo cũ hæc omnia præſtent animi affectiones nullo modo erunt ab animo euellendæ.

A Cauſa finali. Ea nequaquam ab homine ſunt erradicanda, quæ eidem homini honoris, & gloriæ ſplendorem præbent, ac copioſam encomiorum meſſem ſubminiſtrant, verùm quæ maior gloria acquiri ab homine poteſt, quam à debellatis animi immoderatis affectionibus? quam ab animi perturbationibus iniecto fręno palmas demetere? Quid glorioſiùs, quã, vt loquitur Seneca, imperare ſibi, cùm verum imperium ſit ſibi imperare? Quid honeſtiùs, quam anſam præbere rationi, vt ſuum exerceat Imperium in ſubditas animi paſſiones, igitur cum animi affectiones tam copioſam præbeant triumphorum ſegetem reginæ rationi, nullus ſit, qui audeat aſſerere animi affectiones cum Stoicis eſſe euellendas: aſſereret enim victoriarũ occaſionem, ac radicem eſſe fugiendam, quod nullus ſani iudicij diceret.

A Cauſa efficienti. Quis aſſereret ea eſſe funditus erradicanda, quæ pectoribus noſtris natura fęcunda parẽs inſeruit? quę ſuperflua nequaquam progignit, quæ ſuperuacanea non admittit, quà renuente, quid quid amplectitur violẽtum eſt, verùm natura parẽs pectoribus noſtris inſeruit omnes animi affectiones, ergo perperàm affirmaret animi paſſiones eſſe extirpandas.

Ab Effectibus. Quæ exercitium præbent non exitium virtuti, non ſunt ab animo extirpanda, at coercere immodicum amorem eſt Caſtitatis exercitiũ; auaritiæ laxare habenas, eſt ipſa liberalitas;

 fręna

frena inijcere iracundiæ est fortitudo, ambitionem deprimere est animi magnitudo; igitur nullo pacto euellantur animi passiones.

A Partium enumeratione. Natura fæcunda parens vnicuique affectioni, peculiare concessit membrum, in quo veluti in solio proprio resideret, sic ira in felle nutritur, cupiditas in iecore residet, timor in corde pallescit, at si hæc euellis membra, vitam erradicas, ergo ne euellatur vita, non erradicentur animi motus.

A Coniugatis. Pati constanter est pectoris dumtaxat virilis, ac animi fortis, vnde aiebat ille, pati fortia Romanum est, & Alexandri milites apud Curtium varijs excipiuntur encomijs, quia laboribus assueti durabant in armis, ac æneum pectus obijcere temporum iniurijs consueuerunt: ergo si Pati est animi heroici, etiam passiones si bene regantur, ac domentur animi est fortis.

A Contrarijs. Sine passione fortitudo non exercetur, sine cupiditate languescit temperantia, sine metu corruit prudentia, ac sine animi perturbationibus languescit maior virtutum pars, ergo ne corruant virtutes non sunt erradicandi animi motus.

A Simili. Sicuti paulatim, ac assidua consuetudine immaniores feræ cicures fiunt, eo quia consuetudo sit altera natura, sicuti in agro diligenti cultura syluescentes plantæ mansuescunt, sicut in collibus amicis Bacchi sterilescentes arbores fecundo inserto fructificant, sicut rudiora marmora diligenti scalpro expoliuntur, ac obtemperant Artificis Ideæ, sicut aurum expurgatur igne, sic affectiones in animo possunt cicures fieri, vsque ad gloriam, ac laudem viri.

Ab Exemplo posset adduci quòd olim in Senatu Romano fuit agitatum de euertenda Chartagine; an ad maiorem Vrbium Reginæ vtilitatem resultaret Carthaginem euertere, vel stantem relinquere: Patres conscripti maluerunt, Carthaginem stantem, quã lapsam, vt Fabius, & Scipio: aiebant enim, quod Vrbs illa Romanæ virtutis esset incitamentum, ac Romani ferri exercitium, quod si cessaret, vel rubigo Romanorum armis denigraret splendorem, vel Iuuentus Romana in sua propria viscera fastigiata arma conuerteret: sic eo quia animi affectiones sint virtutum exercitium, nullus Stoicorum audeat asserere passiones esse erradicandas.

LIBER QVARTVS
DE AMPLIFICATIONE

PRæcipuum eloquentiæ fundamentum sese offert enucleandum, quia teste Fabio tota eloquentiæ vis residet in Amplificatione, ex qua Oratio non calorem tantum, ac neruum exhaurit; sed sanguinem, & spiritum: quapropter Orator ne videatur arator, vt loquitur Quintilianus, debet plurimum insudare in discenda amplificandi arte: sic Socrates apud Platonem in Enthydemo, Oratores Protheos esse appellandos censuit, quia vt Aegyptius ille Protheus in omnes rerum formas, ità Rhetores in multiplices amplificationum species deuoluerentur; nec facultatem illam proponimus imitandam, quam Athenæus fallendi artem appellare haud dubitauit; de qua etiam Zeno dixit esse facultatem, qua probatur idem posse, & non posse fieri: hæc enim est furiosa mentiendi libido, quæ per Græcorum ingenia semper irrepsit, cui Rhetorica nostra, vtpotè veritatis amasia aduersatur: licèt in amplificando suas admisceat Auxeses, ea tamen vtitur moderatione, vt à veritate non aberret.

Fateor tamen varios esse hac in re Tyronum errores, qui eloquentiæ fastigium digito censent tetigisse, si amplificent, neque artem vllam in rebus amplificandis adhibent, sed incircumscriptè sine lege hinc indè vagantur, ac errant; errores dumtaxat disseminantes, & importunissima garrulitate adstantium miseras aures obruentes: nihil enim turpiùs eloquentiam temerat, quam puerilis, ac inepta amplificatio; isti enim vano verborum strepitu intemperanter lasciuiunt, quibus dici posset illud Philomelæ, *Vox vox præterea nihil*, quapropter ad pueriles respuendas amplificationes nonnullas in præsenti libro expendam amplificandi regulas, quibus puerilē verborum redūdantiam facilè reijciet scitus orator.

EXPENSIO PRIMA.

Quid sit Amplificatio.

Amplificatio est grauis argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem, & petitur ex ijsdem locis, è quibus argumenta dimanant non tamen ex omnibus locis extruenda est amplificatio, verum ex illis dumtaxat, qui rei magis videntur fauere. Sic à loco à simili methaphoras possum simul conglobare, ac sapientiam amplificare. Sapientia est lux quædam, est formosior Empirei iubaris stilla, in difficultatum Oceano polare sydus, in maris littore Pharus, in sapientiæ turribus auspicatissima lampas, in tenebris nitidissimum lumen, in dubijs radius, fax in consilijs, in terrendo fulmen, flumen in narrando, animi decus, ornamentum hominis, latens cynosura callem ostendens, ne fatua errantique vaniloquentiæ flamma deceptus Orator in ignorantiæ syrtes impingat, naufragiumque patiatur, sed ex vitio, ac ignorantiæ cæcis cimmerijs victor emergat.

Differt recta, ac legitima amplificatio, à spuria, ac puerili per hoc, quod recta amplificatio est anima, & vita orationis, & sententiarum sertum, cum iusta circumspectorum verborum pondera contineat: hæc è conuerso verbis, & nugis inani quodam strepitu, ad imperitarum aurium insidias luxurians humilitèr intumescit.

Differt etiam amplificatio ab argumentatione, quod argumentatio simplici rationis expositione rem enucleat; amplificatio verò in vnum velut aceruum plurima congerendo singula dilatat figurarum varietate, ac argutiarum lenocinijs. Argumentatio habet genus dicendi accommodatum argumentis explicandis, concisum scilicet, & tenue: è contra amplificatio sententiarum pondere, orationis vbertate, ambitus magnitudine, & ingenti quadam vi comprehensionis impellit: Argumentatio dumtaxat ad omnia quæstionum genera, quæ in dubium cadunt adhibetur: Amplificatio verò, nisi ad magnas, grauesque causas; tùm quia finis argumentationis proximus est cognitio rei: Amplificationis verò motus: vndè non nisi re iam exposita, & confirmata adhibetur amplificatio.

Ab alijs etiam definitur amplificatio plenitudo quædam, quæ

ex

ex omnibus rerum adiunctis, circumstantijs, & locis commemoratis corroborat orationem, dicitur plenitudo non redundantia ad indicandum omne vaniloquium esse effugiendum, plenitudo enim non petitur ex inani verborum fuco, sed ex optimis quibusque rerum adiunctis.

Fateor tamen nonnunquam euenire, vt tales sint auditores, vt malint fuso, ac luxurianti sermonis ambitu capi, quales sunt Tyronum pueriles aures, vndè solent cum istis oratores veluti sinuosis orationis flexibus, ac meandris inter se recurrentibus ludere: Cæterùm solida, ac aurea amplificatio præssis illigata rationibus, & quæ ad suadendum neruum habeat est omninò anteponenda tumidæ amplificationi, quæ verborum redundantia, ac fucis luxuriet.

EXPENSIO SECVNDA.

Quæ nam sint germanæ amplificationis Formæ.

Dionysius Longinus cum de forma, ac methodo amplificationis, è qua totus consurgit orationis vigor aliquid enuclearet, rem noluit certis definire limitibus, verùm amplificationis formas sexcentas esse asseruit, hoc est propè innumerabiles; quapropter amplificationum formæ sunt permultæ: tamen si sigillatim omnes spectentur, vel ad locos communes in præcedenti libro expensos, vel ad diuisionem partium, vel ad ea, quæ cadunt sub sensus reducuntur.

Marcus Tull. Romanæ eloquentiæ princeps, quia ferè semper, vel parricidas, vel latrones arguebat, modum amplificandi crimina, ad decem reduxisse capita habetur in lib.2.ad Hermiam.

Primus locus sumitur ab authoritate, cùm commemoramus quantæ curæ ea res fuerit Dijs immortalibus, aut maioribus nostris, aut Regibus, Ciuitatibus, nationibus, ac hominibus sapientissimis, & ad hoc caput reducuntur testimonia, tùm diuina, tùm humana, & quò grauior authoritas erit, eo illustrior consurget amplificatio. Secundus locus est cum consideramus personas, in quas illatum fuit crimen, si crimen totam lędat Remp. atrocissimum est, si superiores eò crescit delictum, quò crescit dignitas personæ offensę. Tertius locus est, quò percunctamur, quę incom-

moda,

moda, quæ pericula, quæ mala ſint naſcitura in Rep. ſi crimen negligatur. Quartus locus eſt, quò demoſtratur, ſi huic ſit remiſſum crimen, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur. Quintus locus eſt, per quem oſtendimus, ſi ſemel aliter iudicatum ſit nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut erratum iudicium corrigere poſſit: & hic non incongruum erit exempla deducere, quibus oſtendamus, res poſſe, aut vetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi. Sextus locus eruitur ab animo præmeditato, vt cum oſtendimus ex conſulto factum, & dicimus voluntario facinori nullam eſſe excuſationem. Septimus locus exhauritur ab ipſa patrati criminis crudelitate, quà oſtẽdimus tetrum facinus tyrannicum eſſe. Octauus eſt, quò dilucidamus non vulgare, ſed ſingulare eſſe maleficium, nefandum, inuſitatum. Nonus eſt, quo comparamus patratum crimen cum alijs ſceleribus; vt cum dicimus maius eſſe maleficium trucidare Neroniana barbarie materna viſcera, quam amicum enecare. Vltimus deniqúe locus eſt, per quem omnia, quæ in gerendo negotio acta ſunt, quæque rem conſequi ſolent exponimus acriter, & criminoſe.

Verum vt dixi iſte Ciceronianæ præceptiones. Si prima fronte ſpectentur, ac in ſuperficie conſiderentur locupletiſſimam videntur habere amplificationis meſſem, è conuerſo verò ſi medullitùs prędictę formæ perſcrutentur videbimus dumtaxat amplecti modum amplificandi crimen, non verò omnia ſubiecta vniuerſaliter ſumpta.

Quamobrẽ vt aliquas ſubijciam amplificationis formas vniuerſaliores, ac crebrius vſurpatas. Dico primò veram amplificationẽ peti ex ijſdem fermè locis, ex quibus argumenta dimanant pręcipuè ex ijs, quæ præſtare poſſunt vberiorem dicendi ſegetem: ad amplificationes maximè valent definitiones conglobatæ, conſequentia, concomitantia, antecedentia, contraria, exempla, & ſimilitudines.

Secundò, amplificationem circa quodlibet ſubiectum petimus ab ipſis figuris, vt cum exageramus aliquid per exclamationes, admirationes, obiurgationes, ac cætera figurarum inſtrumenta, de quibus dicemus, cùm ad eloquutionis præcepta venerimus.

Tertio, Ampliacatio petitur ab ijs, quæ cadunt ſub ſenſus, nempè ſub auditum, viſum, olfactum, guſtum, & tactum, quæ ampl-

amplificatio tractatur per affirmationem, & negationem; & plurimum habet aucupij, ac suauitatis si benè tractetur.

Quartò, amplificatur Repręsentatiuè, hoc est à partium enumeratione recensendo singulas subiecti partes, non sermonis sterilitate, sed verborum redundantia per hypothiposim, & hoc, tali dicendi forma, vt ad viuum videatur res expressa.

Quintò, amplificatur Absolutè, scilicet ab effectibus, potissimum etiam ab adiunctis, quæ sunt antecedentia, concomitantia, & subsequentia.

Sextò Comparatiuè, fitq; cùm id quod est amplificandum cum alijs exemplis comparatur, vel cum alijs actionibus, quæ vel minores sunt, vel maiores, vel pares, vel contrariæ, vel similes.

Septimò Vniuersalitèr, & fit à circumstantijs ideòque dicitur vniuersalis, quia circumstantiæ sequuntur vniuersalem omnem personam, actionem omnem, & hæ circumstantiæ pręcipuè sunt instrumenta, tempus, locus &c.

Octauò particularitèr, quæ particularis amplificatio petitur à particularibus circumstantijs dumtaxat talis peculiaris personæ, vt à nobilitate, à dignitate, à cognitione, virtute, fortitudine, iustitia, temperantia, scientia, à beneficijs acceptis, quæ circumstantiæ, vt videre est non semper sunt communes, sed particulares.

Nonò potest amplificari Patheticè, quę pathetica amplificatio fit ad mouendos affectus, qui affectus sunt vndecim sex in parte concupiscibili, nempè Amor, odium, gaudium, tristitia, desiderium, fuga, quinque in parte irascibili, spes, desperatio, timor, audacia, ira, de quibus dicemus infra.

Decimò, potest amplificari Exornatiuè, quæ amplificatio consurgit ex flore compti sermonis, qui autem flores in amplificationibus ponendi sint, dicam cùm ad argutiarum pręcepta venerim.

Vndecimò ab Historijs præcipuè, quæ eruuntur à grauibus Authoribus, & quæ subiectum amplificandum videantur corroborare.

Duodecimò, tandem ab adiunctis comprehensis in illo versiculo, *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*, & licet sint aliæ amplificationum formæ, istæ sunt crebriùs à Rhetoribus vsurpatæ.

EXPENSIO TERTIA.

De Amplificatione à Metaphoris Conglobatis.

HAec amplificandi forma, quæ petitur à definitionibus, seù methaphoris conglobatis fit cum plures definitiones, seù descriptiuè, seù methaphoricè simul coaceruantur, vt est illa amplificatio D. Iudæ Apostoli de Hereticis, ac flagitiosis hominibus, *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ bis mortuæ, erradicatæ; fluctus maris spumantes suas confusiones, sydera errantia*, & ab Hugone per methaphoras conglobatas bona conscientia sic amplificatur. *Est ager benedictionis, titulus religionis, templum Salomonis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Diuini Numinis, liber signatus, & clausus, in die Iudicij aperiendus.*

Adolescentem, qui inter perditos, ac nefarios sæculi homines innocentia vixerit singulari, à conglobatis methaporis sic amplifico. Cum viderim Asbestinum Linum candescere magis, ac purpurare nobiliùs inter flammas, ac aurum metallorum purpuratum Regem inter flammarum ardores vri, sed non comburi: Quid aliud mihi significatur, quam inuiolata adolescentis integritas inter corruptos deprauati sæculi mores; ipsa enim veluti dulcissima Arethusa vndarum alluuione per salsas maris vndas innocua deuoluitur; illa victrix est palma, quæ horridas inter syluas sata grauiori fructuum pondere præmitur; ipsa fulgentis solis deauratus est radius per cenosas humectatæ telluris tramites sine sorde transiens, concharum margaritum, quod turbida Erithrei in aqua non infuscatur; exardeat insano igne impudica Venus, & huius adolescentis innocentia erit, vt innocuę Lunæ niues propè ignei elementi sphœram, exardeant insanis flammis deprauati sæculi cæteri adolescentes socij, & innocentia huius Iuuenis Mosayci rubri renouabit miraculum; imò nitidissimum veluti sydus nocturnas inter vmbras irradiabit clariùs: An non Salamandræ exprimit prodigium huius adolescentis innocentia, quæ inter Venerei ignis prunas innocua seruatur. An non candidum est lilium inter punctæ Veneris spinas candidiùs efflorescens. An non Noëtica videtur Arca immanes cataclysmi furias deridens, ac victrici carina aquarum illarum vortices non tam præmens, qua m

periinen;

perimens; deserant angues inter petrarum,ac lapidum dura,veteres exuuias, ac spolia: innocentia inter aduersa, veluti aurum in flammis perficietur magis;euadat fortior Antheus è telluris tactu, & ipso lapsu consurgat ad palmam, ac de pugnãte Hercule triumphet; pulchrior rideat Iris inter tempestates, ac cælorum lachrymas nubiumq; grandines:altius se extollat ex ictu validi brachialis lusorius follis, immobilis perseueret lux ipsa inter ventorum afflatus, ac furores: frontem semper seruet serenam Olympus multo hinc inde flagellatum fulmine, & veluti montium Rex sydereo coronetur serto, vel inter montes generosissima Aquila irradiantis Sol's gaudeat sereno iubare; spernat laurus accensas irati cæli sagittas,deauratę fulgeant pulchriores Pactoli non contemnendæ arenæ inter luti putredines, intactus perseueret scopulus in medio Pelagi varijs concussus vndarum vorticibus, suos excludant partus in maris littore Alciones, non deturbentur Acroceraunij montes multa suaciati sagitta, Ercinia volucer in tenebrarum sinu emicet illustriùs, intactus remaneat Trochilus in ore Crocodili, quia innocentia adolescentis, tàm naturæ, quàm artis præcedens portenta inter insanos Veneris ignes fulgebit pulchrior;ac candidior.

Quia prædicta de innocentia Iuuenis pertinent præcipuè ad ornatum Oratorem, ac Concionatorem, qui velit alicui cæliti, qui inter nefarios sæculi homines vixerit innocens, panegyricam texere orationem, ideò ipsum concionatorem ab ipsis metaphoris conglobatis sic amplifico, certum est oratores è sacris rostris, nunc docere, nunc allicere, nunc terrere, modò inflammare, modò ad virtutem stimulare,& homines à vitio reuocare, vt perfectã perficiam amplificationem per metaphoras conglobatas debeo sumere illa omnia, quæ cum recensitis effectibus concionatoris similitudinem ducunt,sic dicam. Sanctioris eloquentiæ esse Mercurios sacros concionatores,quis non fatebitur? pacis enim Caduceo, hoc est neruosa suada Martis discordias, ac furores mitigant, certè illos dicerem diuinos Amphiones,qui eloquentiæ lyris non Thebanos, sed militantis Ecclesiæ construant muros, ipsi sunt armonici Ariones, qui dulci concentuum sono, si non Delphinos saltem peccatores alliciũt, ac è procelloso huius vitæ pelago auocant, Hercules sunt Gallicani, qui si non aureis catenulis,aurea saltem eloquentia virtutis hostes, & vinciunt,& vincunt: ipsi sunt

ſydera, quæ nocturno huiuſce mundi in itinere rectum tramitē, ac callē dilucidant, ſunt phoſphori vicinæ Auroræ, hoc eſt æternæ Gloriæ nuncij; ſunt nitidiſſimi Soles, qui tot radijs, quot aureis verbis vitiorum caligines ab hominum animis amouent, ac veræ cognitionis diem parturiunt; ſunt ſagittæ, ſed diuini Amoris euibratæ ab arcu, quæ feriunt quidem, ſed Achilleo more ad ſanitatem, de Achillis ſagitta dicitur enim, quod ſimul, & vulneret, & ſanet, ſunt fulmina immanes hæreticorum feras deterrentia, ac enecantia, ſunt ſacri Orphei, qui non vnicam extrahunt gratiſſimo lyræ ſono Phlegetontheis ab oris Euridicem, ſed hominum turbas in ſqualore peccati iacentes.

Per Metaphoras conglobatas corruptæ carnis voluptates poſſunt eruditè amplificari, ſed quia nūquam melius loquimur, quam cum peſſimè de voluptate loquimur, ſtringendus eſt igitur calamus aduerſus voluptatem, ne ipſa nos ſtringat; iugulanda eſt, ne iugulet; debemus igitur videre, quid illud ſit vniuerſo terrarum in Orbe, quod ſimul placeat, & cruciet, deindè ex hoc genere obſtetricante tropicha figura parere metaphoras multas, ac in hæc verba erumpere. Quid ſunt inſanæ Veneris, ac corruptæ carnis voluptates, quam feruentis maris blandæ Syrenulæ? quæ alliciunt, ſed ad necem; quid aliud ſunt, quam Sodomiticæ telluris poma? quæ prima fronte alliciunt, ac purpureum oſtendunt colorem, ſed intus poſtea mortiferam fouent ſubſtantiam, ac cinerem, & bene, quia Veneris voluptates, quia igneæ impudici amoris ſunt cito in cineres abeunt, ac euaneſcunt, quid aliud ſunt, quam Hyrcaniæ ſyluę allicientes Pantheræ? quę odoris ſuauitate alliciebant, ſed poſteà incautos homines dilaniabant, ipſæ adblandiūtur, ſed ſimiarum ad inſtar, quæ ob nimium amorem proprios fœtus in pectore adſtringentes ſtrangulant; ipſæ ſunt roſæ purpureæ quidem quia ob amorem igneæ, ſed neſciunt efflorere niſi inter vepres, quibus poſteà expungitur, ac excruciatur venereus homo: ipſę ſardonicæ ſunt herbulæ, quę mori cogunt, ſed in riſu: ipſæ ſunt flumina, ſed quæ in mare deuoluuntur amaritie plenum, viſcus, qui alas implicat, & explicare ad volatum pennas prohibet, ſunt lymphæ, ſed maritimæ, quæ ſitim augent non minuunt: ſunt Babylonicæ meretricis, chriſtallinus chrateres, quia aureo voluptatis in poculo bibendum venenum porrigū: ſunt papauera, quæ celo oculos claudunt: ſunt aues Indicæ, quæ teſte Plinio ſuau iſſimo cantu enecant.

D.Pe-

D. Petrus Chrysologus serm. 33. pacem amplificat à metaphoris tali pacto, *Pax inter fratres voluntas est Dei, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, dilectionis mater, concordiæ vinculum, puræ mentis indicium manifestum, Prophetarum vehiculum, Martyrum solatium, Virginum tripudium*; trita est illa Ciceroniana amplificatio in Catilinam orat. 4. sic amplificando historiam à metaphoris conglobatis. *Historia verò est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, quæ Oratoris voce immortalitati commendatur.*

Subijcio etiam hac amplificandi formula exornatum D. Thomę Aquinatis calamum, qui inter atramenti tenebras nitidissimum veluti sydus nocturno sub cælo illuxit, redimendus est laude tanti herois calamus, qui doctrinis literariam facultatem coronauit; Herculea fuit claua, qua tantus heros non Lernæam feram, sed immanæ hæresis monstrum in noua semper repullulatum capita profligauit. Achillis fuit hasta plura infligens vulnera, non tamen ad necem, sed ad vitam: Aaronica fuit virgula, quæ simul eruditionis coronabatur flore, ac fructuum pondere decorabatur, grato spectaculo; ridentem Aprilem, graui cum Decembre confundens: ingeniosissima fuit acus, qua Diui Petri pluribus in partibus conscissum rete restaurauit. Immò diuini Solis nitidissimus extitit radius, ignorantiæ, ac errorum palpabiles cimmerias expellens: Imò lux fuit ipsa, quæ de hæresis nocte triumphans nitidissimam cognitæ veritatis diem peperit: Diuini Spiritus fuit aura, qua sterilescentia fęcundauit ingenia, frigida inflammauit ad virtutem corda: formidandi extitit cometæ accensus crinis, exitium prædicens tartaro: imò Apelleus fuit penicillus tot imprimens miracula, quot lineas virgineis in chartis: denigrent alij atramenti tenebris innocentes paginas, ac violent lasciuienti calamo virgineum papiri candorem; certè ab vmbris huius calami non maculas, sed lustrores exhaurire potuit virgineæ chartæ candor: flammeus fuit ensis, si non deliciarum Paradisi custos, certè mil tantis Ecclesiæ viridarium rabidis à feris custodiuit: Imò Noeticæ columbulæ oliuarum ramus, quò pacem indixit toto Orbi, ac vitiorum cataclismo metas imposuit, fuit Fidiacum cęlum, quo diuinę sapientiæ symulacrum vsque ad prodigium scalpsit: Mirum non sit si tantus Heros in primo iuuentutis flore Bos mutus nuncupabatur,

batur,quid aliud fuit eius calamus,nisi argentei aratri perspicuum vomer? vt postea Ecclesiæ agrum excoleret,huic boui vomer deesse non debuit, vt è tanta cultura in tot eruditionis flores, ac virtutum fructus ingenti segete Ecclesiæ campus erumperet: Fuit certè Aquilæ calamus cum inter cęteras Doctorum volucres altius euolauit: imò melioris Promæthei facula, qua & totum illustrauit Orbem, ac ad feliciorem gloriam inflammauit, quis neget hunc calamum sanctioris Ionatæ melleum Tirsum,quo dulcedine huius vitæ amaritudines aspersit,an non illum diceres Ariadneum filum, cum è variorum errorum labyrintho plures extraxit Theseos, ne ab immani hæresis Minotauro occiderentur? an non fuit errantis horologij certus indiculus, dum, & temporum breuitatem, & totius æternitatis immensitates signauit: Cælestis famæ, hoc est Heroum Buccinatricis fuit ala, quæ per quatuor mundi plagas citò euolauit, ac immortalitati tantum virum commendauit: an non melioris Tarquinij fuit virga? quæ si non altiora papauera, saltem superba Hereticorum capita depressit? aurea fuit clauis, sed Dauidica, quæ verę sapientiæ hærarium adaperuit, fuit clauus Ecclesiasticæ nauis, quo gubernante, tranquillitatis Portum appulit: imò in hoc mare digitalis fuit Remora retinens hæresim, ne vlteriùs progrederetur, imò Moysis virga, et si non Pharaonem, Ecclesiæ hostes percussit, vt in tanta clade palmas demeteret fides, & ex bello oriretur pax.

EXPENSIO QVARTA.

De Amplificatione ab enumeratione partium.

VAstus amplificandi campus peti etiam solet ab Oratoribus à partium distributione,ac enumeratione,scilicet à diuisione totius in suas partes,vel generis in species; fitque quando id quod summatim dici potest latius per distributionem totius in suas partes, res verborum redundantia, ac figurarum varietate explicatur; hinc Persius varia hominum studia scitè dilatauit à partium enumeratione;

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno,
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti.

Rugosum

Rugoſum piper, & pallentis grana Cymini.
Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſonno,
Hic campo indulgens, hinc allia decoquit ille.

Et Ouidius 2. Methamoph. à partium enumeratione per Hypotipoſim, ſic deſcribit inuidiam;

Surgit homo pigræ ſemeſarumque reliquit
Corpora ſerpentum, paſſuque incedit inerti,
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Rurſus abeſt niſi, quem viſi mouere dolores,
Nec fruitur ſonno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum carpitque, & carpitur vna
Suppliciumque ſuum eſt;

Eques Marinus Italici carminis ferè princeps diuidendo per partes ſingulas hominis ætates, ſic eundem hominem feſtiuè, ac amænè deſcribit;

Apre l'homo infelice all'hor, che naſce
In queſta vita di miſerie piena,
Pria ch'al Sol gli occhi al pianto, e nato apena
Va prigionier frà le tenaci faſcie;
Fanciullo poi, che non più latte il paſce,
Sotto rigida sferza i giorni mena,
Indi in età più ferma, e più ſerena,
Trà fortuna, & amor more, e rinaſce;
Quante poſcia ſoſtien triſto, e mendico
Fatiche, e morti in fin che curuo, e laſſo
Appoggia à debil legno il fianco antico.
Chiude al fin le ſue ſpoglie anguſto ſaſſo,
Ratto così, che ſoſpirando io dico,
Da la cuna alla tomba è vn breue paſſo.

Certè ab hoc loco graues, & eximias amplificationes exhauriunt Oratores, nam detur hæc propoſitio, *Graſſante bello rapaces milites Vrbem adoriuntur, ac deuaſtant:* hæc propoſitio ſtrictè ſumpta, à partium enumeratione ſic poteſt amplificari.

Agreſſa eſt vrbem furentium militum barbaries, & nudato non tàm vagina ferro, quàm corde omni pietate, hinc inde eff ænis diffluebat

diffluebat tùm auro, tùm sanguine sitibundus furor; iam sacrilego pede sanctiora violabat templa, rapaci manu sacra spoliabat altaria, abripiebant Arpiarum vngues serica ornamenta, frangebantur inextinguibili cupiditate candelabra, quà aurea, quà argentea, pensiles extinguebãtur lampades, vt illud verificaretur dicterium sacrum, *Qui male agit, odit lucem*; vidisses non siccis oculis obtruncatas per ludibrium Sanctorum Imagines, ac omnia tùm diuina, tùm humana iura pessundata, inflammatas arces, diruta męnia, funditùs erutas domos; vidisses mulieres, ac pueros in seruitutem aductos, pubescentes pueros partim è gremio parentum per vim abreptos, partim in ipso sinu contrucidatos, fractos ipsarum matrum artus, sauciatos viros, defloratas virgines, deploratas matronas, constupratas coniuges, longo cathenarum tractu vinctos adolescentes frigido gestantes ora pallore, qualis solet, hominum vultus tingere, cùm ad necem trahuntur: iam in luctu, cæde, sanguine, iacent omnia; albent vbique tumulis exanguibus disseminata cadauera, quorum aliqua cernuntur membratim trucidata, alia adhuc viuum sanguinem fundentia, alia per lutum circumuoluta, vbi, vel tacitè exclamant vindictam ab ipsis syderibus; diffluit per vias rubicundus cruor, & omnia iam replentur horrore; demum nullus fuit tutus locus in Vrbe Deum colentibus, nõ forum plenum Sicarijs, non templa ferro, flammaq; violata, non priuatę domus insidijs expositæ, dominorumq; cruore redundantes, multi enim in senatu per calumniam, multi in platea per vim, multi in ipsis ædibus, quamplures in ipsis lectulis occisi sunt, necati sunt: quia furoris, & amentiæ torrens nullis coercitus repagulis deseuit in potentes, & efferatus in Christi fideles illos exuit opibus & honore, ac demum vita ipsa, ò tempora! ò mores! vidisses exausta æraria, fractam laboribus iuuentutem, proculcatas segetes, subacta pecora, incensos passim vicos, desertos agros, euersa męnia, compilatas domos, extinctas artes, corruptos adolescentum mores, oppressas leges, ac violatas; obliteratam religionem, contaminatam ciuitatis disciplinam: deniq; vidisses vndique funera, luctus, clades, excidia, neces.

Ab historijs, fabulis, ac eruditionibus per eandem amplificandi formam hanc propositionem. *Non omnis fert omnia Tellus*; seù, *Non omnia possumus omnes*, sic dilato. Quis non affirmabit non omnia posse omnes? nec omnem tellurem, omnia ferre, cum

sicula

ſicula Ceres camporum vaſtitates fęcundo, ac temperato ſub dio tantùm peramet. Veneris amicus Bacchus ſuper procliues colles luxuriet; pacificæ oleæ aprica loca deſiderent: nam non eodem ſub cælo omnia poſſunt florere: India diues opum eſt, ac grauida auro, quaſi regionum Regina niſi metallorum principem velit parturire, equos bellicoſiſſimos Troiana olim alebat tellus; Oriens cinnama, & obobalſama fundit; ſudat Sabęa regio, ac odoras ſui thuris animas nobis inalat; Syria, & Tirium probatiſſimum muricem, ac purpuram regalem ſubminiſtrant; ebur Idumæa; Elephantes nutrit Numidia; Serpentes viſu horribiles Mauritania; Pernices ex duobus conſtantes cordibus Paphlagonia; argentum Peruana montium viſcera; Hiſpania dat vellera. At quod non omnia poſſint omnia, poſſunt etiam affirmare Hiſtoriæ; fęcunda enim fuit Lya, ſed turpis; formoſa Rachael, ſed ſterilis; fortis Sampſon, ſed mollis; elegantiſſimus Abſolon, ſed parricida; Martialis Annibal, ſed deliciarum nimis auidus; victorioſiſſimus Alexander, ſed ębrioſus; Artifices pariter, ac pictores non omnes potuere omnia. Zeuſis in pingendis auibus emicuit; Apelles in delineandis equis claruit; Parraſius in obumbrandis velis fuit inſignis, ac inter colorum vmbras ſuo nomini ſplendores addidit; Prothogenes in colorandis hominibus perfecta partium ſimetria enituit; Ariſtilles in affectibus pingendis fuit ſingularis; Titianus in animandis pennicillo capitibus caput extitit omnium pictorum; Michael Angelus Bonarota in figuris, quæ indiſtantia aliqua poſitæ erant viſæ eminuit. Inter illos pariter, qui liberalium artium diſciplinas fuere aſſecuti nullus eſt, qui ſe iactare poſſit ſe potuiſſe omnia. Romanæ eloquentiæ parens fuit Tullius, muſam tamen filiam non potuit habere, eminuit poëtarum princeps heroico in carmine, elego autem in metro nullam habuit excellentiam; Ouidius amores ſuos leniori fiſtula potuit canere, grandi tamen tuba, vt ipſe fatetur præſtantiſſima Heroum facinora non valuit canere; tibiam ſuam, ac lyram non imperito plectro repetijt ſępè Horatius, non idem omnem Apollinis cytharam; acutus fuit Martialis non grandis; grandis Statius non acutus; Hiſtoricus Lucanus non Poëta.

EXPENSIO QVINTA.

De Amplificatione per Similitudinem, & Exemplum.

EA etiam, quæ similitudinem dicunt, cum subiecto amplificando amænè, ac lepidè possunt adhiberi in extendendo eodem subiecto. Sunt enim consideranda priùs in rerum natura ea omnia, quæ aliquam seruant similitudinem cum subiecto, quod dilatãdum sumimus, & ijsdem rebus æquiparare ipsum subiectum, sic Virg. heroica tuba ab hoc loco Aeneæ pulchritudinem amplificauit Aeneid. 1.

Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit
Os, humerosque Deo similis, namque ipsa decoram
Cæsariem nato genetrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & latos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, pariusque lapis circumdatur auro.

Sed iuxtà solitum sumamus amplificandam aliquam propositionem per similitudinem, & exempla propositio sit ista, *Exercitium præbent, non exitium animo heroico res aduersæ*. Hac amplificatione maiorum conceptuum semina iacio, vt fecundo excepta campo, nec sterili commendata agro surgant vberrimam in messem. Quemadmodum igitur è nitentibus fulminibus, ac tonitruis pariuntur vniones innocentiæ soboles, ac innocentiùs candicant turbidi in Eritrei sinu, ità & heroum prægrandes animæ ab aduersãtis fortunæ telis nullum exhauriunt exitium, verùm exercitium, vt magis perpoliantur, ac sicut aratri vomer prolixa ex fatigatione in communis matris scindendis visceribus fit illustrior, ità inter aduersa magni viri, & æneum pectus objicientes aduersantis fortunæ ictibus in ipsis iacturis triumphant, nec mirum sit: etiam Asbestinum irradiat candidius, puriusque euadit inter accensi rogi flammas, quare non defuit ingeniosus quidam, qui ad exprimendum heroicum animum varijs vndequaque agitatum, ac oppressum aduersitatis Boreis, pinxit productum Asbestinum inter flammas hoc lemmate *vritur; sed non comburitur*: etiam basilica herba regia, scilicet, hortorum proles magnorum pariter animorum extitit symbolum apud Ethnicos, eò quia cùm atteritur grandescit sublimior; etiam palma triumphatorum gloria,

gloria, dum stringitur, ac alligatur crescit sublimior: etiam crystallus ipsa, gelu nempè illud pretiosum, quod tant'opere inflammat mortalium auaritiem, vt nescias, an gelu dicenda sit crystallus ipsa, an flamma; inter furentis Boreę flatus durescit pretiosior, ac suo gelu quamquam hyemem in sinu nutriat, ęstatem tamen in corde auari gignit, crystallus inquam gemma non fit, nisi vel cum borea gelidus furit, vel cum tempestatum parens Aquilo ferit. Nec Iris ipsa vnquam viueret, si nunquam moreretur serenitas; vnde gaudium illud nisi ex lachrymis ridentis Olimpi emanat; etiam Silex igneus fulgurat splendidiùs, ac veluti inter lapides Sol, tot coronatur stellulis, quot scintillis cum præduro calibe vulneratur: etiam Sabæa illa illaris lachryma thus gratum illud exalat odoramentum, vt videatur animam nobis inhalare, dùm suam exhalat, tunc inquam fragrat, cum in accensa acerra flagrat, etiam Balsami Orientis ille, ab Occidente exoptatus sudor super odorum Alexandri sudorem odorus; obobalsamum nisi crudeliter aperiretur ferro planta illa sui thesauri tenax nostra vulnera, suo vulnere non mederetur; etiam tabellæ nunquam expirarent posteritati grandes illas magnorum Heroum Imagines, nisi colores vmbra animaret, quasi lux imaginum ab alia non oriatur genitrice nisi ab vmbra matre: etiam maria Aeolia furentibus ventorum turbinibus, dum turbantur, altiùs extolluntur; etiam Luna, hoc est Planetarum, Syderumque Regina nunquam elucesceret nocturno in theatro coronata halonibus, nisi præcederet, vel subsecutura esset tempestas; etiam volumina quę æternitatis adinstar præterita cogunt esse præsentia, nunquam vel tacito loquerentur silentio magna heroum facinora, tot Alexandri Macedonis palmas, ac Romano Imperio subiugatos populos, tot à Scipione profligata Africana monstra, nisi prægraui prælo torquerentur, ac præmerentur, quasi ipsa volumina exquisitissimis damnentur supplicijs, vt vel inuito aliena gesta, vel crimina confiteantur; constantis igitur viri est non opprimi ab aduersantis furtunę procellis, sed animi potiùs fœminei, ac mollis; an hoc sit verùm conspicite ipsam palleam læuem scilicet, ac fragilem animulam nonne igne perit, ac ad conspectum lucentis flammæ inanes confestim abit in cineres? è conuerso conspicite aurum obrisum, scilicet animum grandem, ac metallorum principem, nonne crepitantibus in flammarum voluminibus triumphat? imò nonne cla-

rius, ac nobilius ab igne consurgit, vt verificetur producta nostra propositio; scilicet, quod exercitium præbent non exitium animo heroico res aduersæ. Torqueatur dentato ferro, ac ferreo dente laceretur linum, eò melius euadet, quò lacerabitur melius, & quò plus torquebitur superabit phœnicis virtutem, ac in chartam abibit; quarè si ab igne immortalis consurgit Assiria volucer, ab aqua immortale pariter emergit linum ipsum, dum in chartam mutatur, vt videatur admiranda methamorphosi linum ipsis cruciatibus æmulari virtutem phœnicis. Etiam Olimpi cornineam marmoris nutrit venam, quia semper informe corpus, ac vilem faciem gerit. Imò marmora ipsa quando inquam, vel hominem exprimerent, vel iratos Leones, vel mitescerent in virtutes, vel extollerentur in obeliscos, vel currerent licèt sine motu cum equis, vel pugnarent cum militibus, vel Lernæam Hydram profligarent cum Hercule, vel triumphantem Macedonem fingerent, nisi priùs Fidiaco torquerentur, ac lacerarentur à Cęlo, & perita Fidiæ manus, vel frigida accenderet ad vitam marmora; nam facultas est, quæ suæ artis ingenio saxeo pectori animam videtur infundere, & media ferrei cęli feritate humanos, vel diuinos efformat vultus, vt discamus etiam à feritate hoc est aduersæ fortunæ barbarie humanitatem, ac serenitatem in animo heroico posse exoriri. Quidni forsan desunt exempla, quæ productam corroborent propositionem? nequaquam: Nam quis nosceret Alcidem in incunabulis adhuc positum nisi Iunonis tenera manu pręfocasset serpentes? miscens cum venenato illo anguium sanguine innocuum lac vnicum pubescentium alimentum? quis nosceret vnquam Achillem, nisi cum Hectore dimicantem? quis nosceret Iasonem, nisi cum omnibus Colchidis mostris vsque ad sanguinis profluuium pugnasset? Quis nosceret Athlantem nisi valido humero omnium ponderum maximum non sine humectata ab stillato sudore fronte substinuisset? Quis enarraret Herculis prodigia, nisi Hesperidum custodem draconem profligasset? nisi septemplici armatā capite Hydram enecasset? nisi Nemæum leonem, hoc est ferarum principem constanti ferro iugulasset! Quis vnquam Alexandri Farnesij victorias, ac præclara gesta repeteret nisi Belgico in campo; hoc est Bellonæ in area nudato ferro palmarum segetes, ac victoriarum copiosam messem iam valuisset demetere; non ità igitur Luxorius Follis dentato ligno

per-

percussus sublimior euolat, non ità propè ceparum olera, ac alliorum capita pulchriores efflorescunt purpuratæ florum Reginæ, ac suauiorem emittunt Arabiam rosæ: non ità tellus gelidis onerata pruinis, ac glaciali oppressa compede fęcunda fit magis, vt animo heroico plus prosint, quam noceant aduersa.

Vides, quam vberem amplificandi agrum aperiat hæc forma dilatandi subiectum per similitudines, ac exempla; per quam formam acuere, etiam debemus calamum nostrum, vt ingratitudinem pungamus hac neruosa inuectiua. Auaritia igitur immane est vitium, quò turpius nullum, ac ferinum magis, quia secundum Angelici Doctoris opinionem tollit honestatis debitum, primus ingratitudinis gradus est gratias non rependere pro recepto beneficio. Secundus, obliuisci beneficiorum. Tertius, spernere, ac contemnere benefactorem, & beneficium maleficio compensare. Quibus igitur satyricis eloquentiæ verbis non erit excruciandum immane hoc monstrum? quod sęuitiem exercuit in proprios benefactores; an non crudelis fuit Nero in magistrum Senecam dum post tot beneficia, consilia, enucleata dogmata tandem loco præmij morte puniuit; nonne ingratus etiam fuit Philosophorum præclarum lumen, Aristoteles in Platonem, quem appellasse mulum, scimus non ob aliam causam, meo iudicio, nisi vt exprimeret doctissimus Plato ingratos in belluas, ac feras facilè degenerare; non ne Athenæ huius vitij effectus exercuere in Socratem, quem coëgerunt ad Cicutam, hoc est ad venenum bibendum? hinc philosophantium Princeps ab eadem pariter Athenarum vrbe discedens interroganti, cur ab vrbe exiret; respondit acutè ne bis Athenienses in philosophiam peccarent; in Scipionem Africanum maximum videlicet illum Romanę gentis Martem, mortem qui nihili fecit, nonne inquam Roma fuit ingrata, à Pesilio nempè accusatus, quod hærarium commune Reip. pecunia non ditasset in exilium mittitur, vbi fatetur acutiores se expertum fuisse Romæ linguas, quam Carthagine enses. Ingratitudinem diceremvnum ex Actheonis canibus, quos diù aluit, à quibus deinde laceratus vsque ad necem fuit, imò conuenit ingratitudo cum anguibus Cleopatræ, quos cum in sinu foueret ab ipsis fuit occisa; conuenit cum vipera, quæ propriam vulnerans genitricem mortis præmio vitæ beneficiũ compensat, conuenit cum histrice, qui matrem vulnerat, ac confodit spiculis suis, vt dum accipit vitam

mortem

mortem inferat, conuenit cum Sithinio lapide cęteroquin nobilissimo, qui si oleo aspergatur, ac calefiat durescit magis. Conuenit cum corallio, quod aura adblandiente lapidescit; conuenit cum ipso igne, qui lignum à quo alimentū sumit in cineres soluit; conuenit cum terreno cęnosę paludis vapore, qui à sole fere ad sydera elatus solem postea ipsum obscurat, ac pulcherrimum illum mundi oculum sua nube obcęcat, qui ben ficia in ingratum confert cum Ariete ludit, cuius deinde à cornibus impetitur; hinc verum apparet, quod ab integerrimo Magnæ Angliæ Cancellario moribus candido licet cognomento esset Morus, & nomine Thomas fuit assertum. *Ingratitudinem, beneficia insculpere super arenam littoris, è conuerso super marmora iniurias*, caueant igitur ab hoc monstro alienis exemplis; nam

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Et Plautus, *Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.*

Petrus Crinitus à similitudine non inscitè amplificat ingratitudinem inquiens:

Ingratus est vitandus, vt dirute scelus
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quiddam puto,
Ingratus, aut male facit, aut male cogitat.
Sibique tantum parcit, alios detrahit,
Et odit omnes, qui bonis bene faciunt:
Ingratus est audacior, quò nequior,
Et imprudens, ad omnia scelera trahitur,
Audaxque cum semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium.
Hinc est auara mens, & animus perditus,
Hinc factus impotens, & ambitus grauis
Ingratus hoc vnum benefacit cum perit,
Nam tellus ipsa fędius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

Hinc apud Strabonem habetur, quod cum quodam die Cæsar Augu. ex suo palatio Regium equum deambulantem videret accidit, vt quidam funis, quem equus secum trahebat per pedes eiusdem, ità circumplicaretur, vt vlterius progredi non posset equus, cumq; ibi adesset Quintus Fabius militum tribunus intuens equū ab illo discrimine liberauit, quidni solutus tentauit calcibus percutere

cutere

cutere liberatorem Fabium, quod videns Imperator ridere cœpit inquiens, ò verè equina remuneratio hoc dixit admirans equi ingratitudinem, vndè Dauid benè nos monet, *Nolite fieri ſicut equus, & mulus*.

Dignum ſcitu eſt etiam illud Platonis, qui interrogatus, quo nomine ingrati eſſent nuncupaturi reſpondit peiores canibus, & merito:narrant enim Romanorum hiſtoriæ, quod cum ad necem damnaretur Titus Fabinus quemdam canem habens,qui iugiter eum ſequebatur, & cum Titus plecteretur capite fidelis canis domini corpus oblatrans diù, noctùque cuſtodiebat, & quamquam multis affligeretur verberibus, vt ab eo loco diſcederet nunquam domini cadauer deſeruit. Imò, & cum per ſententiam Titi Imperatoris corpus in Tyberim fuiſſet proiectum, canis etiam flumen ingrediens domini corpus, ne mergeretur ſuper aquas tamdiù ſubſtentauit,donec deficientibus viribus vna cũ domini cadauere ſimul mergeretur: diſcant hinc, & ſimul erubeſcant, qui beneficia maleficijs ſoluunt,ediſcant inquam, vel ab irrationali bellua gratitudinem, & ſciant, quod *Qui ſerit beneficia colligit merita*.

EXPENSIO SEXTA.

De Forma amplificandi ſubiectum per figuras.

PRæſens amplificandi forma vna cum hiſtorijs, figurarum varietatem, argutiarumque acumina admiſcet, totq; floribus, quot figuris orationem exornat; ſic per varias figuras, ac hiſtorias Orthodoxæ Fidei triumphum extendo recenſendo eos, vel Reges, vel Imperatores, qui ad Fidem conuerſi ſubditos populos triumphatrici fidei ſubiecere. Sit igitur hæc propoſitio; *Romanum debetur capitolium fidei triumphantium omnium triumphatrici*, poſita propoſitio ſic extenditur. Grandis quidem cęleſtis fidei virtus, quæ ſteriles Regum virgulas in Lauros coëgit efflorefcere, ac ſceptra Regalia triumphales vertit in palmas,accedat igitur coronaria illa Principum gloria, purpuratum illud Chriſtianorum decus, ac prima Catholicorum Imperatorum pompa ab Orientali Imperio Conſtantinopolitanus Conſtantinus, quem vel ipſa Roma, quæ nihil propèmodum admirari conſueuerat hoc grande miraculum eſt admirata, quando hunc triumphantium omnium

trium-

trumphatorem sibi subiugauit fides: & fides non erit triumphalis? Accedat è secunda Regum parente, ac populorum ferè omnium dominatrice Gallia Clodoueus, qui inter ferrea Martis prælia aureus religione effectus nemini vnquam cessit, nisi orthodoxæ fidei, quando scilicet sui victor, & à fide non tam victus, quam vinctus remansit, & fides non erit triumphalis? Accedat ab illa singularium Principum sede, ac felicitatis quondam Regina, ac Regiæ suæ felicitas Iacobus à Suetia, qui omnium primus Regali in Solio Christianam excepit religionem, & cum religione fidem, cum fide virtutes, cum virtutibus ornamentum, cum ornamento gloriam, cum gloria immortalitatem, & cum immortalitate beatitudinem, & fides non erit triumphalis? Accedat non tam Franciæ, quam puritatis Angelicæ ornatus lilijs Sanctus Ludouicus, qui Christianæ militiæ laureata secutus vexilla, magnus inter Reges, euasit postea maximus & fides non erit triumphalis? Accedat Augusta Helena, Ethnicæ quondam superstitionis trabeatus fastus, ac superbiens pompa, nunc sanctimoniæ Cæsareum coronamentum præclaram se fecit triumphatricis fidei prædam; & ne supremum Crucis decus ignominiam pareret summum vertit in honorem, Graiaque fœmina sanctior Vrbem, & Orbem virtute frigescentem Cęlo inflammauit, & fides non erit triumphalis? Solaribus hic radijs esset exprimenda aurea Persarum Princeps Cæsarea, quæ Astrorum Principem radiantem Solem licet Ethnicæ superstitionis circumuoluta tenebris, vt Numen olim colens tenebras cum luce monstruoso fœdere coniunxit, ac in Sole plane cæcutiens, perspicaces vt oculos impetraret Christianæ fidei suum dedit nomen, & fasces submisit suas fidei, & fides non erit triumphalis? Germanicam purpuram candore fidei vix distinxit Cudbertus Rex, glaciales interim Germaniæ tractus meliori incallescere flamma iussit brumales inter algores Cælo feliciter æstuante, non amplius inter niues rigente borea, & fides non erit triumphalis? Accedat ex Britannia verè nunc ex toto Orbe diuisa, quippèqui à Deo Orbem implente recessit, Illustre Angliæ Decus Eduinus, qui Primus Catholicam Romanæ Vrbis veritatem Anglicum in Orbem traxit, ac de vitio triumphauit, cùm triumphatrici fidei cessit, & fides non erit triumphalis? accedat ex Dannia gloriosus tenebrarum transfuga multò cum honore lucis arma sequutus Haraldus Augustus, qui vt Christianæ

fidei

fidei manum dedit, non minus palma, quam olea palludatus hostili cruore sibi purpuram tinxit, & fides non erit triumphalis? Accedat Tartarorum Cæsar, cuius vt exhorrescimus nomen, sic eius arma totus extimebat Orbis,& nomẽ orthodoxę fidei donet, & illico laureatus suę gentis propugnator Christiana triumphatus fide, vel tartara ipsa in Cælum transmisit subditos exornans populos virtutibus, & fides non erit triumphalis? Accedat ab Hispania, vt accessit è Gallia Herchar edus,qui Hiberorum Regum prudentissimus Argus, augustissimus Hercules Cælesti fidei suos reuocando populos, triumphales confestim meruit plausus,& fides non erit triumphalis? Accedat è Saxonia nobilissima illa Prouincia, quæ Sabaudiæ Ducibus Regias composuit coronas, ac cum sanguinis nobilitate Regias subministrauit purpuras Cynigillus, qui vt melius regnaret se subditum fidei consecrauit, & fides non erit triumphalis? accedat ex Lusitania Heroicæ maiestatis altrice, quæ & si lusitare didicit in nomine, iocari vnquam consueuit in bello seriò triumphando Henricus, qui primus maiestatem suam fidei submisit, & fides non erit triumphalis? Accedat Bisantina ab Vrbe Eudoxia, quæ nunquam magis peregrinis illuxit virtutibus, quam cùm peregrina totum errauit Orbem ab aula exul,& grandem suam animam triumphatrici fidei consignauit: & fides non erit triumphalis? Accedat ex armata ferè semper Polonia, à belli turbine tamen concussa semper non consternata Miegislaus, qui Regnum suum hilari Himenæo, cùm candida maritauit fide; sicque sub tanto fidei vexillo aduersarios ingruens de his triumphauit: & fides non erit triumphalis? Accedat ex Bohēmia cælestis ille virtutum colonus Boriuorius, qui Herciniam illius tractus syluam furialium olim monstrorum nutricem, in Catholicæ pietatis delicias, ac fidei viridarium commutauit, & fides non erit triumphalis? Accedat ex Vngheria Augustus Geisa, & fidei clypeo munitus, non tàm ferro manum, quàm virtutibus animum obarmet, & hostes ingruẽs effuso sanguine palmas sibi humectet, & fides non erit triumphalis? Accedat tandem ex forti Scotorum Regno clarum illud iubar Donaldus, qui caligante in Insula fide illius lumen inuexit, & immortalem sibi gloriæ meridiem adauxit, & fides non erit triumphalis?

Per figurarum varietatem sic immodicus fœminarum ornatus extendi potest,præcipuè contra phaleras nostri temporis,quibus

personatæ incedentes fœminæ Bacchanalia, vel in ipso quadrage-simali ieiunio vidētur peragere. Oh quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatę mulieris, nunquid ea quæ corpus perpoliunt, animum deuenustant, & quæ ornant, onerant culpis animum! oh corruptam nostri æui ætatem! ornantur corpora, & in vitiorum scintinis tabescunt animæ: despicitur virtutum cultus, & studium totum in corpus vertitur: an non si muliebrem luxum percurrere volumus mundum vniuersum, ornandæ mulieri, ancillari inueniemus? Inspicite Comotrias pectendis capillis, Pelues aureas ad corpus abluendum, ciniflones calamistro capillos crispantes, gutturnia argentea odoratis repleta aquis, nitidissima specula, è quibus fragilitas muliebris consilia recipit, & verè sexus fragilior, nisi consiliarium fragilem debet consulere; inspicite pixidum turbas ad picturę custodiam, ferramentorum supellectilem ad cincinnos implicandos; pelliculas moschi ad suffitus, vt nihil olere videantur, nisi totam Arabiam redoleant; illi deseruit India auro mittendo, China afflandis odoribus, ac coloribus ministrandis Phœnicia, gemmis suggerendis Insula Erithræa, Stannum Lusitania, Ebur Persia, Scythia sericum subministrant: suam Pandoram cælum ne iactet multiplici Deorum beneficio locupletatam, sed plures Pandoras terra ostentet, in quas omnia sua ornamenta transfundat: ad quid non deuenit immodicus mulierum cultus? formæ gratia etiam atramento illiniunt supercilia, hinc fit, vt toties aliæ mulieres sint, quoties se ornant, alias se faciant, cum inficiunt. Crederes in hoc serpentibus esse similes, dùm etiam pellem mutant, exuenda potiùs esset hæc læuitas. Quid non potest immodicus mulierum cultus florida, ac vernantia æmulatur prata; Narcisi enim in fronte, rosæ in genis, lilia in manibus vernant; etiam brumali tempore vbi prata alta sepulta niue ingemiscunt; oculorum fulgor syderum splendorem imitatur, capillorum cincinni hederæ contortionibus implicatiores ventilantur auris; at pratum est muliebris pulchritudo, pratum inquam, cuius aspectu facilè pullulat impuritas, ac virtutum arescunt germina, pudicitiæ enim forma deformitate tutiùs seruatur, quam formæ cultu; ornent se igitur mulieres, quæ in orthodoxæ fidei sinu aluntur gemma castitatis, non lasciuiarum flore; charitatis purpura, non orbati pueri flamma; humilitatis vmbris non linientis atramenti caligine; virtutum ornamentis, non vitiorum oblectamentis, de-

mùm

mum in ipsis operum, non odorum fragret vnguentum: omnis alius ornatus; inornatus est, ac deuenustus, & omnis alia fragrantia est fætor.

EXPENSIO SEPTIMA.

De Amplificatione ab his, quæ cadunt sub sensus.

FOrma hæc amplificandi per ea, quæ cadunt sub sensus non mediocrem suppeditat orationi amænitatem, ac præcipuè fit per affirmationem, & negationem, sensus enim vt scitis sunt quinque, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus: sunt igitur ea omnia, quæ respiciuntur ab hisce sensibus, seù sunt recensenda, vt latior crescat amplificandi seges, omnia obiecta horum quinq; sensuum, sic per ea quæ cadunt sub sensus beatitudinem possem amplificare à negatione, & affirmatione. Beatitudo, quæ omnem angorem expellit, omne includit gaudium est visio clara Dei, quà beati intuitiuè diuinam contemplantur essentiam in ipsa patria vbi nullus resonabit auribus nostris lamentationum vlulatus, nullus audietur præ dolore gemitus, nulla increpantis necessitatis exclamatio, sed aures ad delicias attrahent gratissimi sonitus, musicales concentus, ac vnica omnium vox benedicentium Deum. Vbi nullum inspiciemus depopulatæ solitudinis horrorem, nullas dimicantium militum clades, ac nulla sauciati corporis vulnera oculos offendent, sed magna animi voluptate videbimus vernare virtutum flores, ridere beatorum ora, germinare Martyrum palmas, splendorem emittere fractos artus, irradiare diademata, vbi nullus fetor olfactui nocebit, sed virtutum odor vndequaq; Arabiam spirabit felicissimam.

Amæna regio, amænè etiam per ea, quæ cadunt sub sensus potest amplificari. Imaginare Amphitheatrum aliquod immensum, & quale sola natura possit effingere, vbi lata, & diffusa planities montibus cingitur, ac coronatur, qui summa sui parte procera nemora festiuè nutriunt, vbi assiduè cernitur temperantia aëris, ac benignitas, quæ frigidam hyemem ità mitigat, vt sæuire non audeat, ità calidam æstatem obtemperat, vt perpetuis phauonijs mitigetur; meliùs dicam, vt autumnum vberem parturiat; ibi perpetuò vere videntur flores, quà purpurati, quà niue can-

 didi,

didi, quà violacei, quà aurea purpura impallescentes; alij cernuntur foliorum pompa promicantes, alij hyante iam calice superbientes; videntur alij rupta iam vagina pubescentes; vbi audiuntur limpharum chori grato murmure assiduè exultantes, audiuntur æmulo concentu inter sese ad voluptatem certare canoræ luscíniæ: & vbi candicant lilia, purpurant rosæ, odoribus spirans Arabia olfactum recreat; pensiles fecundis ab arboribus fructus gustui etiam adblandiuntur, sed melius placent cum comeduntur; videntur enim Attica mella præstare ieiuno palato; ibi manus nisi vernantes flores tangunt, pedes nisi impallescentes violas calcant, digiti nisi florum serta contexunt; vbi Solis ortus explicatas in collibus vites, & in agris diffusas segetes videtur auro colorare, vbi arbores, tam vago ordine cernuntur florere, ac tam eleganti forma descriptæ, vt non naturæ causa, non hominis industria, sed Dei alicuius manu positæ, & directæ videantur, quarum Comæ dulcissimis zephirorum flabellis leuiter ventilatæ placidissimo murmure auribus adblandiuntur.

Huius loci est amplificatio, quæ petitur à negatione, & affirmatione vnde non incõgruum mihi videtur subijcere in calce huius expensionis amænam amplificationem lepidè contextam à negatione, quæ habetur apud D. Greg. Theologum Homil. de septem Machabeis, vbi matris eorum constantiam, ac virile pectus, licet imbecilli sexu hisce verbis amplificat; *Matris verò robur, animique constantiam nihil flectere, emollire, ac debilitare potuit; non instrumenta luxandis artubus accomodata, non rota proposita, non exquisitissima tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes bestiæ, non enses, qui acuebantur, non feruentes ollæ, non ignis, qui excitabatur, non miscellanea turba, non vrgentes satellites, non deficientis in proprio genere sanguinis aspectus, non membra, quæ discerpebantur, non carnes, quæ lacerabantur, non defluentes sanguinis riui, non flos ætatis, qui absumebatur, non præsentia mala, non impendentes acerbitates.*

EXPEN-

EXPENSIO OCTAVA.

De Amplificatione repræsentatiua à partium enumeratione, & per Hypotiposim.

GRauitate opplet discursum hæc amplificandi forma, quæ meo iudicio inter amplificationes principem occupat locum, fitque enumerando omnes subiecti partes per viuam Hypotiposim, hoc est per propriam expressionem, quo pacto sic amplificari potest caro nostra in spiritum rebellis. Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris, ac domesticus inimicus, hoc est caro nostra, quæ eò magis est timenda, quò est proximior, eòque est nocentior quò blandior; hæc enim est ignis in gremio, Anguis Cleopatræ in sinu, hæc est vxor hominis litigiosa, quæ licet sit vexata doloribus, repleta illusionibus, infecta sordibus, afflicta infirmitatibus, obnoxia passionibus, flagellis trita, plagis cæsa, morti denique deputata, adhuc aculeis contradictionum hispida, rebellis, superba, murmurosa, contumax, inquieta, in suum, & animæ coniurat exitium: nec posse satisfieri putat sibi donec se, & animam præcipitet in æternæ damnationis abyssum, cur non attendit infelicissima caro, quam necessarium, ac nobilem sibi habeat hospitē? cuius beneficijs sustentatur, regitur; & honestatur; quod audit, quod videt, quod sentit, quod intelligit, quod loquitur, quod mouetur, totum hospiti suo debetur, cuius auxilio destituta caro fieret quasi terra, sine aqua, vermium cibus: vndè de carne nostra ait D. Gregorius lib. 5. Moralium cap. 28. super illa verba patientissimi Arabiæ Iob, *Caro nostra consumetur velut à tinea*, ait enim *Tinea de veste nascitur, & eandem vestem de qua oritur, oriendo corrumpit; quasi quædam vestis anima caro est: sed hæc nimirum vestis habet tineam suam, quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur velut à tinea homo, ac consumitur*, & Sanctus Leo Papa serm. 4. de Ieiun. Pentec. *Terra enim carnis nostra, nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas, tribulosque producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum.*

Prosequor amplificandam per eandem formam mortem hominis, & licèt de morte loquar, nolim tamen, quæ de morte hic subijcio vestris in mentibus mori. Morimur omnes omnia clau-

duntur

duntur fine, hinc est, quod luci diei, noctis succedit tenebrositas, prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitati aduersitas, gaudium doloris aculeus vulnerat, & mors de præsenti reportat vita triumphum, vndè Scitus ille Poëta Italicè, & argute cecinit;

Giace l'alta Citade, à pena i segni
De l'alte sue ruine il lido serba;
Moiono le Città, moiono i Regni,
Cuopre il fasto, e le pompe arena, & erba,
E l'huom d'esser mortal, par che si sdegni?

Libitinæ nempè falx nemini parcit omnes demetit; sceptra ligonibus miscet, æquat inæqualia morimur enim omnes, etiam nobiles Principes, Reges, mors capta est auribus, nullum audit, capta est oculis neminem agnoscit, iubet, parcas nemici parcere, omnium obtruncantur stamina: si mortis imaginem vultis: conijcite tristes oculos in thorum funebrem, spectate senem in extremis vitæ constitutum, spectari dignus est, qui spectare neminem amplius potest, cernite oculos in Orbem conuersos iam turbidiores apparent, iam extinctus est pupillarum vigor, videte vt nasus ipse iam longior sensim acumen trahit, & pallorem; cernite, vt abijt genarum rubor, vt in inanes cineres abijere candicantia carnium lilia, vt labra contracta tremiscant; vt frons multis crispata rugis, ac obnubilata vmbris, sudorum gelidos imbres effundat; iam deficit, animam ad prima labra euocauit, iam agit animam, emoritur, euanescit, & perit memoria eius cum sonitu Aeris campani, qui cum tanto clamore, ac strepitu vixit, & talis est omnium hominum finis, ac præsentis vitæ meta; *In qua*, ait Guaricus Abbas Domi. 3. Aduentus, *vna tantum securitas est nunquam esse securum, donec securitas succedat timori, non timor securitati*; obseruabo me inquit sapiens ab iniquitate mea, quandoquidem non possum à morte mea sciens, quia iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, imò in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita.

Mortis memoria peccati remedium est, hinc post lapsum protoparentis nostri; Deus primos parentes pelliceis induit vestibus, cur potiùs non alio indumenti genere? vt mortem mortis exuuijs cogitarent pulchrè Ebolensis quæst. 18. cap. 3. genesis; *Dedit Deus primis parentibus pelliceas vestes, vt notaret eos iam esse mortales,*

mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat.

Quod latissimam amplificandi segetem suppeditet oratori proposita dilatandi forma per repræsentationem à partium enumeratione, magis patebit ex subijcienda propositione amplificanda, ab enumeratione partium, propositio sit hæc; *Inimicus hominis est homo*, licet à Sanctis Patribus intelligatur hæc propositio, quod homo sit sibi inimicus, eò quia caro consurgat aduersus spiritum, ac tã concupiscentis, quã irascentis animi motus rationẽ obcæcent; tamen si explicetur iuxtà sensum literalẽ, nempè quòd vnus homo sit alteri inimicus, eò quia homines inter sese sçuiunt, ac bella mouent: potest amplificari præposita propositio recensendo eos omnes, vel Reges, vel Imperatores, qui in exteras nationes arma suscepere, tali pacto.

Vlulate gentes, lugete sydera miserrimam nostri temporis conditionem, quæ Saturni ætatem, quam vulgò vocant auream funditùs extirpauit; in nihilum abijere aurea tempora, in quibus non erant neque inimicitię, neque bella, quia

Nondum vesanos rabies nudauerat enses;

durior nunc regnat ætas, quia ferrea: postquam enim Saturnus à filio pulsus, ac in latium delatus est.

Ille malum virus serpentibus addidit atris.

idest odium, inuidiam, ac dolum hominibus excitauit, vt veluti serpentes venenati seipsos morderent, ac inter sese manus conserere inciperent, ac insidiari, & gloriam sibi ex humano sanguine comparare, ac inimicus hominis fieret homo, qua propter hoc mihi exploratum est exteras nationes ab ineunte ætate incohasse armis durare, vt postea adulti in homines ferino animo sæuirent. Sic scio Tartaros per domestica, ac quotidiana certamina instructos armis. Turchas per legitimam pugnandi rationem; Indos per bellicorum tormentorum vim; Iapones propter inuictam audaciam; Chinenses propter rei militaris disciplinam; Romanos propter armorum exercitium; Macedones propter militiæ assiduum vsum; Parthos propter peritiam martialem; Asiaticos propter excellentem dimicandi dexteritatem alienigenarum gentium fudisse sanguinem, ac de hostibus triumphasse; sic inter dimicantis Bellonæ ignes obscurum non est; Parthos sex legionibus prostratis Antonium fugasse, Crassum cum filio ingenti Romanorum exercitu funesta clade ad interneciouem sustulisse; In-

censam

censam à Scythis, ac in cineres redactam non semel Græciam, ac Thraciam; Adrianopolim cum ciuibus horrido incendio extinctam: quid de Gedeone dicam? à quo centum viginti millia Madianitarum fuere interfecta? Quid de Turcis non tàm in Semilunis, quàm mente, ac cerebro deficientibus, qui postquam Syriam, Persiamque tenuerunt eò miseriarum redacti sunt à Tartaris, vt euersis vrbibus, pessundatis Regnis Azatines, è fuga dilapsus, ac Regia dignitate priuatus Bisanzium venerit, ac à Ioanne Duca Cæsare auxilium supplex postulauerit, quò populum imbellem, ac penè excisum aliquo regionis angulo ab incursionibus vendicaret; Quid de Gilimere Africæ Rege à Bellisario capto gente Vandalica funditus extirpata: Quid de Gothis à bellicosissimo Marse per amœnas Italiæ oras vna vi excisis? Quid de Baiazete, qui occisis Turcharum ducētis millibus, à Tāburlano captus, in caueam volucrum, ferarum more coniectus tandem fuit? Quid de Tauricæ Rege, qui octingentos mille Moschos, quos partim vendidit, partim occidendos pueris tradidit armis suæ subiugauit Thyrannidi? Quid de Cosdroë, qui non paulò post nongenta millia hominum, cum Palæstina iugulauit? Quid de Sionis Rege, qui vno bello centies centena millia, decem millia Peguanorum ferro, flammisq; interfecit? nec admirationem generent strages tantæ, tantæ clades, quia vt dicebam, *Inimicus hominis est homo:* quas cupressus, quæ stamina vitæ, quæ membra, quos artus, quæ capita non obtruncarunt Medi? quorum nomen expauit Grecia: quem sanguinem è fractis artubus, vt palmas demeterent non effuderunt Persæ? quas Vrbes, quæ Mœnia, quæ Palatia, quas Prouincias, quæ Regna, quas Potestates, quæ Imperia, quas dominationes, quæ iura, quas facultates, quæ diademata, quas ditiones, quæ sceptra non fregerunt, euerterunt, ad nihilum redigere Assyrij, Caldæi, Arabes, Armeni, Barbari, Turcæ, vt meam propositam propositionem confirmarent non calamo intincto atramento, sed ense, ac mucrone ebrio sanguine nimirum, *Inimicus hominis est homo*.

Per Hypotiposim, seù repræsentatiuè amplifico Aetnæ montis incendium præteriti anni millesimi sexcentesimi sexagesimi noni vndecima Martij die, cuius Tragicæ scenæ spectator extiti, cùm non paulo post discessus ab Vrbæ Romæ Siciliam appuli eò, vel tempore, quo ingenti adstantium horrore Aetna tetra flammarū

volumina

volumina hyanti ore eructabat, & Catana duplici aspersa cinere Methanææ, seù pœnitentiæ, ac igniuomi montis; in luctu, & squalore deplorata deflorata iacebat.

Aetna igitur mons assiduo clarus incendio Poëtis etiam illuxit, & certè nemini obscurus esse potest mons perpetuis flammarum coronatus globis, quapropter ab igne saxisque ignitis, quę sursum euibrat Vulcani Regiam Poëtarum commenta nominarunt, ibique aiũt vna cum Cyclopibus ministris Ioui fulmina, Deisq; arma aduersus Gygantes Vulcanum effabricasse.

Montis igitur iuga repentino clangore paulò ante Solis occasum cęperunt mugire, occasum necis pariter indicatura propinquis pagis amænè antea assurgentibus per Aetnæ sinum: qui fragor veluti Martialis tubæ horridus clangor pugnam, ac stragem videbatur prænunciare; aër ipse veluti timore oppressus circumfuso cępit impallescere cinere, ac tetra denigrari arena, quæ hinc inde à luctantibus ventis agitata per totam horribili lapsu perpluit Trinacriam, ac singula domorum tecta, Vrbesque omnes, tetra obuelans fuligine luctuosis paludamentis vniuersam cooperuit Trinacriam, vt Catenatis gemitibus Catanæ, vel excidium lugeret, vel funeralia, ac męsta epicedia illachrymaretur. Heu ferale spectaculum spectandum non siccis oculis, ac non sine gemitibus! grandisono cum montis fremitu, & decoctus cinis, & tetra arena per aëra volitans diem abripuit: lucem odit Aetna, licet igneus, nisi malum aliquod poterat agere, tritum enim est sacrum illud adagium, *Qui male agit odit lucem*; vidisses illic quasi quosdam fluuios ire puluerios, & arenam sterilem impetu feruenti, veluti liquida fluenta per aëra decurrere; ac sursum librata fracta igne saxa excidium minitare: Pauida quoque tellus imminẽs extimescens periculum horrido cum mõtis murmure tota tremuit; nec aliud fuit hic telluris tremor, quam inclusi spiritus in terræ visceribus luctantes, ac ad libertatem exire nitentes, qui magno impetu quassantes tellurem tremebundà, ac hianti voragine, montis sinum vulnerant, ac aperiũt, ac horrifico tremore propinqua oppida funditùs euertũt, ac per montis accliuitatem ędes pluresque vehebantur, aliæ super alias concidebant reclaucentibus cunctis sonitu rauco; cernebatur terra in sublimie tolli, ædificia sursum erigi, erecta partim ruere, ac conquassari, partim veluti in summa tempestate hùc illùcque commota nutare, crebris, vastisq;

tremoribus commoueri tecta, horrendo corruentium ædificiorũ fragore misceri omnia; interea, qui adhuc tanquam ira quadam perciti claudebantur in montis visceribus ignei halitus insolentèr profuso cinere, libratisque saxis ex hianti voragine erupere, ac circumfusum aërem impellentes, ignem flammarum voluminibus protrudebant, quod verò est horribilius visu ex aperto mõtis vulnere saxa ignea maximarum instar arborum assiduè erumpunt tanto impetu, ac fragore, quanto nulla tormenta Aenea, quamuis magna globos eiaculantur, quæ ingentis multitudinis cautes tanto impetu in altum vehebantur, vt in Cęlum à Titanibus fieri lapidatio videretur: minores verò lapides tanquam è bellicis tormentis excussi in sublime ferebantur, quantum oculorum acies vix sequi poterat, ruentia interim librata saxa propinquas domos, ac Pagos obtrudebant, ac profugos mortales horribili visu obruentia prius sepelliebant, quam enecarent; Ignis verò spississimus, qualem bittuminosa excitat materies moræ impatiẽs è tremebunda emanat voragine, ac torrentibus veluti riuis deorsum per procliuem montis sinum exigitur in perniciem trahens, quę adoritur oppida, vsque ad quinque super decem, vidisses hic, ruentia ædificia, voratas domos, occupata templa inundante ab igne, ac tectorum casu decussorumque saxorum mole obtritos mortales aliquos, vulneratos plures, omnesque ità exterritos, vt non tam à proprijs penatibus, quam à sensibus alienati animis trepidarint; in præceps interim ruens igneus fluuius, ac sinuosis serpens flexibus, ac meandris illum ingruebat callem, qui Catanam respicit, & vniuersa ad exitium, ad necem inundans viscoso bittumine omnia cooperit, qui ignis, seù bittuminosa materia nunc durescit lateritios in lapides, vnde in squalore iacent, & sepulta saxis, quæ priùs in sinu ridentis Floræ amænè lasciuiebant; videntur oppletæ valles, explanati colles, qui prius amici Bacchi nunc Vulcani fiunt regia, ac solium: eradicantur arbores, exsiccantur plantæ, in ignem abeunt viridaria, cuncta vorantur ab igne, horrent omnia, cũcta depopulatur ignis, qui instar incitati cuiusdam amnis in planitiem excurrens plura se diuidit in brachia, vt furibundus Briareus meliùs cuncta raperet, ad perniciem, ac exitium; & bene de fabulis potuit triumphare, qui tot de pagis, ac populis iam triumpharat. verùm quod horribilius est visu, ac gemitibus dignius horrido impetu Catanam ingruens propinqua palatia,

tia, hortorũ amæna abſorbere, de populari agros, vrere, corripere, exſcindere omnia non ſiccis oculis videbantur, ingentia vibrat ſaxa, ac Catanæ mænia veluti peritus in re militari Mauors arietare, euertere, dirumpere conatur, vrbem circumſepit ſtringit, mẹnibus hæret, ſaxa liquefacit, ac ſuper mænia intumeſcens ẹrigitur, magno ſaxorum exercitu Vrbem ingreditur, plura diruit ædificia, vſq; dùm tota Ciuitas ad tumulum Diuæ Agathæ confugiens, eiuſdem Virginis Velum igniferis torrentibus obijciat, ad cuius aſpectum vltrà progredi non audet ſerpens ignis; tanta eſt niuea Virginum puritas, vt etiam obiecta igneis fluuijs de ipſis triumphet, ac ſua niue flammas extinguat, quæ poſtea indureſcentes mox in rupes compactæ horrido aſpectu nigreſcunt, rediuiuam phœnicem impoſterùm Catanam crede, quẹ pluries ab hoc ſepulcro vitam hauſit reuiuiſcens aliena morte, & iam ſuis conſepulta ignibus reuiuiſcit immortalis poſteritati, clariorem vitam recipiens à flammis; à curſu tamen ex altera parte non deſiſtens rapidus ignis, luctaturus cum æmulo elemento mare ingruit, eius ſinum ingenti vulnere ſcindit, vndas permeat, ac ſuperbo pede premit, ratus non poſſe extingui maris in ſinu, à quo natales ſuos trahit ipſarum flammarum Dea hoc eſt inſani amoris Venus: congruum enim eſt ibi occaſum non reperire flammas, vbi ortum traxere ſuum; progreditur ignis humidos calles maris, triumphat flamma, ſuccumbit victum mare, fremit horrido murmure, ac tritis vndis propriam illacrymatur iacturam, vincit ignis vndis cādentibus, rubetq; quaſi hoſtili cruore, ſciſum diuiditur æquor, renouantur Iſraeliticæ gentis miracula, ſicco calle mare tranantis rubrum; poſſunt enim & Catanenſes per ſiccum tramitem dureſcentis in nigras rupes ignis diuiſum mare ingredi, intumeſcens interea in tanto prælio ignis, & ſi in maris imum corruit, ſtatìm aduenieente alterius ignis ſubſidio erigitur, ac de Anthei fabula triumphat ex arenæ tactu fortior inſurgens, illicò victor ſuper vndas erigitur, ac ſuperbo pede æquoris colla calcat, & vt videatur triumphaſſe, ſuperior mari exiſtit, & exiſtet impoſterum in nigras conſolidatus rupes, intumeſcenti æquori talem obijciens duritiem, quà tumidas feruentis maris vndas poſſit frangere, non ab ipſis frangi, vel vt melius concludam, triumphatus de Neptuno Vulcanus prælongam viſcoſi ignis compoſuit catenam, (Catanam licèt non componere, ſed deſtruere tentaſſet) qua hoſtem

teneret, & victum, & vinctum, cæterum ignei montis huius meminit etiam Maro;

- - - - - - - Quoties Cyclopum efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos, liquefactaque voluere saxa.

Et Ouidius 2. de Ponto;

Vidimus Aetnæa Cælum splendescere flamma,
Suppositus Montis, quam vomit ore Gigas.

Opere pretium duxi in calce huius amplificationis causas quærere producti terræmotus, & incendij; fortasse non desunt, qui hanc montis quassationem non tam spiritibus delitescentibus, quam flammis prodeuntibus tribuendum putent; verùm si causa tantæ quassationis benè expendatur exploratum erit vniuersam huius terræmotus causam esse spiritus, seù ventos in terræ visceribus clausos, qui per circumambientem calorem rarefacti, ac in terræ venis, seù cauernis inuicem luctantes vim faciunt, ac ad libertatem exire nitentes totam quatiunt tellurem, quæ quassatio aliquando est tali impetu, ac subsultu, vt in pluribus regionibus, sicut retroacta testantur sæcula montes diuidat, puteos obturet, saxa dirumpat, dissipet ædificia, emoueat substructiones, extirpet stirpes, obruat animantes, hominesque timore oppressos, lymphatas reddat insulas, montes in imum trahat, vt aliquando nullum supersit vestigium; hinc adhuc viget infausta memoria illius terræmotus, qui sub Tiberij Cæsaris principatu duodecim Vrbes Asiæ vna nocte prostrauit, ac absorbuit.

Pro incendij flammarumque Aetnęi montis causa, mihi magis arridet, quam assignat Iustinus lib. 4. ait; *Sicilia terra est cauernosa, ac fistulosa, quo fit vt ventorum flatibus pateat, indè ignis concipitur, quia intrinsecùs sulfur habet, ac bittumen, quod vbi ventus per spiramenta cauernarum incubit, concipit ignem, sic perpetuis durat coronatus flammis Aetnęus mons, motus igitur ventorum causa est incendij: hæc ille.* Quapropter fit, quod mons natiuo sulphure, ac bittumine, receptoque in visceribus vento exæstuans, impatiens flamma per hiantis ruinas cacuminis sursum magno impetu nitatur.

Pestem, quæ retroactis annis Neapoli, Romæ, Genuæ, grassabatur non sine horridis populorum funeribus repræsentatiuè, ac per Hypotiposim, sic amplifico & hic subijcio. Lugeant extinctas

hominum

hominum turbas oculi, lachrymarum profluuij pallentia, ac frigida illiniant cadauera: heù durum facinus! homines ingruit pestilentiæ tabes, impallescunt ora, necis timor hominum corda pulsat, parentes fugiunt, ac fugant filios, & ne quidem intuitum patiantur, quasi basilisci more, solo enecent visu, iacent vtriusque sexus nuda cadauera, Vrbium oculos infestantia, lues est viuentium, fętor funereus mortuorum exhalat, vt omnes, qui vrbi intersunt alieni excidij mala præferant; diffluunt per plateas, viasq; publicas frigidis, ac pallidis onusta cadaueribus feretra, in quibus spolia, ac fercula, vt quondam apud Ethnicos Romanos in pompis ferebantur: sed quibus sua triumpharet falce Libitina: iam humana membra nigrescentibus onerata carbonibus in infaustas Fabri ferrarij officinas videntur commutata, vbi super incudinem humanarum miseriarum, ac non malleorum; sed malorum ictibus, ac dolorum iaculis mors infausta sua arma videbatur effabricare, quibus homines enecaret; nisi vellem asserere non carbones, sed carbunculos esse, quibus victrix Libitina triumphale diadema sibi velit componere. Terra hoc est communis parēs, ac mater mille sepulchrorum aperitionibus, quasi præ dolore propria sibi scindit viscera suorum filiorum funera lachrymatura, melius dicam, videtur sibi scindere, ac dilacerare pectus, vt epicedia Hæbreorum more proprijs gnatis celebret, cunctisque extinctis viris parentet: non amplius disseminantur per arua aucto fęnore annonæ semina, sed per plateas horrido spectaculo cadauera: signantur infausto sigillo domus, quasi earumdem habitatores iam vltimam viuendi periodum in huius vitæ epistola scripserint, aliudque eis non remaneat, nisi inscriptionem pingere, vt cũ Tabellario pernici cursu ad mortem properent: & si olim in campo Damasceno rerum omnium Creator vnico flatu, ac anhelitu homines ædificabat; hic destruebatur humana fabrica; oh fragilem hominis fabricam, quæ vnico flatu, ac anhelitu protrusa, illico corruit, iam tota plebs, aut perit, aut luget, de qua etiam si quid superest totum calamitatis est, & omnia, aut mæstitudine sunt anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata, vbi nescias penè cuius sit sors peior, ac durior; mortuorum, aut viuentium, tantæ enim sunt miseriæ superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum, quia vbique videtur imago mortis, vbique pallidæ iacent cadauerum reliquiæ.

EXPEN-

EXPENSIO NONA.

De Amplificatione absoluta.

NEruosa est illa amplificatio, quæ ab effectibus rei exhauritur, illa enim non summatim, ac tenuiter subiectum exponit, sed fęcunda effectuum redundantia, omnibus fucatum Rhetoricis coloribus ante oculos ponit; quæ amplificatio fit cum vnius rei plures effectus, siuè possibiles, siuè existentes adducuntur vt Cic. contra Verrem Act. 7. *Constitue nihil opis esse, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem terrarum Orbem, qui semper nostris hominibus maximè patuit, Ciuibus Romanis ista defensione precluseris*, quantam stragem faciat auaritia docet Constantinus Manasses in annalibus inquiens. Crudelis hominum persecutor aurum est, nulla res in hominum vita in certamen venire potest, de qua non triumphet cor durum emollit, molle indurat, linguam mutam soluit, loquacem comprimit, corda inflammat, & voluptate quadam demulcet, leges & iura proculcat verecundiam, & pudorem abigit; sepulchra violat, parietes perforat, nihil non habet venale, nihil non prodit, nimirum fabula mera est, quod vulgò dicitur Adamantem solùm sanguine emolliri; quid enim auro potest esse efficacius etiam in saxis emolliendis.

Et Horatius ab effectibus lib. 1. epist. 5. ad Torquatum, ebrietatem amplificat;

Quid non ebrietas designat? operta recludit
Spes iubet esse ratas, iam prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, addocet arteis.
Fœcundi calices, quem non fecere disertum
Contracta, quem non in paupertate solutum.

Pugnam Theodosij contra Rebelles, sic Pacatus amplificat. *Iam omnis campus horrebat diuisi in cornua Equites, leues ante signa velites, dispositæ manipulatim Cohortes, & gradu pleno ferentes agmina, quadratæ legiones, vniuersa latè qua visus agi poterat occuparant, nondum se virtus experiebatur; iam disciplina vincebat: at postquam intra coniectum teli, acies vtraque promouit, hæc effusis hinc inde sagittarum nimbis, & confestim armati, inermes, integri, saucij, primi, postremique viderentur misceri, miles surgere eminus, cominus, gladijs, hastis, ferire cessim punctim, alij videbantur*

tur terga conficere, alij iaculis occupare, prona, ac supina corpora passim, & inaceruo iacere: illi mutilibus excisisque membris fugiebant, isti dolores vulnerum sequebantur, isti mortes receptas in syluas, ac flumina deferebant.

EXPENSIO DECIMA.

De Amplificatione comparatiua.

FEstiuæ Palladis in viridario consuescunt ludere hac amplificandi forma Oratores, totque legunt eloquutionis flores, quibus eloquentiæ Reginæ texatur diadema, quot voluendo, vel vetustatis monumenta, vel Poëtarum commenta adducunt, siuè historias, siuè fabellas, quapropter pręsens forma dilatandi à comparatione subiectum quodlibet, suauitate quadam, ac lenocinio auditorum animos perfundit, ac sicut purpureo redimitus paludamento Planetarum Princeps inter syderum turbas, quæ ab ipso Sole veluti fęcundissimo è fonte suos exhauriunt splendores, quibus aëreo luceant in theatro, magis inquam persulget phębus inter cætera sydera, vt princeps super subditos; sic pari pacto præsens amplificandi forma præ cæteris, vel dilucidatis, vel enucleandis amænè, ac festiuè relucet, huius amplificationis exemplum habetur in sacro Codice, vt est illa amplificatio, qua morti proximus Mathathias filios ad legis, ac patriæ defensionem pluribus appositis exemplis adhortatur 1. Machabeorum 2.

Regij Pectoris Augustam liberalitatem, ac liliatam puritatem Beati Amedęi Allobrogū Ducis, non desino amplificare, his enim pietate in pauperes excellens, cum non haberet, quid pauperi eleemosynam flagitanti daret proprias exuit vestes, ac Augusta herois liberalitate nuda cooperuit, ac vestiuit pauperis membra, quam actionem, quia encomio dignam censeo tali pacto per prędictam formam amplificandi à comparatione sic commendo. Quis non videt Planetarum principem eò lucere pulchriorem, quò nudus cælestes per sphœras sine errore errat? Quidni Sol erat Amadeus tot nitidissimis redimitus radijs, quot ornatus heroicis virtutibus, benè igitur, vt clarior luceret Cęlo quacunque erat denudandus veste, imò puritatis erat lilium vt candidiùs effloresceret quocunque erat denudandum paludamento, vt sine fucatæ

pompæ

pompæ coloribus innocentiùs Ecclesiæ in Viridario germinaret; imò Angelum dicerem sine vestium pondere celeriùs Olympi calles percurrentē, iactet Aethnica vetustas pugiles suos, ac Athletas, qui vt citiùs ad palmas, ad victorias properarent nullam admittebant vestium speciem, nam Amedeus luctaturus cum Tartaro omnia in manus pauperum proijcit indumenta,vt pernici cursu, non ad vanos triumphorum plausus, verùm ad æternæ gloriæ apicem volitaret, & benè cælestis ciuis est appellandus omni expoliatus veste; etiam Saul Regio denudatus paludamento sacro Codice teste cepit Prophetam agere, sic Achabus lacera indutus lacerna diuino fuit spiritu animatus, sic D. Hieronymus palmatam Pauli tunicam purpuræ regiæ anteposuit: vestiantur igitur purpura Lacedemonij milites, induatur coccinea veste Cyri bellatoris militia, Christiana militia prestantiores inter duces numerat, quos nudos charitas facit, si tamen nudi sunt appellandi illi, quos virtus heroica indumento suo ornat, non onerat: fuit certè superbia illa Tullij hostili, qui primus Romano in Imperio purpuram induit; nam vt antiqua fatentur monumenta, Romulus,& Numa Pompilius ob Regni diuersitates nunquam purpurā vestierunt, fuit superbia illa Sinarum regis, qui non alio vestiebatur indumento, quam flauo aureo filo intexto Draconum, ac Leonum feritatem inspirante: fuit superbia Constantinopolitani nascentis Imperatoris, qui nisi purpureis inuoluebatur fasciolis: fuit superbia illa militantis Iustiniani, qui sepulchrum veste iussit tegi stragula, in qua opere Phrygio victoriarum, Vrbium, ac Barbarorum Regum, quos ipse debellauerat effigies essent intertextæ: fuit superbia illa Orientalium Imperatorum, qui prohibebāt, nequis Regium palatium nigris velatus vestibus ingrederetur, certè melius est denudari paliolo ne pudicitia spoliemur, vt quondam Ioseph, melius est cum nostro Allobrogum Duce inuictissimo, nudos milites in campum prosilire, vt de Tartaro triumphemus: benè igitur debuit Cæleste ingrèdi capitolium spoliatus nobilis Athleta, ac æternum triumphare.

Poëta Italus vitam nostram poluerio horologio comparauit.

Polue cadente in regolato metro,
Mi va partendo in hore il giorno, e l'anno,
Mà ne pur vna, ohime, scarza d'affanno
Da l'ostinato mio destin n'impetro.

La

La culla addita l'vn, l'altro il feretro
Di quei due vetri, che congiunti stanno,
E dritto e ben, che siegua al nostro danno,
E la polue inquieta è il fragil vetro.
Con l'acqua i Greci opra simil formaron,
Che per quelle stilla anguste porte,
Ma nella polue al fin l'vnda mutaron.
E tal si volge ancor la nostra sorte,
Poiche l'huomo in questo mondo amaro,
Pianto è la vita, e cenere la morte.

Vt varijs excipiamus encomijs D. Laurentij clarum Martyrium tantam Herois victoriam licèt è iactura corporis, & membrorum cineribus exortam, per varias ignium flammarumque comparationes illustrabo. Dignus est gloria Heros Martyr, qui succenso è rogo ad immortalitatem euolauit: cęlestes namque Phœnices, nisi è flammis ad Gloriam volitant: pulchrum sanè spectaculum? vrebantur famelicas inter flammas niuea herois membra, at decoctis carnibus epulabatur spiritus aureum pectus; carnificum, & ferro, & flammæ obijciens: obscura certè non est censenda hæc victoria, quæ incendij inter splendores splendidiùs emicat. Vt igitur nostra fiat amplificatio, erit desumenda comparatio ab igne, ac incendijs, quæ scimus fuisse celeberrima. Reijciantur philosophantium turbæ sterilem naturam præbentes igni; negari non potest Laurentij flammas non esse fęcundas, cùm & ingenti gloriæ fœnore vitam Martyri parturiunt, ac victrices palmas: Letale fuit excitatum incendium Romana in Vrbe ab illo Imperatore, qui candorem nequidem in nomine habuit, vt illa Vrbium Phœnix proprijs sepulta cineribus non ad immortalitatem reuiuisceret; sed pallidæ mortis in vmbris extincta iaceret: ad perniciem fuit excitatum incendium Syracusana ab arce Armati Marcelli in lignis ab Archimedis industria, quæ singulari methamorphosi sua arte edocuit etiam ignem in vndis posse suscitari: Ad interitum hominum flammarum globos eructant Aetnæ iuga, ac Vesuuij cacumina, dum Aetnæa incendia Empedoclem absorbuere, ac Vesuuij flammæ Vespesiani Imperatoris sub Imperio illustrem Plinium in cineres redigerunt. Incendia verò, quæ ab armata barbarie supter membra nostri Martyris suscitantur, non ad necem, sed ad Gloriam, ac purpuratam vitam emicant. Clara est Calani Pira

in conspectu Alexandri succensa, vt Imperatorum solem flammarum stellulis summam coronaret ad pompam; at obscura erit si nostri Martyris flammæ comparetur, quæ Martyrij coronam composuit, tot ornatam carbunculis, quot à carbonibus excitata: tritum est apud Caldęos, Cęleste vt Numen fuisse exceptum ignem, quasi Aetnicæ superstitionis caliginosa vmbra clara vellet fieri ab igneo Lumine, ac Numine; certè Laurentij gloria hisce è flammis clarior surrexit: non ita suis facibus armata Bellona de hoste triumphatura pugnabat, vt clarior fieret victoria, non ità Cesoriani accensa vibrabant in hostes tela, vt citiùs in cinerem redigeretur aduersarius; non ità antiqua in acie milites igneis tedis loquebantur amicis copijs longinqua in regione hybernantibus, vt inuictissimus Martyr subiectis prunis de Tyrannide triumphauit, ac illustre spectaculum festiuè expectandum Cælo dedit: scio Germani Imperatoris cor comburi in flammis nequaquam potuisse, in cineres soluto corpore, quia veneno erat infectum constantia verò inuictissimi herois nostri non læditur ab igne;; quia aurea, quod si Pyromantę ex igne futura audebāt prædicere; multò certius ex Laurentij igne futuram Gloriam possumus plaudente lingua prænunciare, accedant Persicæ fęminę velato vultu ad ignē, illi sacrificaturæ, Martyr noster nudatis membris meliorem ad ignem accedit, non vt adoret ignem Persico more, sed vt adoretur beatus à tota posteritate; ite iam excruciandi infelices Promethei æternùm in gehenna ex accepta fœmineo ab igne ferula; ite infelices infelicissimi ignis Phœnices; ite debilis flammæ deplumati papiliones; ite abite Salamandræ ęternū in ignem; non tamen vt viuatis, verùm inter cruciatuum exercitum millies moriamini sine morte; ite non vobis hæc flamma, vt quondam Seruio Regnum, sed seruitutem prædicit æternam: è conuerso, quanta erit nostri Herois gloria, quæ veluti metallorum princeps crepitantium flammarum inter turbines magis perficitur, vsque dum simul cum flamma Cęlestem euolet ad sphœram.

Virtutes etiam ad bonum odorem comparantur, vndè benè olet anima, quæ virtutis induit ornamentum; nam alioquin corporis fragrantiam male redolere, significauit S. Ioann. Chrysostomus conc. 1. de Lazzaro; *Te*, inquit, *non oportet olere vnguentum, sed spirare virtutem: nihil immundiùs anima, quando corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim, ac vestium fragrantia arguit,*

intus

intus latere animum immundum: at vt aliqua indicam de odore apum aculeū noster calamus imitabitur, punget enim odore infectos, & vnguentis madidos: ait Thofrastus 6. cap. 4. *Pugnant apes vehementer in eos, qui vnguentis sunt uncti.*

Quæ verò subijciam obseruatione sunt digniora: primùm dulcia non benè olere, ait idem Theofrastus de plan. lib. 4. cap. 22. vbi hæc habet, *Ex fructibus nullus fructus bene olet, nam & mala dulcia odorem minimè reddunt, ac retinent, ac eò minus, quò dulciora sunt, Ratio est, quia succus dulcis crassior, ac terrestrior est; odor autem corporis tenuioris, ac sicciotis potiùs est, ita, et qui luxus, ac carnis grassitie laborat nihil tenue habet, nihil spirituale.*

De odore ità sentiunt Medici, vt asserant in sicca substantia illum radicem ponere, vnde sicut siccitatem amat odor, & non pinguedinem, ità & virtus reijcit carnis luxum, ac pinguedinem, & solum adhæret spiritui, ac incipit anima male olere, cùm benè corpus olet, hinc habentur verba D. Ioann. Chryso. Homil. 22. *Non vnguento vngitur Athleta, eorum enim, qui iam victi sunt tale studium est. Nihil anima immundiùs, quando corpus talem habet odoris suauitatem.* Ad rem tamen nostram maximè facit illud Vespasiani Imperat. cum ad eum venisset Adolescentulus eximio ornatus vestitu, & vnguento fragrans pro impetrata Præfectura gratias acturus dulci, ac composita oratione: Amplissimus Princeps nutu aspernatus voce etiam grauissima iuuenem increpuit: *maluissem*, inquit, *allium adoluisses*, & illicò literas reuocauit, vt nos doceret sapiens Princeps, Dignitates non corporis luxu, vestiumque pompa, sed virtutum odore, ac pompis esse ornandas.

Sicut virtus bono equiparatur odori, ità pari pacto vitium fętori, argutè ait D. P. Chrysolo. serm. 19. *Discedente Deo ab anima, confestim venit in animam peccatorum fœtor, vanitatum cinis;* & D. Augu. in Psal 37. ait, *Habeat aliquis sanum olfactum animæ: sentit quomodo puteant peccata, vndè ait diuinus Sponsus post odorem vnguentorum tuorum curremus, aduertimus à putoribus peccatorum olfactum.*

Tractari etiam potest præsens amplificandi forma per continuam allegoriam; comparando scilicet subiectum cum altero subiecto per continuam allegoriam, sic si comparo D. Hieronymum nitidissimum Ecclesiæ lumen cum ferarum principe Leone debeo recensere omnia, quæ pertinent ad naturam Leonis, & quę

eruditè de tali quadrupedum Rege dici possunt, deinde sunt applicanda, vel per similitudinem, vel à maiori ad minus, cum Diuo Hieronymo, qui mundi illecebras despiciens Bethleemiticum ingressus antrum, diù vixit abrasus ab hominum commercio, vt humaniùs viueret ferarum inter turbas, vbi tales emisit rugitus Leo noster, vt feras omnes, quæ occidentales per oras hæresis venenum disseminabant perterrefecerit, vbi lachrymarum profluuijs sitim magis augebat, quam minueret: vbi assidua ad pectus verberatione manu saxea discordes sensus appetitus, cum ratione concordabat, vt perfectiùs audiretur à cælitibus suarum actionum musica dulcisona.

Igitur ex varia eruditionum sylua, quæ eruditè habentur de ferarum Rege sumamus, vt perfecta allegoria comparentur cum nitidissimo Ecclesiæ lumine. Quis nescit singularem esse Leonis prærogatiuam, vt rugitu suo suscitare possit extinctos leunculos, nonne, & noster Leo fecundo eloquio plures cælo mortuos, ac peccatorum in tumulo sepultos ad sanctiorem reuocauit vitam? non exigua dos est Leonis Nemei, qui ab Hercule deuictus, tandem inter sydera fuit elatus, vt cū ipsius residet in pectore Sol ferueat magis: Leo etiam noster post huius vitæ cursum in cælo fuit erectus, æterna gloria fruiturus: Non exigua laus est huius belluarum principis, principē apud Poëtarum, qui de ipsius loquens mansuetudine ait;

------ *Nec magnos metuent armenta Leones.*

nec exigua dos est, quod oculis indormiat apertis: hinc in vigilantiæ symbolum ad sacræ ædis amplissimas ianuas viuo in marmore eleganti cælo Leones animare consueuerat antiquitas: imò sacer ipse Codex eburneo Salomonis in solio duodecim collocarat, vt ferarum vigilantissimi ad custodiam sacri ædificij die, noctuque vigilarent; ratus forsan sapientissimus Salomon; quod virtutum per calles non debent indormire Christi sectatores, sed de virtute pergere in virtutem, cum in via Domini non progredi, *sit* retrogredi. Exterret tamen ipsum Leonē Galli cantus, vt discant maximi, vel minimas voluptates, hoc est Syrenulæ blandulæ voces non admittere, vt noster Doctor Hieronymus, qui exiguas, vel ad harum syrenularum voces aures abturauit suas. Præclara est etiam, ac rara illa Leonardi Vincij pictoris, ac sculptoris excellentissimi inuentio; varijs iste machinulis versatilem composuerat

Leonem,

Leonem, qui ſuis ſe pedibus ante Maieſtatem Francorum Regis Ludouici Duodecimi cõtulit,& vbi cũ in tãtæ fuit maieſtatis aſpectu non mel ex ore, vt quondam Hębreo Herculi, ſed grauida ab aluo liliatum nimbum perpluit, nec vnquam maior viſa eſt celebri Gallorum in Regia ſerenitas,quam in hac florida pluuia:etiam Leo noſter omnium virtutum flores per totum ità diſſeminauit Orbem; vt ſanam doctrinam, ac ſanctitatem, vbique redolerent. Excitantur mirandum in modum magnanimi Leonis partus auream quaſſante iubam Leone parente: hinc placuit quondam lyſſandro leoninam induere pellem, & vbi deerant generoſæ illius ferę nobiles exuuiæ; vulpinas addebat, ſcilicet, deſtituto fortitudine recurrendum eſſe ad vafriſiem: nec ſilentio ſepeliendi ſunt Leones Hermiæ regis glorioſiſſimum ſepulchrum cuſtodientes, quorum ſmaragdini oculi terrori erant ſquammeo gregi, quaſi oculorum acies, quacumque ferri acie ferirent acutiùs. Silentio non eſt inuoluenda illa eruditio, quæ apud Dionem reperitur: paulò antè mortem Antoninus Carachalla Imperator Palatij ſui regalis in limine, ac veſtibulo à Leone aggreſſus, qui abrepto dentibus paludamento tentauit illum retinere,ſed ipſe egreſſus domo coniuratorum in manus venit, vbi cum ſanguine vitam reliquit. Generoſitas etiam explicatur per illud lemma, *Per tela, per hoſtes.* Renoceroti opponitur Leo, ille robur habet in capite, hic in pectore, vndè pro lemmate de primo, dicitur, *Stat in capite robur.* Secundus verò .ſ. Leo præfert in pectore vires, vndè ad ſignificandum virum prudentem aliquem, ac varia doctrina ornatum, poteſt delineari Rinoceros, hoc lemmate, *Stat in capite robur;* ad exprimendum verò hominem fortem bellicoſiſſimum pingi poteſt magnanimus Leo hoc ſchemmate, *Præfert in pectore vires:* taceo Agamemnonis clypeum leonino animatum capite, illa inſcripta epigraphe, *Hic hominum terror.* Marcus tamen Antonius primus Romę ſubacto currui alligauit Leones, vt victor exciperetur Romano à capitolio: & Chyron fortiſſimus inter viros, non alio nutritus alimento fuit; quam ex Leonum oſſium medulla: & vbi præfocauit Magnus Alexander Leonem,à legato Lacedemonio, inaudiuit ſibi hoc factum ſingulari hoc encomió commendatum, *Bellaſti, ac debellaſti regnum:* ſilere nec debeo ſingularem tantæ feræ gratitudinem. Longo itinere Luſitanus Miles Indias meditabatur, ſyluam ingreſſus Leonẽ vidit in ſingulari certamine

cum

cum Dracone decertãtem, nudauit illicò ensem miles Draconem prostrauit, inimicum, scilicet Leonis: tanti beneficij memor Leo è latere sui defensoris discedere vnquam voluit, & cum miles in nauim deberet conscendere alium in Orbem nauigaturus, fera liberatorem militem secuta; pluries etiam tentauit nauim conscendere, quę cum pluries fuisset à Nauclero repulsa deposita feritate maris vndas ingressa tamdiù per illas, supernatauit, quamdiù superfuit aliquid spiritus, quo tutorem suum sequeretur, sic ardere etiam amoris igne didicit Leo in vndis, ac docuit, amorem, vel in feris fortem esse vsque ad mortem, vndè ferarum hic princeps ab Aegyptijs dicatus quondam fuit Soli, singulari, meo iudicio, sapientia syderum vigilantissimo, ferarum vigilantissimus. Hinc Dauid alter Cyrus inter pastores, & inter Reges pastor; contra Leones veluti contra Achilles vires exercebat suas, nec minorem sibi gloriam comparauit Leone deuicto, quam quondam Achilles prostrato Hectore. Febri tamen vritur assidua ipse Leo, vt calore febrili extinguatur, si non penitus, saltem castigetur immanis ipsius furoris flamma, vel vt doceret sapiens natura sublimes etiam animas maiestatemque ipsam suis non carere malis: sicut florum regina luxurianti pompa non effloreſcit, nisi dumorum exercitu circumsepta, nulla tamen gloria maior accedere potest siluestrium monstrorum regi, illa; quam Leoni tribuit Christus Dominus cum tali se appellatione insignitum voluerit, cum dixit Propheticum oraculum, *Vicit Leo de tribu Iuda;* Singularis etiam est Leonis prærogatiua, qui cùm Luna totum implet lumine Orbem fortior consuescit esse Leo; ratio est quia cum minuitur illius nocturni Planetæ lumen virium decremento debilitatur Leo, at gliscente Luna, crescunt paritèr Leonis vires, vt discant Heroum animi, vel inter tenebras angustiarum crescere semper virtute.

Fieri etiam amænè potest amplificatio comparatiua per confutationem, adducendo ea omnia, quæ comparari possunt cum subiecto, quod extendendum sumimus, quæ tamen non sunt nudè enarranda, sed per aliquam repetitionis figuram, qua reijcimus, ea, quæ vel minora sunt, vel eundem excellentiæ gradum cum subiecto amplificando non seruant. Praxis, & exemplum rem magis illustrabit: sit hæc propositio amplificanda, *Spiritus sanctus in Columbæ specie visus est*, vt cum eruditionis sale, ac condimento fiat, sunt recensenda in primis per confutationis figuram, ea

quæ

quæ de columbis antiqua nobis miniſtrant monumēta tali pacto.

Sileant Noëtica tempora pacificam columbam, quæ cum oliuæ ramo veluti caduceator Mercurius perpetuò fœdere terram alligauit Cælo, quod illico indicauit varijs induta coloribus Iris, vt ſignificaret Numen cęleſte,nebulæ clauo ſuum appendiſſe arcum, ne amplius vibratis nimborum telis terram feriret :imò hoc arcu fęderis videbatur cælum ſua extendere brachia; quibus dulci amplexu oſculum pacis terræ figeret, imò, & ipſa ſydera hoc arcu pontem compoſuere, quo mutuo commercio benignis influxibus tellurem locupletarent; recenſeat poëtarum princeps candidiſſimam hanc volucrem fauſtiſſimum fuiſſe omen Aeneæ: ſtatuit quondam pijſſimus Troianorum princeps ludum, in quo alligata ad arboris ſuprema ramaria columba ſuos prouocauit milites, vt in illam ſagittas vibrarent, & accedentes omnes, primus truncum ferit, ſecundus nodum ſoluit, tertius ipſam volantem vulnerat, quartus cum nihil ſupereſſet tamen iaculum ab arcu emiſit, & loco columbæ flammam in terram deuoluit; ſileant artis induſtriæ Architæ columbam libramentis ingenioſè conſtructam, & aduentorum afflatus volitantem: vtinam mortales Architæ columbulam nõ imitarentur, quando Spiritus ſanctus ſuccenſi flammis ad altiora petunt, & deficiente flamma, ac ſpiritu decidunt deplorabili lapſu: taceat Solimanus Imperator tabellarias ſuas columbas, quarum in pedibus alligatis epiſtolis, volatiles nuncios ad alios emittebat Principes: deſinant Poëtarum deliria, ac commenta amoris Deæ, hoc eſt, Veneri illibatas præ candore columbas conſecrare, ac in curru impuræ Deæ impudicas volucres alligare; pudicitiæ volucres congruum nequaquam eſt, vt impudicitiæ Deam ſecum trahant; columbæ enim non impudici, ſed illibati amoris Ariſtotile teſte ſunt ſymbola. Sileant Dianæ ſectatores, hoc eſt venatores pernicem columbarum volatum iactare, licèt enim rapidiſſimo volitent curſu, mitiſſimæ ſunt; hinc natum fuit adagium, *Columba mitior*; non ampliùs eloquentis floribus Palladis aſſeclæ, vſque ad Cælum euehant columbarum pulchritudines, eò quia illarum colla ad Solem expoſita Iridem figurent in terris, non ſine cęli Thaumantis inuidia; vndè editum fuit hoc lemma, *In luce lucidior*: non ampliùs bellicoſiſſima Semiramis eleganti penicillo ſuis pingat in ſtemmatibus columbas, quaſi candore huius volucris proprias vellet tegere ſordes, & quæ ſæpè

bellico

bellico insaniebat furore columbarum niuibus insani furoris flammas intenderet extinguere saltem apud posteros. Nam diuini Spiritus columba dumtaxat est laudibus commendanda, quæ eleganti prodigio cum puritatis niuibus, amoris flammas iniungit; nec flammæ niuibus circumseptæ detrimentum patiuntur, nec niues flammarum inter incendia dissoluuntur: niueus fuit diuinus Spiritus cum in columbæ specie visus fuit; igneus fuit diuinus Spiritus cum repentinò de Cælo sono, multiplices dispartitus flammarum in linguas, de Cælo in terras delapsus fuit: & benè flammeas perpluit in linguas diuini Spiritus columba; nam sicut quondam supremus rerum conditor plurium confusione linguarum insanos Gigantes, Icarios erumpentes in ausus, ac irritos labores in Babylonicæ turris structura, euertit: ità viceuersa, quia cęlo ęquandi erant Christi vestigia sectantes Catholicæ Ecclesiæ turris linguarum quoque diuersitate erat erigenda. Victimarum olim lingua præconibus tribuebatur, cælum quoque igneas linguas Apostolis tribuit; vis scire causam? futuri erant veræ religionis magistri, ac verę legis præcones, illis debebantur linguæ, vt vbique fierent vocales: quid dixi linguas recipiunt? meliùs dixissem eloquentiæ fulmina, quibus non vno ictu superstitionis Hydram, multiplicia iam repullulatam in Capita Herculeo robore erant sauciaturi. Mirum tamen non sit, si ruentibus de Cælo flammis repentè auditur sonus, vocales erant linguæ, nisi aliquo sonitu ruere poterant: nulla in terris erat sufficiens lingua ad diuinos enucleandos amores, vnde ad illos enarrandos diuini Spiritus columba tota abijt in linguas, vt verę charitatis rosæ in Apostolorum oribus audirentur loquentes. Amores suos non patitur Deus expressos audire, nisi igneis à linguis, sic ab initio huius visibilis structuræ, quando rerum omnium molitor supra nihilum huius Orbis iniecit fundamentum (sistit enim terra suis librata ponderibus) & vna cum cælorum immensitate singula quoque elementa creauit, globumque terræ perfecit, sic inquam illis sub initijs, vt *Cæli enarrarent gloriam Dei*, in Sole, Luna, & Stellis igneas dedit linguas, vt nisi igneis hisce linguis eius gloriam enarrarent Cæli; benè igitur in hac secunda Orbis renouatione, vt Apostoli magnalia Dei faterentur, diuinosque exprimerent amores, igneæ perpluere linguæ, vt non alijs loquerentur linguis, quā igneis; si olim in Babylonicę molis structura multiplicitas lingua-

rum

rum vitiorum callem ad gehĕnam procliuem adaperuit; par erat, vt hodierna hac linguarum multiplicitate ad virtutis viam morumq; sanctimoniam redirent homines: at causam forsan quæris, cur in Mosayca lege per Angelos Deus loqueretur ad homines, & non ampliùs in noua lege per Angelos loquatur ad homines, nec fiant illa prodigia, quæ in veteri lege? causam dicam: postquam mundus hasce Dei audiuit linguas, opus amplius non fuit Angelorum linguas audire: olim eois Regibus Bethleemitico in antro nostri generis Reparatorem inuisendis vnicum tantum sydus illuxit: Christianæ verò religionis præconibus multiplices effulsere stellulæ, quia ad videndas totius ethnicæ superstitionis tenebras vnici tantum syderis lumen non erat satis; verùm vt tot populorum diuersitates ad portum ducerentur salutis multiplices erant elucendæ cynosuræ; & iure hæ stellulę in linguarum figuras perpluunt, vt salutis calles ne dum suo iubare signent, verùm & neruoso, ac arguto persuadeant eloquio.

Nostra tamen columba, quia sine strepitu, ac aëris collisione non volitat, nec sine sono; sic nec dispartita, ac soluta in linguas non descendit sine vehementi sono, *Et factus est repentè de Cælo sonus:* nec mirum sit, quia sicut sine fragore, ac sonitu non ruunt è Cælo fulmina, sic quia igneis linguis inauditæ eloquentiæ fulmen erat Apostolis dandum, quo Superstitionem contererent, non sine strepitu debebant in terras prolabi eloquentiæ hæc fulmina; meliùs dicerem factus est repentè de Cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, ventus hic erat secundæ fortunæ, vt Apostoli, hoc est, gubernatores Ecclesiæ prosperis ventis, citò à Iudęæ litore soluerent, aliaque enauigarent maria; quia lumen veræ religionis ingratos Iudęos debebat quamprimum deserere, & Ethnicos populos illuminare iuxtà Propheticum eloquium, Populus qui ambulabat in tenebris, & vmbra mortis lux orta est eis: verùm quia Apostoli diuini Verbi præcones non amplius cruentata sacrificia, sed nouam amoris legem debebant populos edocere, est animaduertendum, quod ad hoc indicandum Cęlum non tonat, sed sonat, dicitur nempè, *Factus est repente de Cælo sonus,* causam quæris; quia sonum, & musicem dumtaxat docet amor, & si quondam Ethnicorum leges non promulgabantur, nisi gratissimo carminum sono, vt iucundiùs in subditorum aures, ac animos illaberentur, ac suauitate quadam animos per-

funderent, sic festiuè amplecterentur à populis; fas etiam erat, vt istæ amoris leges non sine cantu significarent Apostoli: quod olim delirāte animo significauit Pithagoras nēpè cęlestes sphęras pernici suo cursu ad inuicem collisas obstrepere, ac armonico sonitu musicæ melos personare fictū fuit; at quod fabula fuit hodierno Cælorum sonitu verificatur, vt Orpheos suos videatur habere Cælum, quorum sonitu non vnam Euridicem, sed ingentes Ethnicorum turbas è Tartari faucibus abstrahat. Oh certè faustissimum diuini Spiritus nomen omen verę fęlicitatis, nomen niueū, quia mox in columbæ specie apparet; nomen igneum pariter, & rubicundum, quia indicium est amoris, & in amoris tædas in terras perpluit.

Per suspensionem, quæ est figura multa prædicens, priusquam quod est dicendum dilucidet, potest etiam quodlibet subiectum amplificari à comparatione, quæ inter amplificationes omnes principem ferè occupat locum, vndè ponatur extendenda hæc propositio, *Aureus Christi Domini vertex aliquo diadematis honore debet irradiare, vt in passionis pugna de Tartaro triumphet*; igitur per suspensionem sunt sumendæ coronæ omnes, quæ in nostrā potuerunt accedere cognitionem deinde sic dici.

Grande certè diadematis decus triumphatori Christo debet conuenire, at qualis erit hæc coronæ pompa? forsan illa nocturni planetæ, quæ hallo dicitur; cum hæc tempestatum sit index, ac procellarum augur, Christus etiam inter cruciatuum procellas triumphat de morte: at sit corona ex auro compacta; vel oualis ex myrto; vel naualis ex rostris; vel vallaris ex gramine; vel ciuica ex quercu; vel ex amarantis immortalibus; vel ex rosis, vt quondam triumphator Scipio ex rosis intextam habuit, certè hisce omnibus coronis esset Christi domini vertex ornandus, at aliud coronarum genus tantum verticem spectat coronare, forsan ex hedera, vel myrto, quando vel melior Orpheus non vnam Euridicem, sed homines omnes è tartari faucibus rabidis extrahit, vel fortunatior Hymenæus sordidam terram sanguine purgatam maritali fœdere cōiunxit Cælo, certè hæc deberentur Christi vertici diademata, sed alia debet tantum caput fulciri corona, forsan sagittarum erit texendum sertum, vt quondam apud Scythicas gentes, vt frons Christi obarmetur in Tartari perniciem: forsan ex contextis crinibus erit componenda Christi domini corona; vt

quon-

quondam apud Persas; scimus nonnullas fęminas ita fuisse bellicosas, vt loco reticuli, ac muliebris vittæ fundā adhibuerint militarem ad lapides, ac saxa in hostes euibrāda: forsan Cęlum ipsum Ariadneam coronam triumphali Christi domini vertici commēdabit, certè versicolor Iris circum Caput Diuini Mercurij deberet elucescere? forsan cum diuinus sit Sol sydera ipsa sertum component tanto Regi; certè illi non debetur, Bacci corona pampinea, vel cipressina Plutonis, alia diadematis pompa debet exornari sacer vertex? forsan erit sumenda vna ex hijs coronis, quas Barbari quōdam populi ex anguibus, ac ferarū carnibus texebant, quas in venatione sauciabant, vt tantū circumsepiat caput? forsan Aaronis Pontificis erit amplectenda corona ex auro conflata, omniq́ue gemmarum genere exornata? vel forsan quatuor millenæ coronæ omnesq́ue aureæ Antioci Epiphanij post superatum Paulum Consulem Romanum huius triumphi pompam debent claudere? vel forsan laurea corona sacrum debet stringere verticem, cum tunc triumphet Christus, quando sua morte Orbem totum viuificat? at huiusmodi coronæ speciem eligat Lucius Sylla, qui sua in funebri pompa multos habuit coronarum laurearum aceruos, & circumuoluantur in aliam partem omnia hæc sphœricarum coronarum genera; Christi vertici debetur tantum corona ex Iungis marinis contexta, vt eius nobilitas, ac dignitas ostenderetur, sic apud Tertullianum spinæ iungi marini magnitudinem indicant, ac nobilitatem, quapropter in domibus virorum nobilium corona ex iungis marinis compacta appendebatur, vt eorum nobilitatem, ac dignitatem ostenderet, vndè, vt communior, ac probabilior fert opinio ex iungis marinis erat contexta Christi domini corona, vt contra insaniam Hebraicam regia eius dignitas ostenderetur, vndè Diuus Ambrosius libro decimo in Lucam 23. *Sic coronatur vt victor, & adoratur, vt Deus, ac dominus*. Lilium inter spinas erat Christus, hoc quasi cognoscens Hebraica barbaries dumorum serto coronauit, ne huic lilio deessent spinę: Quidni si Sol erat diuinus, cur non potiùs ex syderibus est compactum sertum, quam cōpunctum sentibus Christi caput? causam dicam, scimus enim populos quosdam in acie pugnaturos sagittas in morem radiorum circumponere capiti; indeq́ue prompta in hostem iacula contorquere: an non coronatur sentibus, ac aculeatis dumis bellator noster Christus, vt citius

Tartarum hostem confodiat, ac de ipso triumphet? certè sensit humani generis hostis, hoc telorum bellique choragium, cum noster bellator fuerit hisce coronatus iaculis, & in Caluariæ colle occurrens tenebrarum principi, illumque in luce sagittarum suarum, in splendore fulgurantis hastæ perterritum transfixumque mactauit: nec desunt hisce spinis rosæ, quæ ex fertilissimo Christi capite emanantes sanguineam efflorescunt in purpuram, vt tota posteritas ex hisce spinis postea legeret rosas, quæ charitatis, & amoris sunt flores: certè Dominus vitæ erat censendus Christus, cum in eius vertice consiti aridissimi, ac emortui sentes senserunt illicò vitam, & in sanguineas eruperunt rosas. Verbum Dei ne moriatur inter spinas sterilescentium peccatorum non debet cadere; at in humani generis Reparatoris passione Verbum Dei, quia hasce cecidit inter spinas non mortem, sed vitam nobis daturam indicauit, vndè ne censeretur mortuum illicò in purpureos germinauit flores, ceciderunt certè in terram bonam hæc spinarum semina, quando subitò effloruerunt; certè fuisset Christus liliorum lilium inter spinas; nisi spinæ sanguinem è capite elicientes diuinum lilium in rosas commutassent: antea tantummodò terra spinas, ac tribulos gerebat, nunc & cælum ipsum, scilicet serenissimum Christi caput, & spinas ferre cæpit. Sepire vineam suam venerat bonus agricola, collegit vndequaque materiam sepium, hoc est spinas; hoc tamen solùm miror, quod terra etiam quæ maledicta non fuerat, spinas ferret. Gaudeat posteritas tota, cælesti inuite de spinis edisect vuas colligere, & inebriari diuino amore, vestram commendo nobilitatem fortunatissimæ spinæ, non ampliùs ad insidiam hominum compactæ, vt vulnerato punctæ Veneris pedi accidit, hic enim cum pungant non ampliùs pedem, sed diuinissimum caput, non ad hominis insidias, nec ad necem, verùm ad vitam Christi capiti figuntur; non possum tamen in lachrymas non erumpere, ad tam horridum spectaculum, non siccis spectandum oculis, ò diuinum caput, candor lucis æternæ, verè lilium inter spinas. Ergo tamquam actores in fabulā conquisita ad hanc rem Histrionica purpura regem induunt: pro sceptro arundinem in manu statuunt, & mox veluti in scenæ catastrophe mutata personarum facie ingenti omnium plausu, risuque, personante conuicijs atrio illum conclamant regem, simulq; exibilant, & quia Regi ne dum purpura, ac sceptrum, verùm etiam corona

debe-

debetur pro diademate sertum spinis horridum capiti circumponunt, atqui non sit mirum, quia in regno patientiæ nil melius coronat, quam quod cruciat: Ethnica stuperstitio, quæ singulis rebus suos statuerat peculiares Deos, sic sapientiæ Mercurium, eloquentiæ Palladem, vino Bacchum, amori Venerem, armis Martem, venationi Dianam, cælo Iouem, tartaro Plutonem, sepulcris Manes, annonæ Cererem, mari Neptunum, domibus Penates, sic, & ipsis spinis suum finxit Deum, at Hebreorum crudelitas spinarum Deum nequaquam finxit, sed fecit; quid aliud sunt cruentatæ spinæ diuino in capite, quam quidam diuinitatis radij: volubilia sunt omnia regna, ac inconstantia, quorum diademata ad modum sphęræ componuntur hoc est, inconstantiæ symboli: vnicum verò Christi regnum labile nequaquam credatur, cuius corona radices habet, ac eius diadema, ne quidem inconstantiæ vmbram sapiat, ac ne moueatur tot figitur clauis capiti, quot pungitur Christi vertex dumis: diuina Veritas sine phaleris, a fucis vult videri, vnde mauult dumos tolerare, quam frondes.

EXPENSIO VNDECIMA.

De Amplificatione vniuersali.

NIsi grandē orationis ornatum præbet hæc amplificandi forma, quæ petitur à circumstantijs, & ideò dicitur vniuersalis, quia circumstantiæ sequuntur vniuersalem omnem personam, actionem omnem; hæ circumstantiæ præsertim sunt; *Tempus, locus, antecedentia, consequentia*, quæ circumstantiæ maximè valent in genere Deliberatiuo, ac Iudiciali. Locus, in quo factum est, ac perpetratum flagitium est maximè ab oratore attēdendus, vtpotè potest minuere, vel arguere patratum scelus, vt si Locus est sacer, si publicus; quapropter Causidicus, ac Orator diligenter locorum opportunitatem debet attendere vt maior, vel minor criminis suspicio ingeratur; hinc Cicero à loco arguit Clodiū potiùs quam Milonem struxisse insidias, quia Clodius in prædio, seù extra vrbem armatus commoraretur; & numero 49 pro Milone eundem Clodium insidiatorem fuisse arguit à tempore inquiens. *Age si ita factum, quæ causa? cur Romam properaret? cur in noctem se conijceret? quid afferebat festinationem? deinde si*

quid

quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset ? commiserat actum; si postridie mane Romam venisset, atque vt illis nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potiùs, quam expetendus fuit, sic Miloni cum insidiator esset, si illum ad Vrbem noctu accessurum sciebat expectandum fuit.

Eodem modo à cæteris circumstantijs quodlibet potest dilatari negotiũ, vt à cõsequentibus militũ furorẽ sic amplifico: Bellũ Vrbẽ irruebat, etiam Barbarorum furor ense nudato arua occupabat, campos replebat hastatus exercitus, vndè vidisses proculcatas Cereris segetes, abacta pecora, incensos passim vicos, diruta ædificia, sepultos homines, sauciata corpora, fracta membra, defloratas virgines, desertos agros, euersa mȩnia, compilatas domos, dirupta fana, illachrymari, ac liquescere in fletum populos, oppressas leges, audiuisses pauidos vlulatus, Ingentes clamores, fracta præ dolore verba, conculcata diuina, ac humana omnia; vnde vides hæc omnia sequi ex bello, & est amplificatio à consequenti.

Hȩc amplificatio vniuersalis fieri etiam potest nedum à circumstantijs, verum ab hijs, quæ sunt communia, ac vniuersalia alicui nationi, vnde & ipsa dicitur vniuersalis, quia recenset, quæ sunt vniuersalia à partium enumeratione. Vniuersitas non est ità rigorosè sumenda, vt debeat amplecti omnes, ac singulas personas, sed sufficit si maiorem comprehendat partem vniuersitatis, seù nationis, sicuti enim non omnia grana mali punici, licet eodem tegantur cortice, eundem tamen seruant purpureum colorem, ac sanitatem, sic ȩtiam licet omnes homines alicuius nationis sub eodem comprehendantur principe non tamen omnes eiusdem Principis legem seruant.

Subijcio hic amplificandam elapsam Grȩciam, & à Turcico Imperio occupatam amplificando pariter ab vniuersali turcharum mores.

Quæ priùs omni virtutum flore ad pompam coronabatur Græcia, liberalium artium cultrix, doctrinarum magistra, scientiarum redundans fons, ac virtutum omnium amænissimum viridarium, proh dolor! hisce temporibus proprijs iacet sepulta in cineribus penè extincta, & dumtaxat surgunt virgulta, vbi flores germinabant virtutum, raucitant ranarum turbæ, vbi eloquentiores perorabant oratores; currunt feræ, vbi victrix spatiabatur sapientia, serpunt angues, vbi sacramenta ministrabant Sacerdotes, & quæ

ad

ad vitiorum tenebras illustrandas magnæ elocutionis splendores in exteras fundebat gentes, mox nisi barbara, putida, raucida, obsoleta, ab ipsa nō sine animi fastidio audiūtur verba, quę verberant dumtaxat aures barbaro strepitu, etsi aliqui adhùc vigent illius amenæ flores eloquentiæ, quasi suæ elegantiæ funditus oblita dulcisona hæc verba nescit ampliùs pronunciare, sed solùm in neoterico fulgent stylo, qui ad elocutionis ornatum ea, vel ab antiquitatis ruinis, vel ex dirutæ Græciæ ruderibus in lucem edidit; non ampliùs contemplatur in Græcia ipsa Græcia, sed solùm videntur diruta ædificia, in puluerum tritæ domus, solo æquatæ vrbes, vnde quæ de Troia Poëtarum cecinit princeps, de tota potest dici Græcia, nempè hic campus vbi Athenæ, Thebæ, Lacedemonia fuerunt, & si alicuius laceri, ac exesi muri superstites adhùc vigēt reliquiæ tot aperiunt ora, quot lacerantur hiatibus, vel vt mille patulis oribus, ac linguis propria enarrent damna, vel vt recenseāt cruciatus, quos à famelico tēporis dente voraci morsū fuerunt ipsa saxa passa, vtinam suis dumtaxat consepulta ruinis iaceret Græcia, quia, quæ extitere scientiarum genitrices, vel è cineribus phęnicio more sciunt alis Famæ ad immortalitatem euolare, quod verò acerbius est dictu gemitibus dignius Turcicho Imperio barbaro compede illaqueata, euersa, contrita, deseruit: gens est Turcica, rustica, ac demissa indole, neque digna libertate, quam non curat vindicare; eius Imperator nuncupatur Ottomanus, quasi octo manus velit, vt meliùs, quæ sunt propria Christianorum rapiat; testis est tota Græcia, Aegyptus, Cyprus, ac nouissimè Cretæ Regnum, nunc hæc regna barbaro subdita imperio: deficientes gerit in stemmate Lunas, quales deficientes Turcharum indicant animos nullo scientiarum ornamento, ac virtutum splendore illustres, rudes etiam animos ne vlla scientiarum humanitate mitigent Mahumetes lege cauit, quo faciliùs ignari componerentur in legis Vesaniam, quam perscripsit; & benè quia residere haud potest, nec conuersari cum illa gente regina sapientia, quæ alium non cognoscit campum, quam militarem, non alio metitur puluere clepsydras, quam castrensi; non aliud Palladis quam armatæ Bellonæ concipit sacramentum, non alia edisceit dicendi acumina, quam armorum: quid inquam, Regina sapientia cum barbara illa gente, quæ ab ineunte ætate priùs ędiscit pertractare enses, quam calamum, priùs fastigiata cuibrare

tela, quã subtilia construerẽ argumẽta, priùs infigere in aliena mẽbra gladium, quam virgineis chartis amouere calamum, priùs madefacere cruore acinacem, quam atramento tingere calamum, priùs cruorem fundere, quam caracteris, ac atramẹnti vmbram, priùs rubiginem tergere è ferro, quam inscitiam ab animo, priùs amant gladio certare, quam ingenio, alienum infundere cruorem, non proprio stillare sudore; irasci Martiali in campo, quam Mineruæ in palestra impallescere chartis! Quid Regina sapientia cum indomita illa gente, quæ nescit alia ediscere rudimenta virtutum, quam martiales furores, alia sequi vestigia, quam Bellonæ, quibus procellosis vexillis nomen dedit; non aliam adamare libertatem, quam dissolutæ vitæ, non alio tegere pectus indumento, quam ferreo, quæ non alia exercetur in palestra, nisi in martiali, vbi insanæ Veneris stupra vidẽtur licita, vt Lucanus cecinit;

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Quid cum Sapientia Regina ea rustica, ac demissa gentium indoles, quarum tellus quasi cholchida de ferali dumtaxat sagittarum fęcunditate certat, ac pugnat; quarum nobiliores viri, veluti Gigantes Phlegrea tamquam in area Cælum videntur Lacessere, non modo terras interturbare; quarũ artifices alia non excidunt simulacra, quam Martis; non acuunt ingenia, nisi in iaculorum acuminibus; non accendunt ignes, nisi ad martialia instrumenta perficienda? Quid sapientia cum barbara illa gente, cuius infantiam si quærimus galeas iactabit; cuius iuuentutem, si conspicimus, sanguinem Christiadum sitiet, ad cædes anhelabit; si adultam exquirimus ætatem ferinis vndique moribus luctum vndique disseminabit, ac terrorem; si exactæ iam vitæ senium pensamus flagrabunt capitis niues Bellonæ in vndis, & effuso cruore rubebit virtutis candor, & armorum pondera adhùc inclinabunt homines, ad strages, ad minas Christiadum, dierum numerus totidem numerabit crimina; quia sine fruge aratæ ab antiquo tempore frontes cupressus producent; oculorum acies adhùc ad cædes, ac strages aspicient; manus effuso sanguine adhùc fumabunt; & personabunt in pectore Bellonæ tormenta; ipsique in sarcophago cineres, hoc est altæ pacis in synu, bellorum non extinctos, sed consopitos seruabunt ignes: prouidè igitur rudes animos ne vlla sciẽtiarum humanitate mitigent Turcæ Mahumetes lege cauit; imò nedum turcicæ genti scientiarum culturæ vlla est cura, sed

nec

nec etiam domorum; ædificia enim vix ad vſus nedum ad cultum extruūt; ſiuè adhùc Schyticæ originis memores, & vitæ in plauſtris errantis, ſiuè quod vnuſquiſque ſuum agrum precario iure poſſidet,& ad Principis nutum non fundos tantum,ſed & prouinciam mutaturus: igitur quemadmodum peregrinantes domibus vtuntur, vt diuerſorijs, in quibus ſi ſint à latronibus, à frigore, à ſole, ab imbre tuti reliquas opportunitates non requirunt: vndè num tectum perpluat, num vitium faciat paries magnoperè non laborant, modo ſit,vbi in ſicco equum collocent, ac ſibi lectum ſternant, hùc accedit, quod inſtituti ſit turcici, vt ab ædificationis munificentia abhorreant, & in tota Turcia elegantia ædificia non reperiantur, ſed tuguria vulgò caſæ habitantur, & caſtris aſſueta gens ſemper ædificandi curam neglexit, magnę tamen curę eſt Turcis, vt bene valentes, tutoſque ab iniuria temporum milites habeant, ac ab hoſtili vi ipſi ſe defendant, hinc meliùs videas veſtitum turcham, quam armatum; ab ipſis maximopere timetur frigus, quod etiam ęſtiuo tempore tribus arcent veſtimentis,quorum intimum craſſo filo contextū plurimum adfert caloris,eiuſdē frigoris depellendi cauſa tentoria in campum circumferunt in quibus tantum, cuiq; tribuitur loci, quantum corpore occupant capita, etiam ſub turbinatis globis,ſeu cidaribus teguntur capita, quæ multis candidiſſimæ telæ bumbycinæ ſpiris circumuoluunt, & aſſiduè ęſtuant; militia veſtitu vtitur prolixo, & ferè ad talos demiſſo, qui vt eſt honeſtior, ità eis proceritatem videtur reconciliare, nec eſt vt noſter, qui adeò eſt curtus breuis, ac ſtrictus, vt eas partes aperiat, quas natura licèt, & ipſa aperuerit, tamen latere voluit. Turcæ bacchi commercium repudiant, quamobrem vini potus Turcis magno crimini datur, præſertim ætate prouectioribus:cum verò non minores pœnas poſt hanc vitam ſibi paratas arbitrentur, ſi vini minimum biberent, quam ſi plurimum; Iuniores ſi ſemel vinum guſtauerint potare pergunt, quod veluti pœna iam commiſſa peccent impunè,ebrietatem in lucro ponunt; quod verò videtur ridiculum; narrat Busbechius ſe vidiſſe Conſtantinopolitanenſem quemdam, qui cum calicem ſumpſiſſet, vt biberet, magnos priùs clamores edebat, cum interrogaſſet amicos, vt illi ſignificarent cauſam illius clamoris, reſponderunt ſenem hiſce clamoribus commonitam velle animam, vt ſe reciperet in aliquem corporis angulū, aut corpus emigraret prorſus

ne rea fieret eius delicti, quod ipse erat commissurus, ne scilicet vino, quod erat infusurus ipsa anima pollueretur.

EXPENSIO DVODECIMA.

De Amplificatione à particulari.

IN Panegyricis orationibus præcipuè adhibetur hic modus amplificandi, quo attendimus peculiares alicuius subiecti commendādas virtutes, quapropter dicitur amplificatio particularis, quia petitur à particularibus circumstantijs proprijs, dumtaxat alicuius personæ, vt à nobilitate, dignitate, scientia, fortitudine, & cæteris huiusmodi, quæ amplificandi forma tantum obtinet ornamenti, ac splendoris, vt cum Pantharba pretiosissima, ac nitidissima gemma comparari queat; Pantharba enim, vt narrat Hiarchas apud Philostratum gemmæ species est pretiosa, & rara, ac pulchritudine insignis, virtuteque admirabilis; veluti enim succenso in rogo ardet semper suaui quodam fulgore, & tam suauiter, vt non alias, quam Amoris flammas suos censeat splendores, fulgore nempè suo, oculos perstringens diem, vel media nocte accendit, & quod mireris idipsum lumen spiritus est adeò efficax; vt sicut magnus est pretiositate, sic magnes gemmarum credatur, longè enim à se disiunctos lapides attrahit, ac super illos tantum obtinet imperij, vt aceruos lapidum non secus, ac apum examina pertrahat; verùm natura parens ne pretiosum munus vilesceret non modò occultis terræ visceribus abdidit, sed & facultatem indidit, qua ex captantium manibus efflueret. Sic prorsus præsens amplificandi forma tantum obtinet splendoris, vt vel Soles ipsos homines, quos commendat faciat, ac tantam habet virtutem, vt commendatæ personæ animum alliciat, ac sibi conciliet.

In laude verò personæ cōmendandæ hæc sunt connotanda natura, fortuna, conditio, actiones, ac virtutes omnes, natura comprehendit corpus, & animum; in animo virtutes, & sciētiæ commendantur, in corpore pulchritudo, robur, agilitas, sanitas, fortuna, laudibus excipiuntur; deinde fortuna amplectitur gazas, natalium splendores. honores, ac dignitates, quæ circumstantiæ sunt dumtaxat peculiares, ac peculiarem denotant amplificationem,

nem, Principem verò locum in commendanda persona occupat ipsa nobilitas, sanguinisque claritas, in quo laudandi genere hic ordo est seruandus. Primò, si volumus Panegyricam texere orationem in laudem alicuius, laudandi sunt parentes, deindè gratulandum est illi, qui in se transfusam habeat tantam sanguinis claritatem; inter cætera præclarum est illud exemplum in Panegyrico Constantini Magni ab oratore quodam Belga apud Treuiros recitato.

AMPLIFICATIO A NOBILITATE.

A primo igitur incipiam originis tuæ nomine, quod plerique adhuc fortaße nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt; ab illo enim D. Claudio manet in te auita cognatio, qui Romæ Imperij solutam, ac perditam disciplinam priùs reformauit, immanesque Gothorum copias Ponti faucibus, & Istri ore proruptas terra, marique deleuit, vtinam diuturnior recreator omnium hominum, quam maturior Deorum comes extitisset: ab illo generis authore in te omnis Imperij fortuna descendit: deinde omnes inter participes maiestatis tuæ, hoc adest Constantiæ præcipuum, quod tanta est nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris Imperium, ne possit fortuna numini suo imputare, quod tuum est amisso ambitu, & suffragatione. non fortuita hominum conuentio, non repentinus aliquis fauoris euentus te principem fecit, Imperium nascendo meministi; quod quidem mihi Deorum immortalium munus, & maximum videtur.

Igitur nobilitas non tantum laudanda est, atqui omnium laudum est radix, ac Oriens hinc Claudianus;

- - - - - - - Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ.

Sic Arcades Maiores suos ante Lunam ortos iactabant, vndè Statius 4. Thebaidas:

Arcades hinc veteres astris, Lunaque priores.

Sic Iulius Cæsar suam originem à Venere repetebat; & Triumuir Antonius ab Hercule.

AMPLIFICATIO A NATIVITATE.

Quia omnis laus ad honestatem, ac decus spectare debet; ideò quidquid laudandum suscipitur honestæ laudis segetem præbere debet, nonnunquam natiuitas grandem præbet laudum messem, laus igitur natiuitatis petitur à tempore quod præcessit, à prodigijs, à gestis, quæ tunc temporis euenerunt, à rebus comitantibus

natiuitatem, à modo natiuitatis, denique ab ordine natiuitatis. Tritum est ex antiquorum disciplina, dies atros, & infaustos hominibus nigro lapillo fuisse signatos, & è conuerso felices albo lapillo; sic Eumenius in Panegyrico Constantij, Imperatorem laudabat à natiuitate inquiens: de te igitur mihi est Cæsar inuicte hodiernæ gratulationis exordium; diuinus ille vestræ maiestatis ortus, ipso quo illuxit auspicio, vere illustrior, cui dies serenus atq; vltra rationem temporis Sol æstiuus incaluit augustiore fulgens luminis claritate, quam cum originem mundi nascentis animauit; siquidem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur, ne maiestate vestra, videretur obscurior, oh felix beatumque ver nouo partu, iam non amænitate florum, nec viriditate segetum, nec gemmis vittium, nec ipsis tantum fauonijs, & luce serena lætum, atque venerabile, quantum ortu Cęsarum? oh tempus! quo merito omnia nata esse credantur, cum eadem nunc confirmata esse videamus? oh Kalendæ Martiæ sicut olim annorum voluentium; ità nunc æternorum auspices Imperatorum.

A modo Natiuitatis Plinius secundus in Panegyrico Traiani vtitur hac laude; quòd natali suo die consulatum inijsset; *Nam quod eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis, quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum, qui Principem abstulit pessimum Domitianum: dedit optimum Neruam: meliorem optimo genuit Traianum.*

AMPLIFICATIO A CORPORIS PVLCHRITVDINE.

Inter bona, quæ extrinsecus adueniunt homini præclarum occupat locum corporis pulchritudo; quæ nonnunquam simulacrum est egregiæ mentis, & maximus Tyrius pulchrum animum in pulchro corpore rectè comparat cum amęnissimo fluuio, qui per floridas pratorum ambages grato murmure diffluat.

Pulchritudo est apta membrorum proportio, seù simetria, cum quadam coloris suauitate; ad corporis pulchritudinem, conueniunt etiam expressę notæ per corporis membra, vt fuit in Seleucidis crure ancora, in Augusti pectore stella capricorni: petitur laus à pulchritudine à formæ dignitate, quæ dignitas in Heroibus est quędam proceritas corporis, maiestas capitis, oris dignitas, ætatis maturitas, fulgor oculorum, veneranda pariter, & grata maiestas, petitur etiam ab amabili vultus honestate, à liberali

quadam

quadam humanitate, & ab emicante gratia per totum vultum, vt etiam à colore, à membrorum debita proportione, ab eo quod pulchritudo sit animi imago, sit virtutis initium: quod pulchritudo corporis indicet animi venustatem fatetur Tertullianus de cultu fœmineo cap. 2. vocat enim pulchritudinem corporis decorem animæ vestem, in cuius commendationem, hæc habet Sophysta Tyrius dissenta. 9. vt nihil aliud sit pulchritudo, quam futuræ flos virtutis, & maioris quasi pulchritudinis præludium, vt enim Solis ortum, fulgor quidam in summitate montium præcedit, qui quod longè melioris, vt vberioris luminis spem afferat plurimum exhilarat aspectum, sic pari pacto animæ gratus decor in superficie corporis affulget.

Formæ dignitatem esse regium ornamentum, asserit Plinius in Panegyrico Traiani Impe. sic enim à pulchritudine Imperatorem commendat. *Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris in te leniter assulgent, & ad hoc ætatis sequitur indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Numinum festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem, Cæsarem te longe, latèque Principem ostentant? Talem esse oportuit, quem non bella ciuilia, sed pax, & adoptio dederunt:* & Pacatus de Theodosio sic ait; *Ob digna Imperatoris nobilitas, qui hunc Romani fastigij apicem, non solum fortitudine, atque sapientia; sed decore etiam corporis & dignitate potuerit æquare, velut tua hæc forma venerabilis, quam fortunæ tua par est, quam longè lateque conspicua commendat Imperium.*

AMPLIFICATIO A VIRTVTE ANIMI, & primum à Prudentia.

Bona animi digniora sunt encomijs, quam illa corporis; vtpote virtutes animi, eo maiores sunt cæteris, quo corpore nobilior est spiritus; omnis decor hominis à virtute spiritus suam trahit originem, & qui hanc habet virtutem, omnia bona creditur habere; virtus enim est vnicum animi ornamentū, de qua sic Claudianus;

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur: plausuue petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animata suis immotaque cunctis
Casibus; ex alta mortalia despicit arce,

Attamen

Attamen in vitam blandè vestigat, & vltro
Ambit honor.

Prudentiæ laus primò petitur ab eo, quod sit animi dux, ac lumen, cuius beneficio cuncta videat, ac perficiat, definitur ab Aristotele, *Habitus cum recta ratione in bonis, malisque actiuus*: sed clarius definiri potest, quod sit dispositio rerum, ad finem consequendum idonea, hæc virtus maximè in principibus, ac Prælatis debet enitere; nam vt ait Tacitus Ann. 13. *Plura in summa fortuna auspicijs, & consilijs, quam telis, & nauibus geruntur*. Vndè prima laus huius virtutis sumetur ab eo, quod vir prudens omnia benè gerat, cuncta videat, & prospiciat; sic Plinius ab hac virtute Traianum laudat inquiens, *O summa principis prudentia, quæ æmulas reconciliare ciuitates, tumentesque populos non Imperio magis, quam ratione compescere; intercedere iniquitatibus magistratum infactumque reddere quidquid fieri non oportuerit, postremò velocissimi syderis more, omnia inuisere, omnia audire, & vbiq; statim adesse, assistere.*

Secundò commendatur etiam hæc virtus ab eo, quod aliena consilia non repudiet in suis negotijs, ab eo quod studiosè eligat, à quibus consilium petat, nec vtatur adulatoribus: sic Homerus vir prudentia, ac iudicio pollens excellentissimi Principis specimen proponens assignat illi consiliarios maturitate graues; prudentia claros, in negotijs benè peritos, nec existimauit perfectam principis dignitatem possidere Regem suum Agamēnonem; nisi haberet apud se Nestorem, cuius vti consilio posset: & sine quo parum prodesse videbatur, vel Achilles animosus, vel clypeatus Aiax, vel egregius sagittator Teucer, vel strenuus Diomedes, vel insignis sceptro Menelaus, vel Callidus Vlysses. Vndè Liuius dec. 5. lib. 4. eum, qui de sua vnius sententia omnia gerat, superbum magis, quam sapientem iudicat, & modestè Antoninus Impe. apud Iulium Capitolinum ait, *Aequius est, vt ego tot amicorum consilia sequar, quam vt tot meam vnius voluntatem sequantur.*

Tertiò laudatur etiam Princeps prudens ab eo, quod consiliarios eligat, in rebus administrandis, non auaros non lucri cupidos, vnde D. Ambro. tales vult esse principum consiliarios, vt in ipsis sit prudentia, quæ cæteras amplectatur virtutes; nam quomodo potest rectum consilium dare, nisi iustitiam habeat, induat constantiam, mortem non formidet, nullo reuocetur terrore,

nullo

nullo moueatur metu, nulla adulatione à vero deflectendum putet; exilium non fugiat; qui nouerit sapienti patriam mundum esse: ægestatem non timeat, qui nihil deesse sapienti sciat, quid enim præcelsius illo viro, qui auro moueri nesciat? contemptum habeat pecuniarum? & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? hinc Iuuenalis Sat. 14.

Nullus fidelior tibi ad consilium esse potest.
Quam, qui non tua, sed te diligit.

Quartò, encomijs etiam excipitur vir prudens ab eo, quod loco tempore,& ratione audita sententiam mutare non dubitet, quod læuitatem non indicat, sed egregiam prudentiam, vndè Seneca quartò de beneficijs cap. 38. *Non est*, inquit, *leuitas à cognito, & damnato errore discedere, sed ingenue fatendum est: aliud putaui: deceptus sum. Hæc verò superbæ stultitiæ perseuerantia est: prudenter igitur aget, qui deposita mentis pertinacia, libenter & audit & amplectitur aliorum sententias.*

AMPLIFICATIO A IVSTITIA.

In Heroico Principis animo laudanda est iustitia, cuius faciem auream, & aureos oculos fecit Pindarus, apud Atheneum lib. 12. & à D. Cypriano lib. 12. de Abu. per metaphoras conglobatas sic definitur, *Iustitia, & Pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum*, & à Cic. lib. 2. offic. definitur, quod sit virtus vnicuiq; suum tribuens.

Commendatur hæc iustitia; primùm per hoc, quod respiciat ea, quæ religionis sunt, & dicitur iustitia erga Deum, quæ est vis quædam menti insita, qua Deum cognoscimus, ac timemus, de qua sic Nauzianzenus in Constantino, *Spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus insinuat tamen sese totam, seruata diuinitas, nec fieri potest, vt cum spiritum, quem ducimus; cum tot commoda, quibus alimur diuinum nobis lumen impertiat terrarum securis abdicauerit, nec inter eorum vitas diudicet, quorum vtilitates gubernat.*

Hæc Iustitia diuinum etiam respicit auxilium, quod pijs solet blandiri; sic mentita forma veluti Mauortis fulmina cælestes spiritus in auxilium Constantino Imperatori aduenisse fatetur supra cit.

cit. D. Nanzianzenus, *Flagrabat*, prosequitur ille, *verendum nescio quid Vmbone corrusci, & calestium armorum lux terribilis ardebat, tales enim venerant, vt tui crederentur ab hostibus, & infra. Habent professò, & diuina iactantiam, & cœlestia quoque tangit ambitio, illi è cælo lapsi, illi diuinitùs missi gloriabantur, quod tibi militabant.*

Et procul dubio in opem iustorum, ac piorum Principum dimicasse cælites, retroacta fatentur sæcula: si enim Theodosius Persas iugulauit, ac debellauit Saracenos, terrorem populis Barbaris incusserat Deus; si Heraclius in tribus Cosrois ducibus ter triumphauit, non armis, sed prece bellum absoluit: vincebatur Clodoueus, & vincebat Germanus, prosilijt Rex ad vota, Christianum se futurum, si vinceret, cum palma bellum expleuit, & Christianæ religioni primus inter Francorum Reges nomen dedit.

Petitur etiam laus iustitiæ ab eo, quod vir iustus magnam authoritatem habere soleat, ac pietatem exercere in subditos, ac reuerentiam in Deum, huius rei specimen dedit Theodosius Iunior, cùm prohibuit in ædes sacras arma inferri; *Nam, & nos*, ait ipse, tom. 5. Conciliorum cap. 21. *qui legitimi Imperij armis non conuenit, Dei Templum ingressuri, foris arma relinquimus; & ipsum etiam diadema Regiæ Maiestatis insigne deponimus, & sacra Altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum communeque atrium, mox nos recipimus.*

Iustitia enim commendatur ab eo, quod vir iustus insontes, ac pupillos tueatur, impios puniat, ac reos exquisitissimis extorqueat cruciatibus, iuxtà delictorum pondera, quod leges, decreta publica, contractus sancire soleat, ac sancita defendere, iniusta abrogare, vectigalia remittere, & gratiam benemeritis referre.

AMPLIFICATIO AB ANIMI FORTITVDINE.

Fortitudo virtus est, quà ardua imò mortem ipsam contemnimus, & à Seneca secundò de beneficijs cap. 34. Virtus est laborum contemptrix: fortitudinis prima laus petitur ab eo, quod vir fortis omnia aduersa contemnat, iniurias non sentiat, in aduersa fortuna eius mens seruetur impauida, ac semper tranquilla, omnia patiatur, & constans sit in virtute: vndè res aduersæ heroico animo, & forti exercitium tantum præbent, non damnum, imò vt Asbestinum irradiat candidius, ac purius euadit inter accensi rogi flammas, sic animus fortis inter aduersa magis nobilitatur:

animus

animus; quippè fortis, est veluti palma triumphorum index; quæ dùm stringitur, ac alligatur, crescit sublimior, imò est veluti illa hilaris lachryma thus, quæ tunc nobis gratum illud exhalat odoramentum, vt videatur nobis animam inhalare, dum suam inter flammas exhalat: imò est veluti Iris, quæ pulchrior rutilat inter militantis cæli procellas. Fortitudo est dimicantis Bellonæ clypeus, quo aduersantis fortunæ ictus infringimus; est Semiramidis murus, quo vita aduersus fortunæ procellas munitur; hinc Seneca epis. 104. ait, *Vnus est huius vitæ fluctuantis, & turbidę portus, stare confidenter aduersa tela fortunæ aduerso pectore excipere, non latitantem, non tergiuersantem magna animum fortuna produxit*, & paulò inferius animum fortem sic exprimit: *Nemo mutatum Catonem, eumdem se in omni statu præstitit in pratura, in repulsa, in accusatione, in Prouincia, in concione, in exercitu, in morte: vides posse homines labores pati, per medias Africæ solitudines duxit exercitum, vides posse tollerare sitim in collibus arentibus, sine vllis impedimentis victi exercitus reliquias trahens inopiam humoris Loricatus tulit; & quoties aquæ fuerat occasio nouissimus bibit, vides honorem posse contemni eodem, quo repulsus est die pila lusit. Vides posse non timeri potentiam superiorum, & Pompeium, & Cæsarem, quorum nemò alterum offendere audebat, nisi vt aliorum demereretur: simùl prouocauit: vides tam mortem posse contemni, quam exilium; & exilium sibi indicit, & necem.*

Laudatur etiam fortitudo ab eo, quod homo proprias vincat passiones, propriosque frangat animi motus, ac cohibeat passiones, vnde D. Ambro. 1. offic. cap. 36. ait, *Et re vera iurè ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram compescit, nullis emollitur illecebris, ac inflectitur;* maxima tamen vis huius virtutis in tollerandis rebus aduersis sita est, quo in genere tritum est illud Mytridatis, qui regno spoliatus hanc emisit vocem: *Fortuna Regiã, animum verò regium vnquam eripere potuit:* mirabile est etiam illud Anaxarchi: hic quippe, vt antiqua produnt monumenta, cum tunderetur in mortario *Anaxarchi follem tunde*, dixit, *non Anaxarchum*, ac si carnis imbecillitatem omnem exuisse videretur; carneusq; iam non esset, sed ferreus, quapropter laus huius virtutis præcipuè expetenda est ab eo, quod vir fortis nihil metuat; Labores spontè sufferat: impauidus sit semper, & ipsa etiam pericula lacessat: nunquam à consilio suscepto

minis, & terroribus amoueatur, nunquam difficultatibus frangatur: Fortunâ sua non abutatur, sponte grauia, & acerba patiatur.

Fortitudo certè fuit eximia illa D. Alexij dum paternã domum tanquam retrogradus abrenunciator ingreditur: decipit mundi principem, omnisque fraudis, ac malitiæ fefell t authorem; vnde nouum Martyrij genus, nouum præbet in admiratione spectaculum, Martyribus enim vita erat pœna, catena præssura, isti verò propria domus auratis decorata triclinis erat materia tentationis, illos torquebat manus armata carnificum, istum grauius puniebat conspecta quotidiè pietas genitorum, in Martyrem fremebat horrenda iudicis rabies: hunc blanda, mitis, & venusta facies impugnabat vxoris, martyribus in aula principum ingerebatur pœna tortorum, hic autem in domo proprij iuris inuisibiliter torquebatur; veluti in arca tribunalis illis pœna fuerat suppliciũ, huic è conuerso blandimenta, tormentum.

Glariorem fortitudinis imaginem habes in Sanctis Martyribus, qui in proprio sanguine venale sibi effecere Cęlorum regnum; conspicite D. Bartholomæum, qui tam arctam cæli adinuenit viam, vt non tantum proprijs exutus vestibus, verùm nisi propria spoliatus pelle, per ipsam potuerit transire, videte quam ingenti fortitudine alij lento igne comburantur, alij nudato ferro dilanientur, alij candentibus prunis coquantur: quomodo inuicta pectoris fortitudine festiuè gaudeant torreri, alij in sartagine assari, quam fortitèr hic caput obtruncandum præbeat, ille ferro cędendos poplites donet, ille cruorem è fractis artubus fundat. Sed veriorem fortitudinis imaginem habemus in inuicta matre Machabęorum adducente regulas veræ persuasionis, nempè à bono vtili, honesto, & delectabili.

VIVA FORTITVDINIS IDEA, AC SVASORIAE Orationis Imago, in Matre Sanctorum Machabeorum exprimitur.

Fastigiata stringat ferrea arma impauida ad necem sęuitiei manus, & aureum purpuratorum Martyrum sæculum pariet: non modo à nato Saturno, verum à morientibus Martyribus, ac à ferreo tyrannidis imperio aurea renascuntur sęcula; quæ vtpotè virtutum redimita radijs, nisi è persecutionum nocte erumpunt; aurea namq; ætas nitidissima est Iris, quæ rauco sono, strepitúq; reclangentibus procellis nitidior affulget. Purpura vix indutus

Anthio-

Anthiocus, veluti ignitus cometa cruentato illo colore religioni videbatur excidium minitare, nullus sacris dabat operam Sacerdos; quin victima eius mactanda furori non caderet exanguis: nullum aderat templum, quod aureis non denudaret ornamentis regia barbaries, infęlix metallum! nullibi tutum, ne quidem in ipso templo meritò pallidum, quod vbique insidias paueat, etiam in templo; meritò pauet aurum, quia aura lęuis cito euanescit, meritò citò euanescit, quod necis pallore tinctum veluti in agonia Libithinæ fores pulsat; quamuis aurum sit veluti superbum Nabuchidonozoris simulacrum, protrusum tamen ab aduersantis fortunæ lapillo statim corruit, ac in puluerem abit; igitur Anthiocus in Sanctam Machabeorum Matrem sęuiens, necem minitatur, & ipsi, & septenis gnatis, ni sacras violent leges, at non in imbellem *Matrem*, sed *Martem* inuictum arma acuit; licèt fœmina, virile tamen, imò ferreum pectus gladiatorum turbæ obiecit: circumsępiunt virilem matrem septena filiorū capita, Hydra credebatur sanguinis auida, cuius tamen Hydræ crudeliorē Herculē se exhibuit Anthiocus; non pauet igitur Tyrannum pia mater, sed ad filios conuersa sic inuicta fortitudine ad mortem hortatur. Gloriæ splendor libithinæ in vmbris vos expectat, oh mei gnati acriter pugnate, ferrea obijcite pectora tortorum ferro; Tyrannus poterit quidem corpus occidere ensibus, non animum pungere, nec patientiam sauciare; pugnate igitur ò meum agmen ferream necem vestri non exhorreant animi, eò nobilior erit gloria, ac vita superstes, quò sanguine purpurior mors: hoc in agone debetis palmas demetere has proprio humectate cruore, vt citius ad immortale pinguescant decus: mei non estis liberi, nisi liberi pugnetis, hoc in agone vincetis, si & victi, & vincti è fractis artubus heroicum, ac nobilem sanguinem cum vita fundetis: quidni Antiochi barbaries concremanda igni vestra proijciet membra, ne timeatis decoctis carnibus epulabitur spiritus, gaudete igitur inter incendij splendores; quia splendidiùs vestra nomina lucebunt posteritati. Immortalitatis Phœnices, nisi accenso è rogo immortalem non euolant ad vitam; si sagittarum nimbos vestros eimbrabit in artus sæuities, tripudiate mei filij, gaudete chari gnati, exultate dilecta pignora, vel Achillea erunt tela ad sanitatem vulnerabunt, non ad necem, vel alas vobis component, quibus citiùs ad gloriam euoletis: ne timeatis mortem, sed moram,

hoc mortis genus compendiosa est via ad triumphum; sub securi, secura cadent recisa membra: si pedes obtruncabit barbaries, membrorum, ne timeatis mutilationem chara mea pignora, non eget pede, qui non ambulat, sed volitat ad gloriam; manus si scindet; meliùs mortuæ, ac recisæ palmæ palmas rapient, si linguas erradicabit, cruenti erunt calami, recisa frustula, terram signabunt, fortiora scribent, quam loquantur: si corporis corticem, ac cutem deglubet barbarus nil habebit vestri, nisi vaginam; sicut virtus non in vagina, sed ferro sistit, sic forti in pectore, ac in cordis intimo vestra resideat constantia: si Sartaginem subiecto igni adaptabunt tortorum turbæ, ac in ebulliente oleo frigent corporis membra, horrorem carnificinæ animus non paueat; veri Athletæ nudi liniendi sunt oleo, vt in agone, ac lucta triumphent, imò septeni constantiæ lychni, olei copia constantiùs debetis elucescere: si varijs tormentorum generibus diuturniorem minabuntur mortem; nihili facite insanas minas; soluendum est semel vitæ pensum, feneratur diuturnior mors; sanguinem si fundent; tripudiate, nobiles vos facient purpuratos; sic fassa est virilis mulier; oh veram constantiæ ideam, ac statuam stat superstes mater filiorum supplicijs, hinc inde inuicta difluit martyres filios ad supplicia hortatur inquiens: euge strenui milites, euge in corporibus, fermè incorporei, euge legis patriæ, canæque meæ senectutis, atque Vrbis, quæ vos aluit præsidium, ac propugnaculum: paulum adhuc, & triumphamus: iam defatigantur carnifices, hoc vnum tantum extimesco, quod vos non occidant citò, paulum adhuc & ego inter mulieres beata, & vos inter adolescentes beati: at fortasse vos matris desiderium angit? nequaquam vos deseram, hoc vobis polliceor longa annorum series me illaqueat mortem effugere, nec possum velle, nec velim posse, nil simulat senectus, nec seipsam; fidei colorem, ostendunt cani crines, aureum obijcite pectus tortoris supplicijs, non flectit animi constantiam ferrum. Oh infrangibilem Matris fortitudinem! pugnabat in ipsa cum gratia natura, & victoriam gratia reportabat, vna in septem filijs certabat nihil eorum omittens; quibus eos ad victoriam paratiores, ac alacriores redderet, modò cruoris stillatas guttas rapiebat, modo lacera colligebat membrorum fragmenta, modo venerandas defunctorum Martyrum reliquias prono poplite, pia mater adorabat; alium inter amplexus stringebat, adorabat; oh

viuam fortitudinis ideam! ſeptenis filiorum funeribus ſuperſtes mater nihil doluit: forſan conſtantiæ ſtatuam, ſaxeam Niobem, crederes dum poſt ſeptena filiorum funera: ſic conſtanter ſtetit, ac ſi fuiſſet ſaxea.

AMPLIFICATIO A LIBERALITATE.

Liberalitatis ſplendor maxime pertinet ad heroici animi ornamentum, grandem enim indicat animam, imò Clemens Alexandrinus liberalitatem; expreſſam, ac ſpirantem Dei viuentis imaginem facit, quapropter nulla virtus eſt, quæ elegantius in principibus laudari poſſit: imò D. Ambro. in Pſal. 100. aſſerit liberalitatem eſſe proprium principis characterem, ait ipſe, *Principale eſt virtutis incboare à beneficijs, & proſeminare gratiam, eatenus enim Rex eſt quatenus ſubditis ſuis prodeſt*; hinc Perillus Alexandrum rogarat, vt ſe ad parandam filiæ dotem iuuaret, cui cum Alexander quinquaginta dari talenta iuſſiſſet & Perillus decem ſibi ſatis eſſe dixiſſet, Alexander reſpondit, *Quamquam tibi, qui ea accepturus es decem ſatis ſint, mihi, à quo dantur ea non ſufficiunt*; magnus enim, liberaliſque animus non tàm honeſtam amici neceſſitatem, quam fortunæ ſuæ vires metiri voluit, & alia vice cum diſpenſatori mandaſſet, vt Anaxarcho Philoſopho daret quantum popoſciſſet, petijſſet autem poſtea centum talenta, veritus diſpenſator tantam pecuniarum copiam dare, niſi id prius, Regi ſignificaret, & propterea ei Anaxarchi poſtulatum declaraſſet, reſpondit Alexander, Anaxarchum noſſe eum ſe habere amicum, qui hanc ſummam, & longe etiam maiorem dare, & poſſet, & vellet: hinc aureum illud dictum Titi Imperatoris ſatis tritum eſt, ac notum nempè *Diem perdidi, hodie non imperaui, in nullum beneficus fui*, vtinam omnes principes hanc exercerent munificentiam, & Tullius Hoſtilius ex ſeptem Romanis Regibus vnus, quot agrorum cæteri Reges in vſum ſuum ſeruabant, publicè pauperibus diſtribuit, multorumque Regum moribus diſſimilis, qui quod pauperum eſt ſibi vſurpare non erubeſcunt.

Quid de Nerua dicam, qui decrepita penè ætate (quæ auri ſolet auidior eſſe) his menſibus, quibus imperauit in ægenorum vſum decies, & quinquies centum millium aureorum ſummam diſpenſauit Præfectis Senatoribus, vt agros ad eorum ſubſtentationem coëmerent, atque hijs diuiderent, quos ob inopiam ope dignos eſſe animaduerterent, in quos vſus ipſa quoque aurea vaſa

aliaque

aliaq; Imperatoria ornamenta adhibuit; quid de Vespesiano Viro munificentissimo; qui inopes consulares quingentis sextertijs annuis substentauit, plurimas terræmotu, vel incendio afflictas Vrbes restaurauit, literatissimorum virorum ingenia fouit; ac præstantes Poëtas semper educauit. vndè & Theodoricus Rex optimè nouerat apud Cassiodorum lib. 3. epist. 1. non alium esse principis characterem, quam liberalitatem. *Optamus*, ait Theodoricus Rex, *omnem diem plenum beneficijs nostris excurrere: optamus vbique præstita nostra radiare, quia in æuum micuit, quod munificentia principalis indulsit; nimirum melius donatiuo, quam Sceptro Regia manus radiat, & splendescit.*

Laudatur igitur hæc virtus ex eo, quod sit proprius character principis, ac animi heroici, ex eo quod pauperes subleuet, vectigalia remittat, miseros consoletur, recreet, & reficiat; benemeritis nunquam desit, bonum publicum respiciat, & solo amore honestatis ducatur, deinde commendatur etiam in vrbibus condendis, seu in construendis Templis, ac Monasterijs, Zenodochijs, Gymnasijs extruendis, præcipuè tamen considerantur ea, quæ errogantur, & ij in quos errogantur, à donatiuis à Plinio secundo laudatur Traianus Imperator; *Nisi verò leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datumque congiarium populo, & datum totum cum donatiui partes milites accepissent, enim verò qua benignitate diuisum est; quantæ curæ tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? Tu ne rogari quidem substinuisti.* Idem Traianus Impe. laudatur à reparatis Vrbibus, ac locupletatis populis, sequitur Plinius in Panegyrico Traiani, *Nec verò illo ciuilius, quam parens noster authoritate, consilio, fide, reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari restituit, diuersasque gentes, ità commercio miscuit; vt quod genitum esset vsquam id apud omnes natum esse videretur; deuehunt ipsi, quod terra genuit, quod sydus aluit, quod annus tulit.*

Rhetor Eumenius Constantinum Imperatorem laudat à dandi celeritate. *Nescis Imperator tua commendare beneficia. præstanti celeritate tempus occupas optandi. sed enim indulgentiæ celeritate vicisti clementiam ipsam, diù venturi hominis paratus optatur, diù vagitus inconditi loquuturam differunt vocem diù fruges hyemi cohibet: ver elicit: æstas flore solidat, calorematurat: tu nobis vitam pariter totam dedisti; tu fructus meritorum tuorum nos metere iussisti.*

A gra-

A gratuita liberalitate etiam cōmendatur Princeps, & à latino Pacato in panegyrico Theodosij, sic Imperator laudatur, *Nullam maiorem crediderim esse principum felicitatem, quam fecisse felicem: itaq; Imperatori propriam maiestatem æstimāti non tam illud suum videri debet, quod abstulit quam quod dedit, nam cum intra ipsum voluantur omnia, & vt ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris recipit è terris, itaque quidquid in ciues manat à Principe, redundat in Principem.*

Splendet etiam Principis munificentia, ac liberalitas in erigendis templis, facellis, aris, obeliscis, columnis; quo in genere impensarum retroactis sæculis munifici Reges, ac Dynastæ illustres vixere, qui hisce sumptibus heroicam sibi compararunt immortalitatem; & præcipuè Neruæ meminit Tranquillus cap. 4. inquiens, nouam autem excitauit ædem in capitolio custodi Ioui, & forum, quod nunc Nerue vocatur, item Flauiæ Gentis templum, & Studium, & Methodium, & Naumachiam, è cuius postea lapide maximus circus deustis vtrinque lateribus extructus est; & Martialis argutè, ac amenè hæc habet ad Cæsarem Augustum lib. 9. epig. 5.

Quantum iam superis Cæsar, Cæloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis.
Grandis in Aetherio licet auctio fiat Olympo.
Coganturque dij vendere quidquid habent.
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota
Decidat tecum, quà pater ipse Deum.
Pro capitolinis, quid enim tibi soluere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona tonantis,
Pallada prætereo? res agit illa tuas.
Quid loquar Alcidem Phœbumque piosque Laconas
Addita quid latio flauia templa polo?
Expectes & sustineas Auguste necesse est;
Nam tibi quod soluat non habet arca Iouis.

AMPLIFICATIO A TEMPERANTIA.

Aptius non reperitur frænum inijciendum carni ipsa temperantia, hæc enim est veluti fidissima nutrix integritatis, arx animi munitissima ad vitiorum turbas, carnisque illicia refellenda; imò caro nostra, quia terra est temperantiæ vomere est excolenda, vt fructum proferat, sic docet D. Leo Papa serm. 4. de ieiu. Pentec. inquiens

inquiens, *Terra carnis nostra, nisi assiduis fuerit subacta culturis cito de segni otio spinas, tribulosque producit; & partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed horridis ignibus concremandum.*

Præmatur igitur temperantiâ caro, vt diademate redimatur anima: hinc habetur illud D. August. in Psal. 139. *Pressa est caro, coronata est anima*, ac si carnis pressuræ quædam essent gemmæ, quibus animæ corona texitur, temperantia enim reprimit corporis libidines, tuetur castitatem, auocat mentem à curis vilissimis fluxarum rerum, ad diuinas, & æternas contemplandas conuertit; auget cursus celeritatem in sempiternam illam domum; magnificè de se loquentes compescit, superbiam, & contumaciam contundit; alit è conuerso animi submissionem; obstat, ne crimina imposterum committantur, stultam, ac scurilem loquacitatem repudiat omnium vitiorum fluctus à nostra pernicie reijcit, pectus omnium virtutum moderatione tranquillat, est igitur temperantia aureum frenum inijciendum carnis motibus.

Definitur autem temperantia, quòd sit rationis, ac animi in dissonos impetus firma, & moderata dominatio, hæc temperantia trifariam secatur, nempè in continentiam, quà ratione & consilio continentur cupiditates, in clementiam quę est lænitas in puniendo; & modestiam, quæ est pudor honestus, & in honoribus moderatio.

Temperantia inter cæteros maximè excelluit Diogenes Cynicus, quem Alexander inuicti cognomen assecutus, vincere non potuit muneribus copia; cum enim ad illum in Sole sedentem accessisset, hortareturque, vt si quid sibi præstare vellet indicaret; Diogenes nihil aliud dixit nisi *Velim, vt à Sole mihi non obstes, vmbram enim mihi facis.*

Hac etiam virtute emicuit Philopœmones Megalopolitanus cupientibus enim Lacedemonijs aliquo magno munere pro susceptis beneficijs ei gratiam referre, oratores, qui ad eum cum centum viginti talentis missi erant perspecta eius vitę abstinentia, nunquam de danda ei hac pecunia verbum facere sunt ausi. Cęterum Timoleonti (vtpote, qui ei familiaris erat) huiusmodi cura data; nec ipse quidem prima, aut secũda vice ei de hac re verbum facere est ausus, sed tandem palliatis verbis cum Lacedemoniorũ animum ostendisset, turbatus est grauiter Philopœmones, & in

Senatu

Senatu Lacedemonios grauiter increpuit, quod amicum, quem sine vlla impensa habebant, pecunia coëmere tentarent.

Illustris etiam extitit animi moderatione Socrates, qui neque risit in totius vitæ suæ curriculo, nec fleuit, sed vno sēper eodemque vultu visus est, nec grandem illam animi temperiem nuptialis lætitia, neque tristitia illius diei, quo venenum hausit variare potuerunt.

Insigne moderationis animi exemplum præstitit Tamburlanus, Scytharum, ac Persarum Rex: is iter per Syriam habens in Aratorem offendit, qui arando ingens vas aureæ monetæ plenum repererat; cum autem omnes, qui cum Rege erant pecuniam inuentā fortuitò Regis esse assererent (quoniam inuenti, qui occultantur thesauri iuxta legem putantur Regis) iussit Rex agricolam ad se monetam deferre, qua inspecta Rex ab adstantibus petijt; putarent ne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat: cui cum respondissent Romanorum Principum effigies esse; Rex dixit, si ergo hæc pecunia maiorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus; ad quem Deus eam detulit; oh temperantiam! verè huius temporis principibus optandam.

Nec obliuionis Sarcophago sepelliendum censeo illud insigne temperantiæ exemplum Alexandri Magni, is cum Darium Persarum Regem prælio victum persequeretur, & grauiter siti vexatus, incidit in quosdam è suis iumenta aquis honusta ducentes, è quibus vnus sitienti Alexandro aquam in galea cum porrexisset; Alexander, priùsquam gustasset petijt quò nam eam ferret, & respondente eo ad filios se ferre, qui etiam si morerentur diù superueniente Alexandro copia liberorum ei defutura non esset, Alexander siti exardens cum iam manu teneret galeam auream, vt biberet dixit, nolle se bibendo aliorum augere sitim, & aquam ei à quo receperat restituit.

Laudibus excipitur temperantia; ex eo quod delicatiorem cultum non admittat, nec muliebrem ornatum ferat, nec nihil molle, ac effēminatum patiatur in victu, & vestitu; contra quem immodicum cultum Seneca sic calamum acuit lib. de breuitate vitæ cap. 12. *Quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte ab ordine errauerit, de singulis capillis itur in consilium, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc, atque illinc compellitur, irascuntur; si tonsor paulo negligentior*

M m *fuit,*

sit & tanquam virum tonderet excandescunt, si quid ex iubis suis decisum est, si quid extra ordinem iacuit, quid igitur speras ab ijs, qui corporis venustatem, cinnosq; humeris, & collo illudentes pro Deo venerantur, nisi fœmineum & mollem animum.

Commendatur etiam hæc virtus ex eo, quia munus illius sit frænare cupiditates, maximè Venerem; gaudere integritate corporis, ac pudicitiæ flore, suauitate castimoniæ, compescere prauos animi motus, effugere libros obscenos, cantiones, imagines, spectacula impudica, ac integrum castimoniæ florem tueri.

Sic Bellerophon castitate adeò fuit insignis, vt vel in prouerbium eius temperantia abierit: at Bellerophonti præferendus est Ioseph Patriarcha, pudicitia enim, quæ impudicæ mulieris artes vincit omni laude superior est, omnium linguas vincit, ait Origenes lib. 4. contra Celsum, *Multò Bellerophonte præstantior, hac parte Iosephus, qui in carcere includi maluit, quam castitatem amittere*, & D. Cyprianus de bono pudicitiæ, ait, *Pudicus iuuenis, quia delicto conscientiam non fœdauit in carcerem truditur, sed sola non est in carcere pudicitia; nam est cum Ioseph Deus*. Potuit mulier in adolescentis castimoniam sæuire, sed quod magnum est, ac heroicum insanæ mulieris flamma non comburere, ac decinerare, sed nec etiam decolorare potuit adolescentis pudicitiam; vndè si quis huius nefariæ fœminæ flammam Babylonico igni compareť, à verò nō errabit, ità loquitur de Aegyptię mulieris fucis D. Chrysostomus epis. 3. vbi ait, *Vt Persicæ illæ manus Babylonicam fornacem magno studio accendebant, copioso igni alimoniam præbentes, eodem quoque modo tunc infælix illa, & erumnosa mulier flammam fornace illa grauiorem, ac periculosiorem accendebat vnguenta nimirum olens, genarum frictionibus, oculorum picturis; fracta, & eneruata voce, motibus lasciuiens molli vestitu, auri ambitu, ac sexcentis alijs eiusdem generis illecebris, & imposturis.*

Imò in hac parte adeò temperatus fuit Ioseph adeò castus, vt nec sermonem audire vellet, nisi qui castitatem, ac pudicitiam redoleret: vndè de illo loquitur D. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 17. *Ioseph ita castus fuit, vt ne sermonem quidem audire vellet, nisi pudicum*, est enim in hac re maximè cauendum; alioquin ab impudicis sermonibus, facilè ad res impudicas fit transitus.

Eo succreuit Iosephi tēperantia, vt ne tangi quidem ab Aegyptia muliere pateretur; noluit ab Aegyptia Ioseph tangi sciens, &

in

in tactu periculum esse, & facilè à tactu, pergi ad opus: hinc est, quod dixit Apostolus, bonum est homini mulierem non tangere, non dixit à muliere abstinere, sed *tangere*, innuens nudum contactum ab opere non fore nudum: hinc acutè D. Hieronymus epist. 50. quæ est ad Pammachium, vbi inquit. *Apostolus ait, bonum erit homini non tangere mulierem, quasi in tactu eius periculum sit, quasi qui eam tetigerit non euadat*; vndè & Ioseph, quia illum tangere volebat Aegyptia fugiens de manibus eius pallium abiecit; vndè relicto in mulieris manibus pallio fugę se pudicus Ioseph dedit, mulierem fugit, & vicit; imò vicit, quia fugit: solet fuga militis imbecillitatem prodere; in libidinis verò castris pugnantis fortitudo in fuga est sita, inermis est, qui non fugit, armatus qui fuga se munit, fugam armaturam esse dixit: D. Basilius Seleuciæ Episcopus, qui Homil. 8. Iosephi factum expendens, ait, *Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansas, fuga vsus pro armis, tradit vestem vt temperantiam teneat, denique nudatur veste, ne nudetur temperantia*.

Fugit ab Aegyptia Ioseph, nec tangi ab illa voluit, ne si tangeretur, morderetur, cùm ab impudica tangi magis noxium sit, quã à fera morderi, quapropter eruditè D. Hieronymus lib. 1. contra Ioui. cap. 4. *Noster*, inquit, *Ioseph, quia tangere eum volebat Aegyptia fugit ex manibus eius, & quasi ad morsum rabidissimæ canis; ne paulatim virus serperet; pallium, quod tetigerat abiecit*.

O magnum temperantiæ gestum! indumentum exuit, vt statim disceremus Athletam eum esse, ac Athletæ more depugnare, pallium reliquit, & fugit ne teneretur, quod in catena Græca Iobi cap. 1. sic expendebat B. Nilus: neque enim vestiti luctari homines consueuerunt verum illos nudos lex certa in stadium deducit, ac si quis denudari recusat, idem certamen recusat, nam qui nudus est, vix, aut nullo pacto per insidias comprehendi potest, ideòque Iosephus ille pudicitiæ Athleta voluptati illum tenere conanti, res, quæ habent commercium cum corpore tanquam indumentum relinquens foras egressus profugit.

Ah pro dolor quam abeunt ab hoc more nostri sæculi mulieres, quæ adhuc indumentum non relinquunt in libidinis pugna, imò pulchrioribus se induunt vestibus concupiscentiæ mouendæ, ac excitandæ, qui castitatem colere nititur adeò non insaniat, vt carnem foueat, ac nutriat carnique adblandiatur, ac eius

illecebris alliciatur, quia sæuior omni fera, tunc magis efferatur, cum blanditijs deliuitur, & quò liberior finitur ire; eò periculosius animam sauciat, pugnat in nos caro, & dum fouetur à nobis, acrius in nos bellum parat, blanditijs vires acquirit fortiorque contra spiritum fit. Caueant igitur incauti iuuenes, qui infęlicissimi veluti Pyraustæ insanæ Veneris pereunt in flammis; tunc maximè sæuit in virum fœmina, cùm maximè est blanda, tunc nouercali odio virilia pectora crudelius prosequitur, cum blanditias ferit, illecebras ostentat. Dimicandum est igitur temperantiæ armis, vt palmas demetere possimus in libidinis pugna; castimoniæ corona redimitur Ioseph, seruire impudicæ mulieri non potuit; dominus euaserat, qui venditione seruus fuerat: & serua fit, quæ erat domina exorans iuuenem, vt secum dormiret, audi D. Basilium Seleuciæ Epis. ora. 8. vbi ait, *O quanta continentiæ dignitas! quanta grauitatis corona, vt seruus venditus est, & vt domino domina fit supplex: ob quanta est intemperantiæ labes, si quidem seruo dominam seruam subijcit: nam quæ amoris iugo, quasi per venditionem animam subiecerat, externæ quoque dignitatis iacturam fecit.*

Clarioris etiam notæ principes hanc temperantiæ virtutem excoluerunt, Regiam purpuram in principe temperantiam esse insinuauit Pius Imperator Basilius, dum Constantinum filium suum sic alloquitur cap. 63. *Purpura benè vestieris, si temperantia in omnibus tuis, & dictis, & factis efflorebit*, verè Regius ornatus maior, est temperantia, qua Imperatoris animus magis splendet, quam corporis ipsa purpura, & Agapetus hisce interiectis verbis Iustinianum Cæsarem à temperantia laudat inquiens. Te re vera Imperatorem affirimus, quippequî, & imperare, ac dominari voluptatibus vales, tum corona castitatis reuinctus, tum temperantiæ splendoribus suffultus, tum purpura iustitiæ insignitus incedis.

AMPLIFICATIO A CASTITATE.

Licèt sancta, ac illibata pudicitia membrum sit ipsius temperantiæ, tamen aliqua de ipsa peculiariter hic subijciam, vtpotè castitas nitidissimum est animi ornamentum, conscientiæ malacia, ac mentis liliata serenitas, ad hanc excolendam virtutem, nos satis incitare debet vnicus Ioseph Patriarcha, sic nòs monet S. Gregorius homil. 15. in Ezech. *Conamur carnis illecebras vincere, &*

Ioseph

Ioseph ad memoriam redeat, qui tentante domina studuit carnis continentiam, etiam cum vita periculo custodire, si suis adblanditur illecebris caro, si æstuat, si ad luxuriam illiciis excitat in mentem reuocemus egregium Iosephi factum.

Legitimè tanti Herois castimonia Christianos arguit; ille cum caro luderet, & nondum Christi aquis ablutus esset seruauit pudicitiam, & à libidinis flammis illesus abiuit, impudicam mulierem fugauit, imò tanti hanc virtutem fecere Ethnici, vt non modò sanguine, verùm nece ipsa illam custodirent: sic ne violatæ pudicitiæ pateretur infamiam Lucretia Romana impauida manu se occidit, intrepido corde libentiùs ferens corporis, quam pudicitiæ mortem.

Caius Iulius Cæsar tanti etiam pudicitiā fecit, vt ipsam vxorem maluerit repudio dimittere, quam infamiæ suspicionem ferre: quia domi eius Publius Clodius fœmineo habitu deprehensus erat, cumque peteretur ob quam causam vxorem dimisisset respondit, vxorem Cæsaris non crimine tantum, sed criminis suspicione carere oportere.

Narrant quoque Greca monumenta, Thebanam quandam virginem, quam hostis Macedo violauerat illumque corruperat florem, qui nullo auri, argentique pretio venalis est, dissimulato paulisper dolore violatorem iugulasse, seque demum interfecisse cum gaudio, nec viuere voluisse post mortuam castitatem.

Quanta sit pudicitiæ dignitas ex hoc facilè dignosci posset, quod etiam ethnici tanti illam fecere, vt maluerint propria expoliari vita, quam pudicitiæ decore; sciebant enim, quod vt prophanus loquitur vates;

- - - - - - - - - *casta placent superis.*

Laudatur igitur pudicitia, ex eo quod virtus sit præstantissima, & quæ Deo plurimum placeat, voluptatis illecebras conculcet, nihil in ædibus, in cubiculis ferat, quod oculos offendat, turpia spectacula fugiat, quod sit virtutum custos per modestiam, per oculorum custodiam, quò in genere admirandus fuit Alexander, qui ad Parmenionem hæc scripsit. Ego non solùm non vidisse inueniar Darij vxorem, aut de illius pulchritudine cogitasse, sed nec verba de eius forma facientes audire sustinuisse; expauescebat enim Rex sapiens sibi, quod Cyrus olim timere se dixit; inuitatus ab Araspo ad conspiciendum formosissimæ mulieris diuinam

nam faciem; hoc non faciam respondit Rex, melius est, vt abstineam.

Hinc aduerto verbum videndi in sacro Codice vsurpari pro verbo amandi, vnde cum mulier Aegyptia oculos in Iosephum iniecisset dicitur iuuenẽ amasse, indicat hoc sacra Scriptura, ait .n. Gen. 37. 7. *Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph*; quæ verba sic expendit D. Augu. *Et misit vxor domini eius oculos suos in Ioseph*, & statim ait, *solet, & apud nos, vulgò, esse vsitata locutio pro eo, quod est amauit eum*; quapropter obiter est aduertendum verbum videndi notione sua ampliorem latitudinem habere, quam primo intuitu appareat, & D. Augu. ad alios quinque sensus transfert, ait serm. 33. de Verbis Domini, *Ipsum videre per omnes quinque sensus currit*, hinc illud Hieremiæ 2. *Videte Verbum Domini*, septuaginta Interpretes sic expendunt, *Audite Verbum Domini*, & noster doctissimus Agellius in Cant. Abacuch, ad illa verba, Viderunt te aquæ Deus, sic exponit, *Vidisse autem dicit, quamuis ea facta non viderint, sed audierint, quòd enim tanquam certum auditur, dicitur videri*, itaque de Iacob scriptum est, vidit Iacob, quod essent alimenta in Aegypto, quod D. Hieronymus vertit, *Audiens autem Iacob*,

In adolescentibus præcipuè enitere debet hæc virtus, quæ in ipsis tanto videri debet illustrior, quo magis in illo fluxu ætatis lubrica est iuuentus, & in vitium procliuis facilè flectitur, vt hanc tueantur virtutem pręstantem ipsi adolescentes, omnes allicientis carnis illecebras debent abnegare, ac fugere, adagiali etiam habetur pro formula; *Castitatis Athleta libidinis est fugitiuus*, qui in Veneris pugna gloriosiores, quam in Bellonæ campo vult palmas demetere Parthorum more fugiens pugnet, castitatis enim pugnator egregius non pectora, sed tergum dat hostibus, si in duello castitatis cupit vincere.

Castitatis vita ab oculorum custodia est expetenda, quia ab incustoditis oculis mors est: vndè 4. Regum 4. Elisæus Sunamitis filium suscitaturus, super oculos pueri suos posuit, vt scilicet doceremur peccatoris oculos à superflua euagatione esse inhibẽdos, vt reuocetur ad vitam, vndè D. Baccharius de recipiendis lapsis ait, *Appone oculos tuos oculis ipsius, custodi oculos ipsius, ne in perditionem euagentur*; & D. Petrus Chrysologus super oculorum paruitatem differens hæc ait serm. 139. *Dei est, quod oculus in orbem sit*

apertus

apertus, arctatus, angustissimus in pupilla, quatenus moderatè visum videat, non inuideat: prauideat non proripiat: prospiciat, non despiciat. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, sit dux membrorum, non introitus vitiorum.

Claudendi sunt oculi ne incaute videns homo miser in baratrum claudatur peccati, cecidit Adam interdicto fructus esu, non facilè casurus si oculos cohibuisset, hinc singularis in hoc affulget Dei prouidentia dum oculum, & videndi instrumentum fecit, & lachrymandi, vt qui facilè per oculum peccet in eodem oculo essent lachrymæ, quibus contracta macula abstergeretur.

Custoditur etiam pudicitiæ thesaurus, si consideretur, quod terrenæ voluptates hic quoque catastrophem suam habent, quia quidquid læti habent, cito in tristem finem abit; quia mundus, cui sic auidè incumbimus velut scæna quædam est, quæ scænica, idest vmbratili voluptate nos stupore alligat, & suspensos tenet, dum cuiusque vita veluti fabula agitur cothurnato sępè oblectamento: sed scænicæ fabulæ voluptates num hic catastrophem suam etiam habent. Catastrophe latinè subuersio, extrema pars fabulæ est, & in ea res turbidæ in lętum conuertuntur exitum, vt in tragedijs, ò ludricam mundi gloriam gehennalibus, & æternis tormentis serio luendam.

Hinc quod facit ad oculorum custodiam mirum est, quod de Sancto Ludouico Catalaunensium Episcopo scribitur, hic vir fuit corpore venustissimus, & pudicus, quem cum vidit quædam Ducissa opportuno loco vocatum ad concubitum incitauit, quam ille toruo oculo, ac indignati vultu despiciens mirificis verbis confutauit, cuius oculus post mortem etiam in sicco cadauere extingui, vel calligari non potuit, & merito extrinsecè calligari non debuit, qui venenum corruptionis intrinsecè recipere non curauit,

Fucata mulieris pulchritudo, à qua adolescens oculos suos auertere debet, ne iuxtà Propheticum dictum videant vanitatem, Adonidis hortis comparatur, hinc de re, quæ facilè marcescat, ac abeat adagiali hac formula vtitur Sanctus Gregorius Nanz., ac præsertim aduersus mulieres ornatas, ait ille, *Pigmentis nihil aliud mihi crede consequeris, quam vt forma illa, quam tu ingenij viribus viuam depingis apertissimam tibi apud homines contumeliæ notã contorqueat. Venustas hæc Adonis hortus est, citò emarcescens;*

&

& Sanctus Hieronymus hoc adagio mundi voluptates, pompam, ac luxuriam significatam refert, sic ille lib. 18. in cap. 65. Isaiæ, *Meritò sanctissimos apud Græcos celebrata, & laudata sententia viget, quà omnes sæculi voluptates, & pompam mundi, atque luxuriam celeriter transeuntem, hortum Adonidis vocant.*

AMPLIFICATIO A CLEMENTIA.

Clementia vera est animi tranquillitas, quæ irascentis animi motus compescit, nosque Deo similes reddit, de qua ait Stoicus 1. de clementia cap. 3. *Nullum Clementia ex omnibus magis, quam Regem decet, ita enim virtutes magnis viris decori, gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est valere ad nocendum*, & cap. 26. in clementia totum Principis ornamentum collocat, ait enim, *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusq; ipsa clementia, eius est virtutis, interdum transilire terminos æquitatis, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere non dedignantur.*

Hanc virtutem maximè excoluit Philippus Macedoniæ Rex, atque vsus est erga Nicanorem Macedonem, qui omnibus in locis Philippi famam denigrabat, nam cum Sinycitus, alijque Philippi amici suaderent, vt tam perniciosum virum puniret, hoc recusauit Rex imò cum inopia laboraret Nicanor, multa auri argentique pondera ei largitus est clementissimus Rex. Nec minorem adhibuit clemẽtiam Vespasianus Augustus, nam, quamquam Vitellius Sabinum eius fratrem occiderat, & filium vt occideret acerbè persequutus fuerat; tamen postea quam vrbem attigit; Vitellij filiam ingenti dote, ac muneribus nuptijs dedit.

Summæ clementiæ vir etiam fuit Iustinianus Imperator, atque vsus fuit in Vitigem Gotthorum Regem, ac Populi Romani implacabilem hostem is cum à Bellisario captiuus Constantinopolim misus fuerit; Iustinianus non, vt hostem eum recepit, sed vt amicum habuit, patritia dignitate eum decorauit, ac varijs perfecit honoribus.

Quid de Alphonso Castulonense Rege XI. dicam, qui summa clemẽtia summã sibi comparauit immortalitatem, is cum Algazaram Vrbem à Mauris possessam obsideret: Maurus quidam veluti nouus Sceuola Alphonsi exercitum ingressus Regem interimere tentabat, sed detectus, ac captus ad Regiam ducitur maiestatem ante quam habita disquisitione crimen suum fatetur. Oh grandem

tanti

tanti Regis clementiam! militem nõ modo occidi non iussit Rex; verùm nouis amictum vestibus ellargita insuper pecunia incolumen ad Belmarim Regem misit, cui Maurus parebat.

Diocletianus Imperator, etiam interrogatus, quæ nam esset potissima dos Principis respondit liberalitatem, & clementiam, imò & ipse Numinum Princeps Iuppiter appellatur à iuuando, eo quia beneficia largiatur.

Commendatur hæc virtus ab eo, quod sit Regium ornamentum, nosque magis Deo similes reddat, ab eo quod irascentis animi motus compescat; abhorreat à sanguine, & crudelitate, concilìet hominum beneuolentiam, heroico animo spontè ignoscat victis hostibus; illatas iniurias remittat, raró puniat.

A moderatione irascentis animi Tullius Oratione pro Marco Marcello num. 8. hæc habet in commendationem clementiæ. *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possent habebant; nulla enim est tanta vis tanta copia, quæ ferro, & viribus debellari frangique non possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate ingenio, virtute præstantem non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem; hæc qui facit, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

Ab eo, quod illatas iniurias spontè remittat Seneca 1. de Clementia cap. 10. hoc pacto Augustum commendat. Bonum Principem Augustum, & benè ei conuenire parentis nomen fatetur, ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores principibus esse solent, quam iniuriæ; nulla crudelitate exequebatur:

Ab eo quod à crudelitate abhorreat elegans Panegyrista Gallicanus Constantinum Imp. sic celebrat, *Gratulare Constantine naturæ, ac moribus tuis, quod talem te Constantinus prius genuerit, talem syderum decreta formauerint, vt crudelis esse non possis.*

Ab eo quod non seuiat in debellatos, ac victos hostes Pacatus Theodosium sic laudat, *Vtcunque virtutis tuæ operam curiosæ posteritatis oculis artificum manus reddet, cum te vel Alpium dorsa superantem, vel flumina obiecta tranantem, vel agmen hostile triumphalibus vestigijs assequentem, pictorum, atq; fictorum assequetur,*

quetur imitatio. Clementia Imperator tua, quo Cælo, quo pigmento, quo ære auroue ducetur? qua tu ipsius victoriæ victor, ita omnem cum armis iram deposuisti, vt ceciderit nemo post bellum, sed cuncti domibus suis, cuncti coniugibus, ac liberis, cuncti deniq; innocentiæ, quod est dulcius restituti sunt.

In commendationem clementiæ extat elegans illa, ac præclara Themistij oratio de humanitate Theodosij Imperatoris habita in Senatu. Præclara aliqua etiam habet Claudianus in Panegy. Manlij Theodorici iuxta ver. 210.

AMPLIFICATIO AB HONORIBVS.

Nonnunquam ab honorum splendoribus laudadi sunt Principes, & merito, quia si id est encomijs commendandum, quod nisi ingenti sudorum pretio comparatur, quos non vorare labores tentant homines, quas non superant difficultates honorum gratia; vnde ait Xenophon pulchra quædam res est honos, suo amore mortales incitati, quæ non pericula euaserunt, quas difficultates, non sorbuerunt, quæ bella, quas dimicationes, non suscepere? quæ facinora, quos plausus, quam admirationem, quos triumphos non ab illorum manibus virtutibusq; impetrauit, expressit, extorsit gloriæ cupiditas.

Nullum onus sic Principes præmit, quam honos, quia magis regium animum mordet subiecti populi cura, quam caput ornet diadema, vt rem optimè expendit D. Ioan. Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum inquiens. Non ità corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo. Nec in satellitum cateruam, sed in molestiarum multitudinem spectes; nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quam sint regio in palatio molestiæ, ac solicitudines; imò si rem expendamus Regium Diadema coronam esse tribulationum inueniemus, ac curarum potiùs esse insigne, quam dignitatis: vnde cecinit D. Paulinus epist. ad Romanianum;

Blandum nomen honos, mala seruitus, exitus æger,
Qua nunc velle iuuat; mox voluisse piget.

Et scitè Seneca cap. 2. de breuitate vitæ. Est inter onus, & honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas, & S. Isidorus lib. 1. cap. 26. honor ex onere venit, aut potiùs ex honore onus, videntur enim idem; *Onus honos*, hinc Isaias 9. ait, cuius Imperium super humerum eius, vel vt alij explicant, cuius

Prin-

Principatus super humerum eius, & rectè super humerum principatus esse dicitur, vt vel à situ ipso sciremus principatum esse onus grauissimum deferendum super humeros. Appositè Oleaster, dicit, *Principatus super humerum Christi, quia illi potiùs fuit oneri, quam honori, solent enim serui onera super humeros portare*, & vt dixi in Centuria Sententiarum super Prælatos, *fuit principatus super humerum eius; putant vsque hodie insensati filij Adam Imperia, & Regna, & Principatus huius sæculi honores esse non onera, quos puer noster arguit, qui suum principatum quasi graue onus super humeros portat.*

Hinc onus, quod sub purpura delitescit tectis Hierogliphicis significarunt Aegyptij, qui vt tradit Horus, per anguem in orbem collectum caudam suam mordentem intelligebant, & quia minima queque curare debet, & quia multę regium animum angunt curę, multæ mordent sollicitudines. Rex quoq; Antiochus apud Stobæum serm. 47. de Regio indumento. *Ob pannum miserum*, inquit, *qui curas tot, totque pericula procreas! plures enim cruciatus regia purpura habet, multa curæ sub maiestatis veste latent.*

Horreant dignitatum culmina, ac honorum vmbras, hi quorum mentes, non veluti montes immobilitate sua resistunt ambitionis tumidis Boreis, verùm vt arundineæ læuitates hinc inde exagitantur, ac quassantur in deteriùs. Quos dignitatum culmina euehunt funambulis pares facit D. Grego. Nanzianzenus, vide quam graui discrimine sint obnoxij, qui librato corpore super funes gradiuntur credentes, sic pendentes è fune magis à morte distare, quia hominis vita, quam Parcæ, quæ minimè parcunt nent, pendet tantum à filo; funambuli verò à fortiori fune, quorum tamen salus in æquilibrio posita est, quibus vitæ filum secatur, si super funes ambulantes in partem aliquam, vel minimum propendeant; ad hunc etiam modum princeps, & superior, qui super legum funes incedit æquitatis ponderibus libratus, vt si vel læuiter deflexerit labatur, ex quo intelligere possumus, quam ingenti discrimini subijciatur, qui præsidet, adduco D. Greg. Nanzianzeni verba orat. 1. de fuga sua in Pontum; *Quemadmodum*, inquit, *in sublimi, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minimè tutum est: nec etiam parua inclinatio paruum periculum facit, verùm salus in æquilibrio posita est: ad eundem quoque modum vtramuis in partem; quispiam, siuè ob uita im-*

probitatem; siuè ob imperitiam propenderit, haud leue periculum tum ipsi, tum hijs quibus praeest imminet.

Tritum est etiam illud adagium, *Honores mutant mores, sed rarò in meliores*, quidam enim in obscuro positi tanquam gemmæ resplendent, qui si honorum lucem suscipiunt statim veluti sydera adueniente Sole eclypsim pasliuntur, quidam enim ante dignitatis adeptionem satis commendabiles extitere: sed super candelabrum dignitatis constituti lucem in tenebras verterunt.

Laudantur tamen Principes ab honoribus; primo ex eo, quod ab omnibus commendentur, deindè laudantur à statu, conditione, authoritate, splendore, persona, quæ honorem deffert, à meritis personæ, cui deffertur, à modò obtinendi honores, à modestia, quæ in honore obseruatur, à suauitate morum.

A meritis Eumenius Orator sic Constantinum laudat. Magna, & admiranda est fęlicitas, quæ in ordinem militis, & militiæ ascendit, & solis virtutis nixa radicibus ad tantum potentiæ robur inualuit, quod etiam tu quantum per ætatem licuit consecutus es.

Honor sine meritis à Saluiano 4. de prouidentia; honoris titulo sine homine comparatur, ait ipse, quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine; aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto.

A modestia post susceptos honores sic Traianum commendat Plinius, in quo certè verum non fuit illud adagium, *Honores mutant mores*, Traianum enim ad Imperij culmen euectum admirabilem fecit modestia, sic ait Plinius; non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, non osculum manu reddis, manet Imperatori, quæ priùs humanitas, ac pietas. Incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris: eademq; omnia exerces, quæ priùs: nihil ipsa te fortuna mutauit.

Acuta sunt etiam venusta, ac breuia, quæ Lampridius de Alexandro Seuero scribit: ait ipse, tantæ moderationis fuit, vt nemo vnquam ab eius latere submoueretur, vt omnibus se blandum, affabilemque præberet, vt amicos non solùm primi, ac secundi loci, sed etiam inferiores ægrotantes viseret; in iocis dulcissimus fuit, in fabulis amabilis, in conuiuijs affabilis, itàvt posceret quisq; quod vellet.

AMPLI-

AMPLIFICATIO A FELICITATE, ac arridente fortuna.

Quamuis vera felicitas in sinu huius ferrei sæculi non inueniatur, vbi omnia virtutis præmia malę artes possident, vbi auaritia, & ambitio plurimorum animos extorquent: quarum illa fidem, probitatem, virtutesque reliquas subuertit, vbi omnia venalia habentur, ac viri in deterius prolapsi solùm dolis, ac fallacijs videntur gloriari, ac amicitiæ sanctum, ac venerabile nomen intermissione officiorum vilescit, vbi libidinum incendijs senectus etiã frigida exæstuat, ac nefandis Veneris illicijs conculcatur virginatis flos, violaturque pudicitia; vbi inuidia multorum corda corrodit: imò si quę videtur florere fęlicitas, quia hæc nihil solidi, nihil firmi habet, sed statim euanescit, somnium est, non fęlicitas: vndè Scite dixit ille somnium est imago vitæ, cuius fęlicitas per phantasma transit, & Ioann: Eusebius nec quidquam fęlicitatis erit mortali hac in vita cum veluti somnium fugiat. Sõnijs etiam paria esse huius sæculi regna sic expressit quidam carmine, nam cum sibi in somnijs videretur cum præpotenti regula de regni gubernatione, Regijsque virtutibus disputare, à somnio excitatus omnia postea euanuere, & reperta manu, vt vulgò aiunt muscis plena cecinit tristis Poëta, qui priùs fęlix Rex censebatur;

Præsserat optatus languenti lumina somnus,
Dum Sol sydereos vicerat axe choros:
Regnandi præcepta dabam, formamque Tyranni
Fingebam domina Regius arte faber;
Somnia vanescunt pariter, & sceptra caduntque,
Ne mirere ipsa, vt somnia, regna fluunt.

Ad rem nostram spectat illud Isæi Assirij sophistarum non ignobilis, qui eleganter dixit, voluptates esse fructus è Thantalei viridarij arboribus pendulos, nimirum esse vmbras, & colores fallaces, meliùs tamen diuitiæ, opumq; superfluitates aureis Hesperidum pomis possunt æquiparari, fructus enim sunt, qui nisi draconis vigilantia hoc est ingenti cura custodiuntur, credit somnijs, qui in rebus terrenis, ac caducis cor suum figit eleganter Billius in Anthologia sacra, rem expressit;

Stultus vt est leuibus ventis, qui fidit, & vmbræ,
Et noctis placidæ somnia certa putat.
Scribere quique in aquis molitur? sic quoque figit,

Qui

Qui spes in mundi prosperitate suas:
Atque ideò in terris firmi nil prorsus, vt esset
Constituit supera, qui manet arce pater;
Scilicet, vt firmi nihil hic, stabilisque videntes,
Tendamus celeri semper ad astra pede.

Mundi regna esse somnia, quæ veluti vmbræ prætereunt inter cæteros testatus est Bellisarius, qui tot populorum domitor, tot barbarorum triumphator, tot expugnator vrbium; tandem aduersantis fortunę percussus ictu è solio deijcitur in solum, vbi qui fortunas Regum, atque diuitias superbo quondam pede calcabat, iam indiguus obolum non habet, vndè super fani ianuas hærens omnium ludibrium, omnium aures opplebat miseriarum cumulis; millies repetens date obolum Bellisario, Imperij sceptrum in grandem abijt baculum, vel vt meliùs ingentia miseriarum onera substentaret, quibus præmebatur, vel vt celerius triplici pede ad necem curreret, purpura laceram mutata in lacernam ex illo splendido ignę fumum dumtaxat ereditario iure super oculos reliquit, quo conatur in lachrymas liquescere. Infelix Bellisarius stipem petit, cuius armis vitam principes præcariam debent, en spectat Orbis vniuersus infelicem, cuius sudore stabat Imperij fælicitas. ò fortunæ inconstantiam! ò inconstantiæ temeritatem! ità ne ludis in capita Principum? non miror nihil solidi habes, nihil firmi, sed omnia, vt somnia cito euanescunt, vt discamus spes nostras in Deo dumtaxat figere, qui solus immutabilis est, ac idem per totam æternitatem, nec etiam amicitia firma reperitur inter rerum fluxibilitates, en Bellisarius prosperitatis tempore amicorum copijs coronabatur, modo ab omnibus despicitur, quia nimiam habet veritatem adagium illud, quod vulgò dicitur, *Ad ianuam tabernæ multi fratres, & amici; ad ianuam carceris, neque fratres, neque amici*, quæ adagialis formula vsurpari solet, cùm significamus homines in prospera fortuna hominibus præsto esse; in aduersa verò se ab illis subducere.

At ne dum dignitatibus, verùm, & voluptatibus suos decipit sectantes mundus: isti enim si serio rem pensent, & reiecto ignorantiæ torpore, suique contemptus velamine suam vitam considerent inter opertos lætalibus dolis gladios vitam transigere, ac inter laqueos se deambulare deprehendent, quod insinuat Diuus Paulinus epist. 2. ad Seuerum inquiēs; tota huius mūdi figura, quæ

præ-

præterit, & per oculos corda torquet alliciendo, in qualibet sui specie laqueus menti, & gladius est. Credamus Prophetæ, quia in medio Muscipularum ambulamus, & inter opertos lætalibus dolis gladios vita transigitur: excipit nos mundus iste vanis voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris: excipit nos innumeris anguiū insidijs, quibus nomina mille, mille nocendi artes, ac sępè aperto certamine violentus aggreditur, & cadentibus ferit telis, si latentibus non capit laqueis.

Quomodo igitur à felicitate, ac adblandientis fortunæ serenitate erunt commendandi Principes, si nulla fugaci hac in vitę vmbra, nulla reperitur felicitas? tamen provt hic accipitur fęlicitas, & ex hominum opinione posita est in felici rerum successu, ac fauore adblandientis fortunæ, vel vt ab alijs sumitur felicitas pro animo omnium virtutum genere exornato, Plinius in Panegyrico Traiani, sic ait, *O te fęlicem, qui cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur, est enim vera felicitas felicitate dignum videri.*

Potest commendari humana felicitas à celeritate virtutis, à rei nouitate, fauente Numine, à bonis acceptis, & collatis, à modestis moribus, & virtute, à casibus fortunatis, à tempore, quo hi casus contigerunt, ab animi celsitudine, à modo adipiscendæ felicitatis, à prolixitate fortunæ secundæ, qualem facit Plutarcus Romanam fęlicitatem; ait quod fortuna expansis alis, ac innata sua leuitate per orbis partes vniuersas errasset nunc hos, nunc illos attolens, deprimensque nationes, sed tandem Romam se recipiens, alas, rotam, globumque abiecerit in Tyberim, ac in media vrbe consedit, vt hilari fronte Romanis assiduè arrideret.

Plinius Traianum suum commendat vnica inter alias, sed heroica Periodo, in qua verba vsque ad eloquentiæ prodigium diffluunt, ait; *Quod si quis Barbarus Rex eo insolentia, furorisque processerit, vt iram tuam, indignationemque mereatur, & ille siuè interfuso mari, seù fluminibus immēsis, seù præcipiti monte defenditur: omnia hæc tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, vt subsedisse montes flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non esse classes, sed terras ipsas arbitretur.*

Pacatus elegans Rhetor Theodosij fęlicitatem fęlici calamo; floridoque stylo, sic commendat, *Auguste fortunam tuam Imperator expendit quisquis id de te tantum, quod fieri potest credit. An*

ego

ego cum ab alpibus Iulij otioso, feriatoque ferro, non prælium fuisse videam, sed triumphum, dubitauerim illam specialem quandam fælicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidem Imperator ita te cuncta administrasse, vt non possint se tibi impugnare successus, sed fatearis necesse est quantum se in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum: cui si vocem demus, & Iudicem; nonne prolixe suam enumerabit operam, & vt virtutibus tuis multa concedat, sibi aliqua vendicabit? & cur quæso non demus, vt accipiamus vtriusque partis asserta; cum sit, quæ vicerit tua? & paulò infra sequitur: audio Constantiam dicere bellum atrox, atque periculosum suscepi. Audio memorare Patientiam: immensum iter, semper armata, semper ieiuna tolleraui. Audio repetere Prudentiam, partitata sum militem, & multiplicaui arte terrorem. Audio asserere fortitudinem bis conflixi cum hoste; bis vici. Audio omnes postremo clamare, quid tibi debemus fortuna, quam fecimus? sed si illa dicat ego properationem militum iuui, ego in muros coegi, & quem vos cogebatis mori viuum domino reseruaui.

A modestia animi, & moderatione passionum, & ab eo quod honores, & res secundæ non mutauerint mores Iuliani Imperatoris, Mamertinus Rhetor eiusdem Imperatoris felicitatem commendat inquiens: At mutant secundæ res animos? nostrum Principem si nondum mutauerint, quando mutabunt? cuius inquam diuinior fælicitas fuit? paulò ante in laceratis Galliæ Prouincijs lapsus inimicorum capitalium apertis armis, & occultis insidijs; quæ maiora expectabimus Dei præmia, quæ vberiora dona fortunæ? videte num secundis rebus elatus aliquid prioris vitæ mansuetudine, & moderatione mutauerit, mutauit planè, mutauit: nam ciuilior factus prosperorum infregit inuidiam.

AMPLIFICATIO, AC LAVS A PLVRIBVS Virtutibus Simul.

Sicut ex decerpta florum varietate perelegans componitur sertum, ita ex plurium virtutum commendatione elogium texere possumus ornato principi, commendando omnes illius virtutes, quæ veluti sydera non Principi, sed Soli nitidissimo videntur diadema componere, ideò per varias virtutes subiectum elogium in exile obsequij monimentum dedico maximo Carolo Emanueli Serenissimo Celsissimoque Sabaudiæ, ac Pedemontij potentissimo Duci.

Sedatis

Sedatis Mauortis in area Bellorum procellis, iamq; effusis sanguineis imbribus, Iridi similis hoc est admirationis filiæ affulsit mundo Carolus Emanuel, nempè Principum miraculum, Cæli miraculo simile post tempestates debebat secum trahere incunabula. Vix materna ex aluo caput extulit, cū allobrogica iuga salutari hoc nomine (Emanuel) omine scilicet pacis exultarunt resonantis æris plausu, qui enim Iridi similis post procellas oritur, nisi in signum fœderis nasci debuit; ac transacto Martio mense hoc est bellorum Marte, hunc Solem tandem in Tauro Ortum admiratæ sunt subalpinæ regiones; gaudeant Allobrogica iuga: Sol in Tauro, ac Taurina in Vrbe virtutum flores vndequaque sparget, ac talium florum odore omnium animos alliciet, vt sibi conciliet: puer enim sine pueritia, ac infantiæ læuitate in ipso ætatis flore virtutum maturiores erupit in fructus; eius namq; mens omni gaza ditior, & animum ad stuporem ingens, & olimpica ingenij sublimitas, osque multiscium præcipuè linguarum varietate, heroici animi ornamentum ostendunt; totius corporis adamussim compacta symmetria, frons in qua arrideat candidata maiestas, pectus omnium scientiarū fonte irriguum, facies in qua tota sese componit magnanimitas, genæ in quibus cùm lilijs niuei candoris purpuratæ vernant rosæ, dentes in quibus Erithræū suos videtur peperisse vniones, totius corporis forma longissimis breuior, procerior, eminentiorq; mediocribus, capitis Apex rotundus, in quo paululum à planitie frontis in verticem cesaries refuga crispatur, Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ ad liberalitatem manus, corporis venustatem, vel sine verborum strepitu satis loquuntur: in ipso Carolus Emanuel auus reuixit, cuius prudentiam, bellicam gloriam, ceterasque virtutes in seipso ad viuum delineauit; à Cotijs Alpibus quibus imperat, inconcussam animi firmitatē didicit; ab Allobrogicis iugis, quibus fortissimos obijcit hæresis monstris clypeos, mentis celsitudinem apprehendit: à fecundissima Pedemontis tellure capacitatem ad omnes virtutes capescendas edidicit, ab amæno Niceæ Celo, quo Neptuni regnum occupat talem apprehendit morum amænitatem, ac suauitatem, vt vel asperos sibi conciliet hostes, mihi crede eius Imperium per totam stabit æternitatem, & nullæ mortalium acies illud euertent, ob quod è Cælo Thebeorum legionis duces Mauritius, & Lazarus militant, & equestres turmæ lactea Crucis

tessera centuriantur. Quid dicam de Regia tua in Catholicam Fidem pietate? quam nescio an à candore niueam, an ab ardore, quo illam tueris igneam; an à puritate lacteam, an verò quia regales decet animos purpuream appellauerim; illa illa enim est, quę ità menti tuę compaginauit nostri generis reparatoris Crucem, vt hæc & in Sabaudico stemmate, & tuo, tuorumque in pectore triumphet. Auorum, Atauorumque trophea & victoriæ, & laus in armis, & heroicæ virtutes, & splendores Martiales, ac Apollineæ laureæ, & ęterna illustrium facinorum monumenta ad te vna cum Regio sanguine peruenere consibulata; imò à Victorio Amedeo patre victorias didicisti demetere: nihil enim refert gladio, an toga triumphes, clarus Hymenæus tuis etiam gentilitijs in stemmatibus, cum fulgentissima Sabaudiæ Cruce, quâ Regum capita inscribuntur etiam Gallica lilia, quæ inter flores regnant intexuit, ne quid regale tibi deficeret, bellici etiam equi ibi cursitant, vel vt ad victoriam citius peruoles, vel vt animi tui generositatem per omnes mundi plagas citius referant, in quo nihil assurgit, quod Regium, non splendeat, quod non spiret maiestatem, quod non resonet gloriam, quod non virescat in virtutem, quod non maturescat in prudentiam, quod non abeat in gloriam.

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De Amplificatione Pathetica.

PRæsens amplificandi forma, quam enucleandam propono, tota sita est in mouendis affectibus, de quibus fusiùs infra; hunc amplificandi modum præ cæteris scire debet elegans orator, vt fungi munere suo queat, quod est mouere, vnde D. Augustinus Ciceronem, ac Quintilianum secutus 3. de doc. Christi cap. 13. ait, *Probet Orator, vt instruat; delectet, vt teneat; moueat, vt vincat*, in hac parte Orator fabulosum debet imitari Eolum, qui luctantes ventos, & sonoras (vt aiunt) tempestates moderatur; hic enim nunc ventos coërcet, ac mitigat, nunc ingenti sonitu, ac veluti tubarum clangore, armatas ventorum acies emittit; eodem prorsus pacto elegans orator perpolitis amplificationibus affectuum habenas debet pertractare, modo miserationis, amoris, & desiderij motus excitando, modo irę tumultus coërcendo,

modo

modò desperationis, ac odij sonoras procellas mitigando.

Animi affectus, seù motus est quidam impetus, quo impellimur vehementiùs ad appetendum, vel auersandum aliquid, præcipuique affectus sunt vndecim, sex in parte concupiscibili; .s. amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, tristitia, & quinque in parte irascibili, spes, desperatio, timor, audacia, ira, sunt etiam alij affectus, qui ab hisce recensitis emanant, de quibus dicam suo loco; pro nunc definiam hos vndecim affectus.

Amor est motus animi, qui versatur circa bonum, vt sic dumtaxat spectatum. Desiderium versatur circa bonum, sed vt absens; desideramus enim ea, quæ non habemus, ac nobis desunt. Gaudium versatur circa bonum, vt præsens, odium circa malum, vt sic tantummodo spectatum, vnde opponitur directe amori. Fuga circa malum, vt absens. Denique tristitia, seù dolor versatur circa malum præsens.

In parte animi irascentis, spes versatur circa bonum absens, quod tamen speratur obtineri. Desperatio circa bonum, quod nullo modo possumus attingere. Ira circa malum arduum, & presens. Timor circa malum vehementer apprehensum, ac quod vehementer refugitur. Audacia circa malum arduum, ac perdifficile, quod vinci posse putatur.

Et licet cuiuscunque non sit hominis, affectus illos præcipuè vehementes, & intensos excitare, vel remittere, sed miserentis Dei dumtaxat sit donum, cuius & in sensus, & in mentes summum est Imperium; quippè diuina gratia, quæ motus, affectusque animi excitat, ac voluntatem inflammat, non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, tamen provt imbecillitas nostra diuino suffulta auxilio potest affectus mouere: dico Oratorem debere animi motus excitare.

Quia verò diuersa sunt dicendi genera; ideò pro diuersis, diuersi excitari possunt affectus pro genere demostratiuo in commendatione excitari possunt, motus gaudij, amoris, & gratiæ, pro eodem genere in vituperatione excitantur motus tristitiæ, odij, & indignationis.

In genere deliberatiuo isti motus in suasione excitantur, nempè desiderium, spes, fiducia, è conuerso in dissuasione mouentur fuga, timor, disperatio.

Pro genere iudiciali in accusatione, & damnatione criminis, &

rei excitantur motus Iræ, indignationis; contra crimina, ac scelera in defensione excitantur motus commiserationis, clementiæ, pietatis in reos.

In quocunque verò dicendi genere excitatur affectus amoris, qui versatur circa bonum, vt sic dumtaxat spectatum & est vis bono adhærens, seù propensio in bonum, excitatur inquam per ostentationem illius modestiæ, innocentiæ, æquitatis, constantiæ, liberalitatis, fidelitatis.

Excitatur odium, quod versatur circa malum, & est auersio animi à malo, si ostendamus talem personam contra quam volumus talem affectum excitare, habere animum ferinum, afferre multa incommoda, esse perniciem multorum, corruptum in moribus, malignum animo, detractorem, ac violatorem alienæ famæ, ac sordida lingua varias excitare calumnias.

Desiderium, quod versatur circa bonum vt absens; & est appetitus boni delectabilis, sed absentis, vel veri, vel putati excitatur, dilucidata, ac exposita rei honestate, quam volumus, alij desiderent; declarata illius vtilitate, quam secum trahit, & explicata facilitate illam obtinendi.

E conuerso fugæ affectus, qui versatur circa malum, vt absens, & est auersio, à malo, vel vero, vel putato, sed absente mouetur si ostendimus rem, quam volumus, alij fugiant, esse malam, multum afferre incommodum, esse inhonestam secum nullam trahere voluptatem, imò denigrare alienam famam, obscurare acquisitam gloriam, & esse radicem malorum omnium.

Gaudium, quod versatur circa bonum, sed vt præsens, & est motus animi, quo tendimus in bonum præsens, quatenus præsens excitatur, à spe fortunæ melioris, à bono insperato, à descriptione triumphorum, celebritatis, pompæ, amæni loci, pacis, concordiæ, à iustitia exercita, virtutum præmijs, vitiorum supplicijs.

Tristitia, quæ versatur circa malum præsens, & est motus animi concupiscentis, quo dolemus de malo præsenti mouetur, si ostendimus aliquem nobis charum, esse abrasum è viuis, si exponimus vexationes, & calamitates, quæ cruciant nobis charos.

In parte irascibili excitatur spes, quæ est animi motus tendens in bonum absens, arduum, & difficilè, quod tamen labore obtineri potest, si honestatem, & vtilitatem, ac magnitudinem rei, quam speramus ostendimus, ad quam obtinendam sufficere vires

cor-

corporis, & animi industriam, ac solertiam illius, cuius in animo spei motus excitamus, & è conuerso si ostendimus aduersariorum imbecillitatem.

Desperatio, quæ est animi motus, quo diffidimus, vel in bono aliquo consequendo, vel in malo depellendo, qui affectus vehemens est maximè cum intendimus aliquem euocare ab aliquo negotio arduo, quod imminens aliquod secum trahat periculum, excitatur inquam desperatio per ostentationem difficultatis rei, imbecillitatis, ac virium non sufficientium ad obiectum obtinendum, ex nullis subsidijs, ac supterfugijs, ac iam ex acceptis calamitatibus.

Metus, seù timor, qui est animi irascentis motus, quo malum absens refugimus, excitatur proponendo periculi vicinitatem, rerum familiarium iacturam, imminentium signa, vt sunt cometes, antecedens calamitas, portentum, minæ: insuper proponendo nocendi potestatem in hoste, experientiam acceptæ iniuriæ, dissimulatæ iræ suspicionem, scelerum notitiam, ac Dei vltionem, ac vindictam.

Audacia, quæ respicit malum imminens, & est confidentia quędam salutis, inter imminentia pericula, seù vt ab alijs definitur, est contemptus rerum horribilium, longè remotarum; quia malum est audaciæ obiectum; dico tamen malum dupliciter diuidi in publicum, & priuatum, publicum est, quod respicit vniuersitatem, vt sunt bellum, fames, pestis, cædes inimicorũ, incursio; malum priuatum, è conuerso respicit personam priuatam, ac peculiarem vt est inopia, egestas, infamiæ nota, mortis periculum, excitatur igitur audacia si proponantur difficultates esse superabiles, subsidia, quæ possunt sperari ab exteris nationibus, diuinus fauor, periculi necessitas, honestas rei, æquitas causæ, spes victoriæ, ac famæ cupiditas.

Ira denique, quæ ab Aristotele definitur vlciscendi sui cum dolore coniuncta cupiditas, quæ oritur ex opinione contemptus, vel veri, vel putati, excitatur opinione illatæ iniuriæ, contemptu dignitatis propriæ, frustrata spe auxilij, vel honoris, vituperatione eorum, quæ laudamus, vel laudatione eorum, quæ vituperamus, ingrati animi vitio, maledictis in nos collatis, conatuum nostrorum retardatione, officij, vel beneficij negatione.

Sunt etiam alij affectus, sed ad istos vndecim reducuntur sic

Zelo-

Zelotypia; & gratia referuntur ad amorem, æmulatio refertur ad Desiderium; Misericordia, & Inuidia ad Tristitiam; Admiratio ad Lætitiam; Verecundia, & Reuerentia ad Timorem; Indignatio ad Iram; igitur ex vndecim præcipuè affectibus animi, amor, desiderium, & gaudium, sunt motus lenes, illisque vtitur orator cùm delectare intendit, reliqui octo sunt graues, & ad flectendum accommodati.

Patheticæ amplificationi maximè prodest narratio historiarum, quæ vel crudelitatem, vel amænitatem sapiunt iuxtà affectus mouendos, sic ad mouendum affectum Miserationis, non incongrua foret historia Matris Hierosolymitanæ ad proprij filioli necem, ac esum se accingentis, quam sic describit Ioseph Hebræus de Bello Iudaico lib. 7. cap. 11. vbi introducit matrem sic dicentem filio; *Misera soboles, cui te referuo in bello, & fame; & seditione, apud Romanos si vixeris seruiturus es; vel certè fames praeueniet seruitutem: sed omni seruitute, & fame crudeliores sunt seditiosi: morere igitur chare gnate, & esto matri cibus, seditionis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Iudæorum.*

Debent etiam in mouendis affectibus crebræ, & acutę figuræ præsertim patheticæ adhiberi, nonnunquam enim harum figurarum varietas incentiuum est affectuum, vt apud Ciceronem mulier abiecta ad Victoris pedes, sic per apostrophem exclamat, *Miserere nostri, noli extinguere extinctos; fuimus aliquando felices, memento te esse hominem.*

Neruosiores figuræ præsertim ad mouendos affectus doloris sunt exclamationes vt esset ista: oh inter nefarios, ac perditos viros, perditissimus! ità ne diuinam violas legem? diuina conculcas mandata? ità ne Deum ipsum contemnis, vt sensuum illicijs adhæreas, oh ingratum hominem! ità ne tot immemor beneficiorum saucias criminum iaculis eum, à quo omnia bona recepisti! sic pergis insane! sic pergis Deum lædere! vhæ tibi! vesane, qui perniciem tuam adamas, qui caduca, ac vitrea æternis anteponis, & Deum nihili facis.

Vel per Apostrophem. Lugete sydera, obstupescite Cæli, desolamini elementa omnia; Deus cuius immensitas non comprehenditur, cuius misericordia cuncta creauit, cuius iustitia æternis supplicijs reos punit, modo ab ingrato homine læditur; quid non fecit Deus, vt hominem redimeret? humanam induit carnem; supplicijs

plicijs vsque ad necem fuit laceratus; te te appello mons Caluarię, hic testis adsis dolorum Christi.

Vel per exclamationem, & apostrophem simul, vt est illud in laudatione Cęsaris Marci Antonij epicedium. Heu canos sanguine cruentatos! heu vestem laceram! Cæsar inuictissime, inuictissime Cæsar! hanc ideò togam sumpseras; vt in ea morereris!

Vel per iuramentum. Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per manes numina doloris mei.

Ad excitandum timorem efficaciam habent hyperbole, ac Prosopopęia simul, vt sunt illa verba, *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar dissipabo simul, & absorbebo; desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exsiccabo.*

Motus fugæ per adiurationem præsertim excitatur vt. Adiuro te quisquis es, vt perpendas, quam miseranda sit sors hominum, qui propter telluris palmum immensam illam Cælestis Regni amplitudinem amittunt.

Vel per optationem, vtinam saperent homines, & intelligerent, ac nouissima prouiderēt, certè carnis illecebras despicerent, mundi vanitates fugerent.

Varios tamen affectus simul excito in narratione naufragij Emmanuelis Sosæ Indiarum Proregis, ac Leonoræ coniugis; reuertebantur placido æquore Indiarum ab oris Europam Emmanuel Sosa cum coniuge Leonora, totaque familia, iam eflantibus secundæ fortunæ ventis Bonæ spei promontorium appulerant, cum vehemens ab occasu obsistit ventus, quo paulatim coire nubes, tonare Cælum, micare ignes, ruere noctem spectantur cum fulgetris, Cælique fragore: mox varijs horrescens procellis mare, incerti fluctus, tumidæ vndæ prospectum adimere, regimen impedire incipiunt, iam Oceano magis, magisq; sęuiente: pauidi, ac ignari nautæ simul propter Anni tempus abiecta spe superandi promontorium, quod Bonæ spei (me Iudice) non habet nisi nomen, Omen enim est excidij, & desperationis; retro in Indiam pari consensu vela dare cōstituunt, extra votum tamen fuit euentus, exorti enim violenti, ac repentini flatus ab Oriente in perniciem quassatæ Nauis spirarunt, & conspirarunt; quorum impetu discissa vela spem salutis pari pacto fregerunt: malus deinde frustra fluctus euitante magistro distringitur; propterea costis immodica iactatione conuulsis, si per vnum os fracta nauis insipidas

das æquoris vndas bibebat, cito eas euomere, ac eructare conabatur, ne nimio pondere periret; quæ superexant vela humectata pluuijs, quas effundebant guttulas, lachrymæ videbantur, quibus vltimum illachrymabantur excidium, Emmanuelis Sosæ; en illicò tributariæ proijciuntur merces, quasi muneribus velent nautæ iratum æquor placare, nec præcipitatæ merces naues abstrahebant à mortis faucibus; imò obuersante perpetua mortis imagine dies aliquot in altum iactati nautæ, postremò vrgentibus à meridie ventis, certum ad naufragium Africæ costam appellunt; vbi proiectis ex vtraque parte anchoris, Sosa cum Leonora Vxore, liberisque omnibus sumpta pecunia, gemmarumque copia, terras petunt; ac per steriles litoris arenas percurrunt, vbi bonis omnibus barbarè à Barbaris expoliati inedia consumpti, Leonora Mulier castissima nuditatem erubescens littoris in arenas casta mergit membra, vbi fame, fletuque consumpta iacet exanimis, & filij inedia consumpti in materno sinu, gremioque depositum huius mortalis vitæ deponunt.

Per excitatos affectus introduco illachrymantem matrem, sic alloquentem ante extinctos gnatos; heù me miseram! ità ne tantis funeribus superstes viuo, sæuientis fortunæ ludus! erumpite, è fractis oculis lachrymarum riui, profluite super extincta cadauera, vlulate gemitus testes crudelitatis, ac perfidiæ vindices; dilacerentur singuli infelicis matris artus, totque oribus, quot vulneribus sanguineis lachrymis acerba gnatorum fata funestent! Heù infelicis matris, infeliciora pignora, quæ fera acri doloris morsu perstricta manes vestros non vlulabit, quæ Hircaniæ Tigrides ad obiectas acerbi fati reliquias, non cicures fierent, ac dissoluerentur in planctus; quæ adamantina corda ad innocentum puerorum immaturum excidium, non dirumperentur! quæ syluæ, quæ antra, quæ solitudines, hunc miseriarum cumulum non perhorrescerent! oh fatum non hominibus tantum, sed feris ipsis luctuosum! oh spectaculum non expectandum siccis oculis! oh Cælum, oh Sydera, oh Deus, illachrymandum sanguineis stillis exitum sortita est languidæ matris superstes spiritus! Meum, meum est crimen, mea culpa, quæ chara pignora peperi, mihi imputatur horrēdū facinus, quę ab aduersātis fortunę impetu agitata barbara per litora fugiens, cogor inuenire pro beata rerum copia; extremam egestatem, pro ridentis aulæ blāditijs Barbarorum in hospitales

tales casas, pro placidissima equitum consuetudine ferinam societatem, pro arridente libertate non spectatam seruitutem, pro delicato epularum apparatu conchilia, putresque cæterorum artus & alia maris eiectamenta, pro vestibus holosericis, auro gemmisq; fulgentibus indignam, ac horridam nuditatem, quæ ad luctum, & Sydera, & Cælos prouocet; meum meum est crimen, meum facinus, quæ luci dedi extincta pignora: heù infelicem post tot ęrumnas, ac cruciatus Leonoram! Quid est quod me deinceps in hoc reciprocante miseriarum æstu consoletur, cum mihi spes ipsa iam deficiat, en orbata filijs, destituta viribus, lachrymabunda oculis, solùm mea pignora plangam; mortuosque natos perfundam lachrymis, frigescentibus membris impendam extrema oscula, at quod etiam doleo, ac timeo est, ne obiectæ feris exangues mei amoris reliquiæ ferarum fiant pastus, ac meis visceribus saturentur feræ, nihilque supersit, quod sepulchro inferatur, & de cuius aspectu recrudescat doloris memoria, si defuncti fuissent filij, proprios inter penates dixissem mecum, persolutum est naturæ pensum, noli tristari, breuis æui sunt omnes homines, nam qui maximè longęuus fuit quantillum temporis vixit, si ad æternitatem id conferas; at si mortuorum omnis terra sepulchrum est, quid aliud mihi restat nisi, vt caueam fodiam, sepelliam natos, arenis obruam, & ego post natorum funera post tot lachrymarum fluuios, altera Niobes sepulchralem in lapidem extincta cadam super extinctos gnatos.

D. Ambro. 3. de Virgi. ab affectuum excitatione, seù pathetice sic luget D. Ioann. Baptistæ funus, Christi prodromi qui saltatricis imprudentis optione iugulatus fuit. *Præmium saltatricis mors est prophetæ, quid priùs horrescam, nescio; quis non cum è conuiuio ad carcerem, cursari videret, putaret prophetam iussum esse dimitti? quis inquam cum audisset natalem esse Herodis, solemne conuiuium puellæ optionem eligendi, quod vellet datum, missam puellam ad Ioannis absolutionem non arbitraretur! rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, qui non cuperet vel absolui: perimitur gladio caput eius affertur in disco, hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Intuere Rex acerbissimè tuo spectacula digna conuiuio, porrige dexteram; ne quid sęuitiei tuæ desit, vt inter digitos tuos riui defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturata epulis fames non potuit restingui poculis,*

potuit inauditæ ſęuitiei ſitis; bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis, ac ex obtruncato capite profluentem, cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes aduerſantes conſpectum deliciarum, clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum exangue, cuius ſententiam ferre non poteras conticeſcit, & adhuc timetur, lingua tamen, quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſeruare viuentis palpitante licet motu damnabit inceſtum.

Affectus doloris, & amoris excitantur ab anima pœnitente & contrita, quæ auertens ſe à mundi illecebris conuertitur poſt multa perpetrata crimina ad Deum ſic inquiens. Ad te tandem reuertor mi Ieſu, & quæ tua beneficia in ſcelus conuerti ad tuæ pietatis pedes vlulans, plorans, verecunda, procumbo; vtinam nunquam à varijs mundi illecebris colligata infinitam tuam maieſtatem deſpexiſſem: vtinam vnquam rubicundus ſplendor naſcentis auroræ me vidiſſet; certè crudelis, impia bonitatem tuam non conculcaſſem: vtinam nunquam fuiſſet nata dies illa, qua mater mea mundo me peperit, certè in tot crimina non fuiſſem prolapſa. Sic igitur auerſata te Angelorum gaudium, oblita viſcerum, laborum immemor, ingrata tanto ſanguine, lethales mundi vmbras ſecuta; tandem perij: heù quam turpiter ignoraſti te, ò pulcherrima, oh pretioſiſſima anima mea? tibi mundus eſt conditus, tibi ſeruus eſt Angelus, tibi excelſus fit paruulus, tibi omnipotens patitur, tibi Ieſu emoritur, tibi Deus fit epulum, & ignoraſti te, ò pretioſiſſima? vtinam non fuiſſes nata, vtinam non te illaqueaſſent mundi illecebrę, certè auerſata à Deo, in miſeriarum abyſſum non fuiſſes prolapſa? ah excute Crucifixe mi Ieſu ſemiviuam hanc animam, ſiſte, ſiſte, tuam refugam ſponſam, amplectere reſipiſcentem dilectam: extorque, extorque ò Ieſu ex intimo cordis mei, quæ tibi pro tantis beneficijs debet infelix anima mea: Audite me Sydera, attendite Cæli ſacramenta contritiſſimi cordis mei: millies moriar, præcludar baratro vniuerſis Gehennæ tormentis abſumar, priùſquam auertar impoſterum ab amore mei dulciſſimi Ieſu, qui pro me naſci, pro me pati, pro me mori dignatus eſt: Audite, audite me Sydera; attendite, attendite Cæli millies moriar, præcludar baratro in vniuerſæ Gehennæ tomenta proſiliam, priuſquam oblita viſcerum, laborum immemor, ingrata ſanguini pro nihilo dedam pretioſiſſimam animam meam; bone Ieſu, qui me creaſti; chare Ieſu, qui me ſaluaſti; oh mei cauſa,

ò inuentio, ò pretium, ò redemptio, à te toto Orbe quæsitam, per te ab inferno reductam, tibi iam deddo, tibi trado, tibi reddo; non amplius à te auertar, ò mi Iesu, intorqueat Cælum fulmina, erumpant fulgetra grauidis è nubibus, tartara conspirent, potiùs moriar, quam semel tuam bonitatem lædere, contundar, discerpar, non mouebor non te offendam, tuos clauos, ò Iesu, tuum sanguinem testor, non mouebor, non te offendam.

Nemini secundus fuit in mouendis affectibus tragicus Seneca, qui per varios affectus pathetice, ac artificiosissimè Medeam liberorum necem meditatem exprimit. *Excitat iram.*

Incumbe in iras, teque languentem excita:
Penitusque veteres pectore ex imo impetus,
Violentus hauri: quidquid admissum est adhuc.
Pietas vocetur.
Medea nunc sum creuit ingenium malis; De inde
- - - - - - - - Stulta properaui nimis
Ex pellice vtinam liberos, hostis meus
Aliquos haberet:

Vides, quam artificiosè in vehementissimum illum, quem intendit motum dilabitur, quam neruosè, quam efficacitèr, quam patheticè iræ impetus exprimit, & pauló post prosequitur, & excitat audaciam.

- - - - - - - - quidquid ex illo tuum est.
Creusa peperit: placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit. Vltimum magno scelus
Animo parandum est: liberi quondam mei;
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.

Excitat, verecundiam, metum, & misericordiam.

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit, ira discessit loco:
Materque tota coniuge expulsa redit.
Ergo ne vt meorum liberùm, ac prolis meæ,
Fundam cruorem? melius: ah demens furia.

EXPENSIO DECIMA QVARTA.

De Amplificatione Arguta.

FLores etiā nutrit suos flexanima Pallas, quib⁹ alliciat, flores sūt qui statim in eloquentiæ fructus erumpentes suadēt Argumētorum neruis; ac rationum spiculis aduersarios confodiunt. Hoc genus amplificandi argutè sicut plurimum habet floris, ac gratiæ sic pari pacto aures, ac animos suaui quadam delectatione replet, ac illicijs perfundit, ornata hæc eloquentia non semper floruit; sed sicut vestes priùs rudes contexuit necessitas ad proprij corporis defensionem, & homines lanigeros clypeos priùs obijcere consueuere temporum iniurijs, ne membra læderent, postea varijs cæperunt homines easdem vestes, expolire ornamentis, adhibere vestes olosericas, auro argentoue fulgentes: pari pacto eloquentiam, qua res ciuiles administrantur, necessitas primum effudit, ars deindè ingeniorum, ac prolixus vsus gradatim Reginam eloquentiam varijs cæpit ornare argutiarum floribus: vnde Sciti homines eloquentiæ rationem acrius perpendentes, illamque ex litigioso tabularum clamore, turbulentisque dicendi fluctibus extrahentes ad meliora elocutionis condimenta erexere, quod dicendi genus auditorum aures suaui quadam perfundens delectatione retroactis sæculis plures habuit sectatores; quamobrem hęc dicendi species priùs priuatis in gymnasijs enutrita, ac vsque ad pinguedinem farta, publicis postea in Athenæis, ac theatris communi excepta plausu amæne, ac feliciter persultauit, quo dicendi genere Plinius secundus Traiani Imperatoris magnanimitatem; Pacatus Theodosij Impe. prudentiam; Nasarius Constantini Magni victorias, ac palmas; Lampridius Alexandri Seueri pietatem, animique clementiam; Tacitus Germanici Principis modestiam; Mamertinus Rhetor Iuliani Impe. virtutes in suis Panegyricis festiuè commendarunt. Nonnunquam sic arida, ac sicca se porrigit oratori dilatandi materies, quæ si ab argutiarum floribus non perpoliretur, Orator in texenda oratione, videretur potiùs feriari, otiarique. Igitur amplificatio arguta illa est, quæ suauiter in animum dilabitur plura paucis verborum luminibus perstringit, in ipsa sententiarum copia breuitati litat; & vibratæ pulchrè sententiæ punctim, non cæsim feriunt, quia cum cultu ita acumina

nectun-

nectuntur, vt cultus ipse feriat, acumen ornet, ità elegantiam sales condiunt, vt elegantia salibus gratiam addat.

At ne properemus per cæcum inscitiæ callem breuiter assigno cum ipso Aristotele amplissimum fontem, à quo omnia argutiarum genera purissimi tanquam latices emanant. Dico igitur totam radicem argutiarum esse assignationem non causæ pro causa, vndè posito subiecto, vt possimus super illud argutias texere debemus inuestigare non causas pro causis, vt sit hoc subiectum, *Diuinum Verbum induit naturam humanam in sexta mundi ætate cur non à principio mundi*, vt conficiam argutias super hoc subiectum assignabo non causas pro causis tali pacto. Venerat Deus curare nostrorum criminum vulnera, expectauit, vt mundus totus languesceret in infirmitate; ante sextam ætatem, vel in ipsa origine mundus nõ laborabat tam graui infirmitate, vndè benè voluit nasci sexta ætate, vt languores nostros omninò curaret.

Sumatur igitur amplificandus transitus D. Antonij, è Canonicorum Regularium Claustro, ad D. Francisci Religionem, & propositio amplificanda argutè sit ista; *Niueum Canonicorum Regularium habitum, in subcineritium D. Francisci pannum mutat Antonius*: sic assigno non causas pro causis huiusce commutationis in habitu.

Ne mireris si Antonius cineres quæritat, non poterat iacere in niuibus, qui totus erat charitate igneus; imò iam charitate consumptus, non poterat nisi in cineres Seraphici Francisci solui; vel sciebat Methanæam sedere in cinere consueuisse, vt vel ipsum Iob vniuersa in Arabia grande patientiæ exemplum: verus igitur Methanææ, seù pœnitentiæ discipulus voluit etiam iacere in cinere, & si Dauid Regius ille vates, qui tot dedit mundo oracula, quot cecinit versus, panem tanquam cinerem manducabat, & ipse Antonius nutriri voluit in cinere, vt Propheticum pariter exerceret spiritum; imò si bellicosissima mulier, & Hebrearum mulierum gloria inuictissima Iuditha, vt de Olopherno triumpharet; cinere caput cooperuit; en Antonius totus tegitur cinere, vt tartarum debellet: vndè mentitur philosophia, quæ steriles esse cineres docet, an non Antonij cineres veluti fecundissima tellus grandem palmarum segetem peperere. Cur igitur niuem mutauit in cinerem Antonius, & cand cantia habitus lilia in subcineritium pannosæ vestis puluerem? an vt palestrico sordesceret puluere

Athleta

Athleta nobilis; & in huius vitæ lucta de triplici triumpharet hoste? an vt quidquid sanguinis supererat, ac carnis eo in cinere sanguisucæ ad instar deponeret, ac exhauriret? scio Menelao fuisse letalem cinerem, sacro codice teste ex alta enim turri eiectus in puluerem concidit extinctus, Antonio verò nisi vitalis est cinis, à quo ad immortalitatem euolat. Dicetis fortasse cineres induere Antonium, quia phœnix reuiuiscere suo ex puluere, scilicet suo ex cinere solita sit, vel quia D. Francisci cineres illorum sint æmuli cinerum, qui Iunonis in Ara perflantibus ventis immobiles maneant, vel quia vt Olympi montis in vertice inscripti super puluerem charactheres indelebiles fiant, nec famelicum temporis dentem expaueant, vel quia hoc cinere omnia passionum certamina veluti dimicantium inter sese apum, velit pacare; scitum est enim à poëtarum principe, atque *Hæc certamina tanta*

Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

certè phœnicio more Antonius hoc è cinere ad immortalitatem euolauit, certè hoc sepultus in cinere, immobilis ad omnes aduersantis fortunæ ictus extitit; certè si nonnullas literas fugare aspectum notat Plinius aceto, vel Tithymalæ herba notatas, nunc verè scio fieri spectabiles, si hoc sint aspersæ cinere: plura enim conscripsit hoc in cinere, quæ nisi immortalitatem sapiunt. Melius dicerem consueuerant olim milites Suida teste secum afferre vtres, fauilla, ac cinere completos, vt fugiunculis deindè preruptis pulueriam excitarent nebulam in hostium oculos: quidni dimicaturus cum hoste Romanæ Ecclesiæ Mauors cinerem secum attulit, vt certus fieret de palma: est, qui apes semimortuas aspersas oleo, ac cinere reuiuiscere dicat, fortasse Antonius vt omni ex parte Deo reuiuisceret, ac Cęlo, si tamen potest reuiuiscere, qui nullo vnquam letali crimine fuerat mortuus, hoc etiam voluit inspergi cinere: i, quando Vegetius docuit Bellatori præstantissimo tria esse aduertenda ante quam in arenam descendat Solē, puluerem, ventum, i, iam solem habes propitium diuinum scilicet, ventum habes secundum, diuini spiritus; deerat tibi vnus Francisci cinis, iam illum tenes acriter pugna nisi palmas demetes, i, & sperne bellicum quemcunque puluerem hoc armatus puluere, vel sine Dauidis lapide tumidum superbiæ Goliam prosternes.

HERO-

HERODIAS CHRISTI PRODOMI.

Scilicet, Præcursoris Ioannis Baptistæ Caput Saltationum pretio poscit.

AMPLIFICATIO ARGVTA.

Parcite Saltatrici puellæ, benè caput exposcit, quia demens, ac stulta egebat capite: vel totum ingenium in pedes fluxerat vacuũ remanserat caput; illud Ioannis poscit, ne sine capite diceretur: vox erat Prodomus clamantis in deserto, huic voci silentium indixit Herodias; nunquid ex epicurea maluisti esse Pithagorea? falleris ah falleris! hæc vox licèt in silentio posita epicedium tibi canit, epinnicium Christo, eucharisticum sibi, Paræneticum aulę, at non fuit aula, sed caula illa Herodis, dum tales nutriuit feras: non miror si Christi Prodomus in hac aula interimitur, Lupa non poterat nisi agnum perdere: qui materna in aluo salijt cecidit puellæ saltu, initijs suis affines semper sunt fines, vitam è choreis auspicatus, in choreis perdidit: ne mireris si inter epulas etiam, & conuiuia; Luporum erat cœna, Agnus erat interimendus, quo insatiata epulis feritas vesceretur: extincti Prodomi seruantur carnes, quia ex impia Herodis cœna, hæc analecta cælitibus debebant superesse, vt idem ferculum, & Deo, & Herodi simul placeret. Quæsiturus Deus, quem perdiderat mundum in terram venerat, lucernam in Ioanne sibi accenderat, quia nox atra peccati vniuersa obumbrauerat, extinguitur modo lucerna in aula Herodis: recedi tehinc cõuiuæ, extincta est lucerna immane aliquod facinus spectandum est; nam, *Qui male agit odit lucem*. Impudicitiæ in aula castitas non poterat non perire, & niuei verbi præco propè impudicas amoris flammas in illos cineres, qui nunc Genuæ asseruantur non poterat non abire. Palestinum Orpheum fractis oculis lugete musæ noua à Bacchante occisum, imò tristes vlulate gentes, orbata lumina corrumpite fletu extincto lucernæ lumine; & discite plus feritatis habere aulas, quam syluas; & qui venerat cilicio asper, vt pungeret illo, *Non licet tibi* Herodem, pungitur ferro; pium monitorem, ac fidelem nisi syluæ dent, aulę non habent; imò vt monet ille, *Exeat aula, qui vult esse pius:* nam pietas ipsa vix aulam ingressa in præmium saltatricis occiditur: non petijt dimidium Regni, quia maluit diuidere Prodromum, quam regnum: ah dicam melius impudicitia aliud non poterat exposcere, quam interitum castitatis: non fuit amens, quia amans

puella,

puella, si relicto Regni dimidio caput Ioannis dumtaxat petijt, an non quocunque Regno censendum est pretiosius tantum caput? Cæcus nō est Amor dum sic benè videt, vt pretiosius eligat; quod forsan non agnouisset oculatissimus aliquis Argus: at i pessū peior mercatrix, cùm tantum thesaurum poscis non vt habeas, sed vt perdas; Ioannem non petijt integrum, ne tanta integritas nefandos, fractosque matris mores amplius argueret: falleris melius fractus, quam integer vitium arguit, sectis faucibus apertiori ore altius vox ista inclamabit, vt adulterium corrigat; caput sitienti ferro sanguinem resecatur, per angustiorem ianuam, tam grandis Anima non poterat è corporis carcere egredi, ac ad libertatem euolare: si in Aula Herodis ad mobilem Saltatricis pedem, caput poscitur, mirum non sit, quia hæc Veneris proles caput rationis, libidinis pedibus calcat. Nouum non sit si in Aula Herodis Saltatricis pes tam grande caput perdidit; etiam tempore Nabuchidonozoris, limosus simulacri pes gyganteam contriuit statuam: etiam Iuditthæ Sandalia; hoc est Amazonis pedes Olopherni caput obtruncarunt, nouum tamen, & horrendum est, quod prœmium Saltatricis mors sit Prophetæ, & (quod etiam omnes barbari horrere consueuerunt) inter epulas, & conuiuia consumendæ crudelitatis proferatur edictum, vt ait Antistes ille, qui re & nomine Ambrosiā sapit: clauduntur enim Ioannis oculi, ac lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ; vel vt cum Augustino loquar factum est Ioanni, quod ipse prædixerat, de Christo enim Iesu dixerat, illum oportet crescere me autem minui; Iste minutus est in capite, ille creuit in Cruce. Odium peperit veritas, in aula Herodis non potuit æquo animo tollerari, & conceptam inter aras victimam lictor immolat non Sacerdos: at illi vulnus, fuisse coronam crede; dum triumphatus Cæleste ingreditur capitolium.

MARGARITA IVSTINIANA NOBILIS VENETA
Monialium Cœnobium ingrediens comam resecat
AMPLIFICATIO ARGVTA.

Tibi gratulor Margarita, Retia quibus olim homines mundi illecebris aucupabaris modo Deum ipsum captas: desinat Iudæa in pretio habere aureos Absolonis crines honor creuit tibi dempto tui capitis honore: non vt olim ad seruitutem raduntur capilli, sed ad libertatem, quæ melius non acquiritur, quam inter angusta

religio-

religionis claustra: obtonsum gerat occiput fortuna, ac occasio calua, fortunatiorem ipsa fortuna, te dicam, & occiput, & sinciput obrasum habes: sicut alij aiunt, capitis crines cogitationum mentis sunt Symbola, iam possum arguere mentem tuam omninò à mundi cogitationibus obrasam; venale cælum auro crinium textili tibi feceras: mox vt Regnum celorum emas pretium soluis crinium recisione; totam deponis comam, vt non vno crine, sed multiplici melius sponsum tuum ligares, illique adhæreres; suas non iactet mulieres Aquileia, quæ recisos crines in arcuum funiculos torqueant ad vibrandos telorum nimbos, hostemque fugandum; Margarita suos deponit crines non tantum, vt sagittas euibret, verùm vt de tartaro triumphet. Olim sacrificaturæ mulieres crines resecasse suos dicuntur: tota erat Deo sacrificanda Margarita; benè ne ab antiquo recederet more crines resecat suos: scio poëtarum commenta inter Sydera Berenices comam collocasse, de fabula tamen tu triumphas dum comam resecas; strictius enim te alligas Cælo: quassent sibi Iubam auream Leones, vt animos concipiant bellicosos; maiores tu concipies contra tartarum resecante forfice Cesariem hanc tuam: Megeræ caput ideò tartari fingitur furia, quia serpentes in crinibus nutrit; at tuum caput sine coma fit Angeli vertex: scio Aquilam etiam caluam, ac deplumatam magis Solem pellicere, bellè vt Diuino Sole magis fruereris libentiùs fis calua; sublimitate etiam meditationum aquila eras: depone libenter comam, iam auream suam tibi præparat Sol, qua clarius & cælo, & terræ lucebis: at si non desunt tibi Solis radij, nec ignis tibi deesse peterat, ardet nãq; tuo in pectore perpetua diuini amoris flamma, scilicet hoc igne fiebas noua Vestalis erat tibi coma resecanda: sine crinium cauda non te nocentem credant homines cometam, sed innocentem stellulam: Gaude igitur citò inter sydera collocanda; & bene, si sydera coronam texunt Regi planetarum, tu & pretiosissima gemma, quia margarita, & innocens stella non poteris nisi in Diuini Solis diademate locari: sine iam auream tuam comam ferro resecari, quia hæc tua cesaries in alas vertetur, quibus citius per Elisios campos asportaberis: Alexander quem Macedonia genuit magnum, & fortuna maximum, iussit milites suos ante pugnã deponere sub nouacula crines; quid aliud est cœnobij claustrum, quam martialis area, in qua pugnamus inestinguibili bello cum tartaro

debebas, & tu inter Christianas Amazones bellicosissima, vix martialem ingressa campum comam deponere, ne tibi esset in hoc conflictu impedimenti ad victoriam: & Semiramis Babyloniæ Regina non decora molliter, sed fortiter pulchra, si amabili imo terribili capillamenti negligentia ruit in hostes, quasi crinium libertas nullo ligata vinculo hostes non tantum vincere, quam vincire posset; an non tu comam resecas, vt funem intorqueas, tartarumque non tam vincas, quam vincias? libertatis sit indicium apud Lacedemones summa diligentia comam colere, ac alere: hoc vnum scio scisam, ac neglectam tuam comam, alas tibi texere, vt non curras, sed volites ad libertatem. Scio Bizzantinas fæminas ne deesset nauibus funes intortos suos ministrasse capillos: scio Romanas mulieres, vt Gallos propellerent recisam comam in funium supplementum Imperatori suo administrasse, at mihi credite etiam recisa Margaritæ coma in instrumentum bellicum etiam sibi seruiet, vt de hoste melius triumphet: non est hoc mortuorum secare crines, quod in adagium abijt, & in torqueri solet in sordidos auaros, & lucrum vndequaq; captantes, qui lapidem omnem mouent, vt ditescant, & vnum quorum sic alloquitur Sanctus Grego. Nanzia. in suis iambicis car. 22.

Terræ profundos excute, & maris sinus,
Vel mortuorum deseca, vt dicunt comas;

quam ab hoc sordido hominum genere tu aberras Margarita, capillamenti tui recisio summæ est liberalitatis indicium cum teipsam Deo sacrifices, etiam omnia tua ingenti liberalitate obtulisti.

EXPENSIO DECIMAQVINTA.

De Amplificatione mixta.

VIdimus in superioribus expensionibus singulas formulas amplificandi subiectum: modò addo subiectum ne dum per vnicam formam, sed per plures simùl posse amplificari, vndè cum habeamus ex Isocrate Rhetorum ferè Principe munus esse Oratoris ex paruis facere magna, videamus num possimus et nihilo facere maxima.

NIHILI AMPLIFICATIO.

Vt ex nihilo possimus facere maxima, quatuor, vel saltem quinque

quinque modi amplificationis ſunt adhibendi; primus, erit negatiuus; ſecundus, comparatiuus; tertius, ab his quæ cadunt ſub ſenſus; quartus, à conglobatis; quintus, à diuiſione partium. Incipiamus à primo.

Nihilo, quid pauperius? quid infelicius? quid miſerius? nulla ipſum ſubſtantia viuit, nulla illud metitur quantitas, nullo veſtitur habitu, nullo ſpatiatur in loco, nullo inuenitur in ſitu, quis ex peritiſſimis Aegyptijs illud hieroglyphicis exponet? quis ex Platonicis illud numeris recenſebit? quis ex Pitagoricis illud ſymbolis illuſtrabit? nemò, quam paruum, quam exiguum eſt nihil, nihil illo exanguius, nihil illo magis exiguum, mus in comparatione illius mons eſt, arena in prouinciam creſcit, guttula in mare, nihil non eſt elegans, non fatuum, non fuſcum, non eſt obiectum oculi, quia color ei nondum didicit hærere, illud ex Ledeo ouo crederem genitum; ſi tamen eſſet genitum, ſi eius vires metiris, nec cum muſca quidem certauerit æquo Marte; nihil agere valet, nihil poteſt, ſed nihil pati, ignem non pauet, nec gelu, quia neque rareſcere poteſt, neque condenſari, ſi viueret, obſeſſum obſidium rideret, quia vnica ordei mica in annum ſufficeret; illud à morte non obſeruatur, quæ certiùs in maiora collineat, & ſi capax eſſet mortis, Arachnes carnifex eſſet, & laqueus filum; ſi eſſet, cum mathematico puncto perfectam planitiem tangeret; ſi veheretur Myrmecidis quadriga grandior eſſet; ſi ſederet, in Pyrri Achate maiorem occuparet locum Apollo inter Camenas; ſi domicilium habitaret, illi amplum theatrum foret lymacis cochlea; ſi mergeretur, in cochleari naufragaret, vt in Oceano; in frumenti gluma pila luderet, per aciculæ forulum triumphum ageret. Accedat peripateticus, & aquilina mentis acie altè rimetur nihil: quid in illo putatis ipſum tandem inuenturum? ipſum nihil, quod nulla conſtat materia, nulla forma, qua exornetur; requirat genus, & nihil non eſt in genere; ſpeculetur ſpeciem, & ſpecies illud non nouit; an illud venabitur in Cælo? at cum locus ſit beatorum omnium rerum infeliciſſimum nihil in illa ſede non poteſt locari; forſan in ſphœrico ignei elementi orbe illud perſcrutabitur, at Salamandra eſt frigidius; nihil non offendit, nec offenditur, nihil habet obuium, cum nihil nullibi ſit: quam immane monſtrum eſt hoc nihil, eſt ante oculos, & fugit oculum; tangitur, & non patitur tangi; ſi fugit nulla eſt

parthorum ſagitta, quæ illud pernicibus alis valeat aſſequi, ſi pugnat nullu Perſico acinace poteſt vulnerari; ſi humaniſſima voce in hoſpitium, ac amicitiam vocatur, ipſum nihil reſpondendo hoſpitium non violat, nec amicitiam frangit; parua eſt bipennis cuſpis, parua Babyllonicæ acus extrema acies, paruus ingenioſè apis aculeus, paruum haſtati Hiſtricis miſcile telum, parua aëris volantis atomus, paruum illud vitæ punctum, quod pumilionem appellamus, ſed hæc omnia ante nihil, quam immania ſunt, ac ingentia corpora, nihil vix poteſt cogitatione comprehendi quid ſit, omnia quæ cadunt ſub cognitionem cum entia ſint nihili imaginem nobis proponere nequeunt, non puluis, non arena, non cinis, quia cum hæc & ſuam habeant ſubſtantiam, & ſua non careant quantitate, & ſuum occupent locum, nihili effigiem nobis non poſſunt præbere; quod eſt, ſine colore, ſine calore, ſine vita, ſine loco, ſine quantitate, ſine ſubſtantia, lux illud non diſtinguit, vmbra non inuoluit, tenebræ non tegunt, dies non illuſtrat, nox vlla quamuis cæca non obuelat, quo igitur te nomine appellem? cum te non cognoſcam, grande prodigium! imò minimum, quia nihil: iſtud enim ſi cum puncto comparemus mus eſt mons, Lucertæ ouum Pantheon; Culicis pupilla Lunæ globus; Formicæ in Elephantem creſcunt; nihil minus eſt formica ex ebore compacta ad quam conficiendam ſudauit Callicrates, quæ ob exilitatem ab oculo vix diſcernebatur, minus eſt Myrmecidis curru, quem abdere muſchę ala potuit, minus eſt materia ſine forma, forma ſine materia, ente quod ſophorum barbaræ claſſes vocant rationis, quid igitur eſt nihil, figmentum ingenij? fallor; ſatis dixi quid ſit in hac Amplificatione, ſcilicet, *Vox vox præterea NIHIL.*

(✠)

LIBER

LIBER QVINTVS DE DISPOSITIONE, ET PARTIBVS ORATIONIS.

IRriti procùl dubio Mauortis forent ausus, nisi militum turmæ Bellonæ in area ad sanguineam pugnam disponerentur; ordo nanque inter pugnantes milites, ad palmarum segetes obtruncandas breuiori calle deducit: vnde hastata segete, non horrescens căpus; sed armorū spiculis benè disseminatus palmas nutrit; si castra castris benè conserantur, si curuentur modo in cornu Lunatæ equitum turmæ, modò acuminentur in pyramides, modò fastigientur in obeliscos, & bellator fortis alas exercitus validissimis circumsepiat militibus; quos nunc in serram ordinet, modò in forficem diuidat, modò in cuneum acuat, & modò in globum aglomeret; vt cùm belli glangor personat, Bellica obstrepunt tympana; militaria explicantur vexilla; tonant fulminales machinæ; statim pugnet gladiatoria constantia,& benè dispositum agmen de hoste triumphet: Imò tanti est roboris, ac muniminis in bello bellè dispositus exercitus; vt aliquando exiles militum turmæ ingentem valeant frangere exercitum: sicque modicus Cyri pugnantis exercitus, sed ordine bene compositus ingentes vecordis Xerxis copias confodit, cruentauit; vnde quanta sit dispositionis virtus, vel ex eo videre quisque facilè poterit, quod nec exercitum confusa, ac promiscua hominum copia perficit; nec temerè inuenta materia domum construit, nec membrorum varietas speciosum hominis corpus componit; sed dumtaxat ordo, & dispositio domui formam, exercitui neruum, corpori pulchritudinem tribuit. Sicq; parum prodest oratori res inuenta, ac collecta materia; nisi benè disponatur; itàvt quælibet res pro-

prium

prium occupet locum: sine dispositione non oratio, sed chaos efficitur, vbi omnia sunt promiscua: & Quintilianus ait quãquam fusa sint omnia membra, nec statim erigitur statua, nisi singula mẽbra, singulis suis locis collocentur: sic quamuis orator inuenerit omnia, quæ ad concionem requiruntur, non statim composita est concio; sed requiritur optima rerum dispositio: ideò postquam egerimus de inuentiontione, nunc remanet explicanda rerum inuentarum dispositio.

EXPENSIO PRIMA.

Quid sit Dispositio, & quæ res inuentæ sint Disponendæ.

VTilitatem dispositionis nullus est oratorum, qui pleno ore non fateatur: ait enim Quintilianus lib. 7. 1. præfat. *Quid enim diligenter argumenta inueniße prodeßet; nisi pari diligentia, quæ inuenta sunt collocentur?* Sic excellentis Ducis virtus non magis in deligendo fortissimo, ac strenuissimo quoque milite ad bellum; quam in instruendo ad pugnam, & aciem cernitur; sic paritèr theatra varijs olim ob hanc causam patuere exercitationibus: ait Apuleius Mimus allucinatur, Comedus sermocinatur, Tragedus vociferatur, Prestigiator furatur, Histrio gesticulatur: sic Regina eloquentia hisce gaudet exercitationum generibus, quibus Alumnos suos vult insudare in benè disponendis rebus inuentis.

Dispositio igitur, quæ inuentionem sequitur est rerum inuentarum per ordinem distributio; copia verò rerum inuentarum; vel ex prolixa lectione est expetenda, vel ex varia eruditionum sylua decerpenda, de qua prolixe dixi: cauendum tamen est ne oratio nimiam post se trahat prolixitatem cęteroquin fastidium, ac nauseam excitaret in auditorum animis.

Nimia enim cupiditas figendi orationi, quidquid vel excogitauerit, vel inuenerit Tyro; radix esse solet huius erroris, qui per Tyronum ingenia ferè semper irrepsit, ex qua cupiditate posteà fit, vt puerilia, ac importunas dicendi phaleras, vanissimas iucunditatis illecebras, lusus minutos, digretiones ineptas, affectatas rerum descriptiunculas, verba vndiq; ad ostentationem collecta, sermonis redundantiam, frigida, ac tumida disseminent per totum orationis campum, quibus credentes posteà ingentem plau-

suum

suum segetem demetere, apud eruditos nisi infamiæ, ac ignorantiæ notas sibi vindicant: hæc enim semina illis aliud non progerminant nisi iudicij inopiam; ex nimia enim copia inopes fiunt, quapropter hi tales illud possent repetere adagium, *Inopem me copia fecit*.

Non ex omni herbarum genere (vt vulgò aiunt) est orationis fasciculus componendus; sed dumtaxàt, ex ijs rebus, quæ maiorem vim, ac neruum videntur habere ad suadendũ, vel maiorem amænitatem ad delectandum, ac mulcendum animum: sicut enim Alexandri exiguæ Phalanges conflatæ tamen ex veteranis militibus ingentem Darij exrcitum fugarunt, ac vicerunt; eò quia Militum ingens copia potiùs esset impedimenti, quam roboris: ità in orationibus euenit; quæ enim breues sunt, solidis, ac acuminatis suffultæ argumentis longè acriùs, & vincunt & vinciunt animos, quam quæ prolixis fluctuant, vel digressionibus, vel descriptiunculis, vel ineptis lusibus. Debet igitur elegans orator omnia inuenta maturè examinare; læuiora reijcere, cõmunia negligere, ineptas dicendi phaleras puerorum auribus seruare, & efficaciora seligere, quia cum totum oratoris munus sit suadere: his rebus debet adhærere, quæ ad hunc possunt ducere finem.

EXPENSIO SECVNDA.

Quotuplex sit Dispositio in genere, & qualis Specifica.

DIspositionis genus in multas secatur species, nempè in naturalem, arbitrariam, ac artificialem. Prima est quam seruat natura rerum omnium magistra; vt est ordo naturalis, quem seruat in producendis frugibus, & præsertim spica; priùs enim tellus gremio emollito, ac subacto sparsum semen excipit, non sine fœnore reddendum; idque occatum cohibet, ac tabefactum benigno incipit fouere in sinu; ex quo herbescentem paulò post elicit viriditatem, quæ fibris nixa stirpium, sensim incipit adolescere: deindè sublimior erecta, quasi pubescens vaginis, ac cunabulis includitur; è quibus cùm veluti è carcere ad libertatem emergit, frugem spicæ magna virescentis spei pompa aperit, & vt tutum seruet fructum exiguę Cereris minutarũ auium à morsu, exasperata spica munitur à sagaci natura aristarum vallo, donec

rustica

rustica falx camporum comas obtundens, in horreis asseruetur annona.

Dispositio Arbitraria est, quæ sine arte, ac nullà certa ratione fit, sed pro arbitrio dumtaxat, aut dicentis, aut scribentis dispensatur; vt si quis peroraturus pergeret ad Principem, & vice exordij aliquid aliud narraret, quo sibi beneuolum faceret animum Principis, deinde sine artificiali præceptorum serie rem suam exponeret, expositam probaret, probatam confirmaret; hæc diceretur dispositio arbitraria; hoc est ad arbitrium perorantis, qui inter cancellos Rhetoricæ præceptionis nequaquam sistens; tamen iuxtà arbitrij dictamen orationem suam disponit: tales sunt etiam libri Plinij de Plantis, auibus, gemmis, & animalibus, & ille etiam Aeliani de animalibus, vbi omnia permiscet, provt scribenti dictauit arbitrium.

Postrema denique dispositio est artificiosa, quæ ab arte ad aliquem destinatum finem, siuè delectandum, siuè mouendum dirigitur, ad quem attingendum finem, ars nos docet vsum harum partium, quomodo sint adhibendæ, ac disponendæ; vt est illa argumentorum dispositio aliàs recensita in locis communibus, in quibus dixi probationis initium esse muniendum aliquibus efficacioribus argumētis; minus verò neruosa, quasi imbellem turbam, hinc inde per medium esse disseminanda; finem verò esse claudendum neruosissimis rationibus.

Dispositio verò oratoria, si attendatur penes partes dico in genere demonstratiuo, & iudiciali sic distribui: inter partes orationis, primum locum occupat exordium, quod sequitur narratio rei probandæ, seù criminis damnandi: deindè probatio huius criminis damnandi; postremò sequitur epilogus. In sacris verò concionibus, quæ narratione carent hoc pacto distribuuntur eiusdem concionis partes; in primo loco ponitur exordium, in cuius calce alligatur propositio probanda, quam sequitur probatio, siuè per argumenta, & amplificationes, siuè per conceptus prædicabiles: deindè sequitur confirmatio, quæ clauditur epilogò; ex quibus distributis partibus, prima ad conciliandos animos, ac ad beneuolentiam sibi comparandam valet; vltima ad mouendum est idonea; mediæ verò ad probationem spectant: In Panegyricis, in quibus oratores vitam gradatim, & actiones personæ commendandæ solent exponere; oratio, quæ in exordio, & narratione

ratione sistit; in quędam virtutum capita debet partiri incipiendo ab ordine naturæ, nempè à patria, parentibus, natiuitate, infantia, adolescentia, virilitate, ac senectute illius, quem commendare intendimus: incongruum tamen non erit initia texere ab ijs, quæ videntur gratiosiora.

In genere Iudiciali, & deliberatiuo præit exordium, succedit narratio, quam excipit confirmatio, & hanc peroratio claudit: animaduertendum tamen est ab oratoribus, quod in hoc dicendi genere, si quæ ab aduersarijs iam proposita fuerint, ad Iudicum animos occupandos, sunt statim sub initijs confringenda, cætero quin tota oratio nihil nerui esset habitura, vt Demostenes & Tull. adamussim obseruarunt.

Ex prædictis colligitur quatuor esse partes concionis Rhetoris Christiani, Exordium, Propositio, Probatio, & Epilogus, nonnulli tamen sex partes perfectæ, & absolutæ orationis cōstituunt subijcientes confirmationē, & confutationem; sed si res benè perpendatur, hæ partes à probatione non videntur differre, at si quęris, quæ nam partes orationis sint essentiales? Respondeo partes essentiales, sine quibus non esset oratio, eodem pacto, quo sinè materia prima, & forma substantiali non esset compositum physicum, esse propositionem, & probationem, exordium verò, & epilogus sunt partes ascititiæ, & accidentales.

Oratio, quæ est perelegans humanæ mentis opus, in quo perficiendo omnes ne dum eloquentiæ, sed etiam ingenij vires eneruantur, difinitur, quæ sit optimorum verborum, ac sententiarum adunatio ad suadendum, vel dissuadendum ordinata, ex qua definitione patet orationis finem esse suadere, vel dissuadere; ex quo oritur tria esse orationis munera, nempè docere, delectare, & flectere, docet orator nouitate propositionis, argumentorum, ac sententiarum copijs, delectat figuris, ac styli amænitate: flectit verò, seù mouet affectuum excitatione.

EXPENSIO TERTIA.

De varijs Transitionibus adhibendis in Dispositione.

VBI orationis puritas exordio fuerit pertexta; adhibenda est in dispositione apta rerum ordinatio: ità vt singula singulis

suis locis dicantur; ne oratio sine vllo ordine fluctuans, vel chaos, vel mare feruens potiùs videatur: vndè pulchra membrorum cõpage totum corpus debet exurgere, vt perfecta audiatur orationis simmetria, quod vt faciliùs assequamur vnum præcipuè modum notat Hermogenes, nempè transitionem; qua de vna re, ad aliam cum ordinis dignitate gradimur. Transitio enim, *Est oratio breuis, quæ quod dictum est laconicè tangit, & de eo quod dicendum est monet*, & huius transitionis beneficio non modo ab vna argumentatione ad aliam transimus, sed etiam à partibus vnius argumentationis, ad alias partes eiusdem argumentationis, vndè ne dum orationis connexio, & pulchra dispositio pendet ex transitione; sed etiam omnis neruus orationis; hæc autem transitio tam varia est, quam varia est materia, de qua agitur; in perfecta verò transitione aliquid acuminis, si fieri potest, debet reperiri, vt orator ad attentionem prouocet auditores.

Hæ autem transitiones præcipuè fieri possunt per figuras patheticas, de quibus infra cum de argutijs; quas regulas faciendi transitiones nullus Rhetorum, vt videre potui dilucidauit. Nunc verò provt res postulat, dico, figuras patheticas eas esse, quæ aliquem animi motum siuè intellectus, siuè voluntatis exprimunt.

Primùm igitur per figuras patheticas exprimentes motus intellectus, sic possunt fieri transitiones.

Per figuram cognitionis, Cognosco me diutiùs in rebus iam tritis, ac omnium sermone celebratis fuisse versatum, sed ea dos est rerum, vt quæ placent decies, & ampliùs repetita placeant adhuc; modò ad incognita transeamus.

Per ignorationem, Nescio an ea, quæ fuerunt recensita vestros ad admirationem traxerint animos, certè quæ nunc sunt recensenda magis allicient, & simul conuincent.

Per ostentationem, En aspicite quam neruosè, & ad hominem, quæ prolata sunt, præsens ratio dicenda confirmet.

Per narrationem, Magna enarraui, fateor, sed maiora supersunt narranda, ac non omnibus trita.

Per Didaschiam, Didicistis, quæ doceant in corrigendis moribus Ethnici, quæ docuere Philosophi; discite nunc, quæ sancta Orthodoxa Fides; sanctique Patres doceant &c.

Per Affirmationem, Fateor aliquid roboris habuisse, quæ dicta sunt, sed maiorem habebunt vim, quæ supersunt dicenda.

Per

Per Correctionem, Quidni omnia, quæ poterant nostram confirmare Thesim proposui? nequaquam, neruosiora vestram exigunt attentionem.

Per Memorationem, At si benè memini vnum erat reliquum, vt doceremus scientias conferre multum ad stabiliendam vitæ morumq; bonitatem; hoc modo aggredior attendite &c.

Per Reticentiam, Possem hic latius vagari, & quod dixi viuis cõfirmare exemplis, auctoritate prudentum virorum corroborare, sententijsque consolidare, sed ne nimia prolixitate vestras offendam aures libenter omitto, & ad alia transeo.

Per Præteritionem, Omitto plura, quæ possem dicere, sed solidiora vos expectant.

Per Admirationem, Quid mirum si ignorantiæ tenebras fugauit ab Ethnicorum intellectibus, diemque peperit veræ cognitionis? Sol erat, vt vobis probandum exposui sub initijs, at si Sol ne dum habet de cæcis cymmerijs triumphare, verùm nouus Iuppiter aureas suorum radiorum in pluuias videtur in humum descendere non ad fęcundandum mentitæ Danaæ sinum; verùm, vt nobiliori grauidata partu tellus in copiosiorem erumpat fructuum messem, sic si vidimus nostrum Solem Ethnicę superstitionis fugasse tenebras; attendite nunc beneficia, quæ super mortalium capita perpluit.

Per Interrogationem, Quid? maiora expectatis, attendite?

Per Imaginationem, Quamplurima, vt opinor iam dicta sunt, de illius virtutibus, nunc alia gesta, ad alia me vocant.

Per Apostrophen, Nihili facite, quæ dixi, attendite maiora, quæ pluris sunt facienda.

Per Expressionem, seù Ecthyposim, Aberrauit tantisper à propositione oratio, sed si placet, quæ dicebamus reuocemus, filumque nostrum prosequamur.

Per Reprehensionem, Satisne probatum est, vitium carnificem esse animarum, erratis, maiora audite.

Per Repetitionem: Vt omittam, quæ læuiora videntur; quid ad gratiam opportunius: quid ad dignitatem illustrius: Quid ad ornatum elegantius: Quid ad maiestatem præstantius esse potest; exponam.

TRANSITIONES PER FIGVRAS PATHETICAS *Exprimentes Motus Voluntatis.*

Per Imperium, Magis attendite, qui aures hactenus præbuistis, vt grauiora, quæ supersunt admirari possitis.

Per Admonitionem, At quam sint fluxæ opes, ac voluptates; monebunt vos recensenda exempla.

Per Recusationem: Nolo in hac re prolixum texere sermonem, iam vocor ad alteram orationis partem; proposueram enim vobis, quod facere paratus sum; si beneuolentiam vestram, æquè mihi fauentem experiar.

Per Pœnitentiam, Pœnitet me toties à breuitae, quam mihi proposueram aberrasse, sed materiæ grauitas prolixum hunc exigebat discursum.

Per Audaciam, Dicam equidem fortasse audacius, sed tamen verè.

Per Lætitiam, Lætor orationem meam eo rediјsse, vnde deflexerat, & vt sim semel in opinione mea constans, & ne abutar patientia vestra, quid proposueram breuiùs probabo.

Per Desiderium, Vtinam mihi tantum esset otij, vt quæ ad rem meam maximè faciunt possem proferre, dicerem enim talia &c.

Per Vocationem, Adeste omnes, & attendite grandius factum.

Subijcio etiam hic nonnullas transitiones, quæ in orationibus Marci Tull. Cic. grandem videntur habere amænitatem.

Dictum est Iudices de Decumano frumento, dictum de empto, reliquum est de æstimato.

Vultus vestri iudices me inuitant, vt quæ reticenda putaram; libeat iam liberè dicere.

Dilucidauimus faciliora, conueniamus nunc ad magis ardua.

Nolite iudices ea, quæ dixi separatim spectare; sed omnia colligite in vnum.

Dixi de imminenti periculo, quod Antonio antistabat; dicam nunc de eius nece.

Sed hæc improbitatis scelera omittamus: loquamur potiùs de iniquissimo genere parricidij.

Satis dixi de turpitudine; dicam deinceps de virtute.

Dixi antea, me omnia, quæ in hoc genere essent non enumeraturum, quia in infinitum procederet oratio, sed electurum ea, quę magis excelerent; attendite nunc, quæ illustriora sunt in hoc genere.

Vnum

Vnum erat reliquum, si benè meministis, vt docerem; hoc aggredior.

Possem hoc in loco latiùs euagari, nisi me temporis ratio admoneret, sed ab hac molesta narratione aduocamus animos, transeamus ad iucundiora.

Pudet me à breuitate, quam mihi proposueram aberrasse, at materiæ grauitas hoc exigebat; ad vtiliora me accingo.

Nunc quoniam temporis angustiæ tãtam rerum multitudinem capere non possunt, ego humanitate vestra fretus, à grauioribus ad mitiora meam orationem conuertam.

Verùm hæc prætermittamus, festinat enim oratio mea ad præcipuum accusationis caput.

EXPENSIO QVARTA.

De Exordio in genere.

AScititium orationis membrum esse exordium innui supra; licèt plerique ardentiùs forsan insudent in exordij structura, quam in conficienda tota concione: quod exordium non sit pars essentialis orationis patet; ex eo, quia vetus Areopagitarum Lex iubebat Oratores sine exordio dicere, ne verborum circuitus, ac phaleratæ dictionis garrulitas adstantium auribus officeret: volebant enim Areopagi Iudices non verbis, ac nugis; sed sapientia, ac virtute animorum beneuolentiam comparari: vndè in Atheniensium Areopago omnis de exordiendi ratione præceptio omninò futilis, ac superuacanea censebatur; sed solùm Areopagitica hæc seueritas duas dumtaxat admittebat in dicendo partes, nempè propositionem, & probationem: hinc rigidum hoc in perorando silentium in adagium abijt: ad pungendum enim aliquem, qui vix loquatur dicimus, *Areopagita esse taciturniorem*. Amyclarum forsan sectabantur vestigia ipsi Areopagitæ: Amyclę enim silentio litabant, ac Taciturnitati, sicque silentij rigorem religiosissimè seruantes locum fecerunt adagio, quod vsurpatur à Sidonio Apollinari lib 8; epis. 6. vbi ait, *Si supradictum confirmo assensum Athenis loquacior ero, si minus Amyclis ipsis ero taciturnior:* vel forsan rigidi Zenonis adimplebant præcepta, cuius in Lycæo veluti in officina statuaria, nisi muti contemplabantur disci-

discipuli; hinc summi silentij cultor, qui vix linguæ nodos in sermonem soluere, vel possit, vel velit, statuæ etiam comparatur.

Quiescat tamen consepulta sub diruti Areopagi cineribus rigida hæc taciturnitas, cum enim vsus, & consuetudo sint altera lex; & vsus tantum inualuerit, vt nullus oratorum suas recitet conciones sine præcedenti exordio; ideò dico hisce temporibus esse necessaria exordia, ac non esse amputanda ab orationis corpore, ne Acephalos videamur efficere; & hanc exordiorum necessitatem agnouit Polybius vir eruditione clarus, ait enim fieri non posse, vt finem consequatur, qui principium non rectè fuerit auspicatus: vndè videtur asserere, summo vir ingenio nullam esse partem orationis, quæ maiori sit momenti exordio, dico tamen exordia esse prudenter moderanda, nec nimia tenenda prolixitate; circuitus enim orationis potiùs à Tyronibus queruntur, & ab ijs qui sine vlla necessitate inanes ambitus expolientes, æquitate causæ videntur destitui.

Ex Aristotele exordiorum duo sunt genera, necessitatis vnum, pompæ alterum: exordium necessitatis, vt ait Aristoteles indicat finem cuius gratia fit oratio; nec verborum phaleras, ac descriptionum fucos recipit; sed graui sermone incedit, maiestate plenum; è conuerso secundum exordiorum genus pompā ostendit ornatæ elocutionis, quæ varia esse solet pro ingeniorum diuersitate.

EXPENSIO QVINTA.

De Exordiorum Muneribus, ac Qualitatibus.

EXordium, quo auditorum animi per quandam insinuationem præparantur ad reliquam orationem tria debent exercere munera: nempè attentos, beneuolos, ac dociles, sibi facere auditores, attentionem sibi conciliat Orator in exordio, si rei tractandæ magnitudinem enucleet, vt est illud Cic. in Verrem 7. *Quid est! proh Deum hominumque fidem! in quo ego Reip. plus hoc tempore prodesse possim? Quid est quod aut Populo Romano gratius esse debet, aut socijs exterisque nationibus optatior esse possit, aut saluti fortunisque magis accommodatum*, excitatur etiam attentio, si Orator dicat damna, quæ ex hac neglecta attentione oriri possunt, vt est illud Cic. in Catili. num. 4. *Atque ego, vt vidi, quos maximo*

ximo furore, & scelere esse inflammatos, sciebam eos esse nobiscum, & Roma remansisse, in eo omnes dies, noctesque consumpsi; vt quid agerent, quid molirentur sentirem, ac viderem; vt quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris fidem faceret oratio mea, vt cùm demùm animis salutique vestræ prouidistis, & cum oculis maleficium ipsum videritis.

Docilis reditur auditor rei nouitate promissa, ac seruata breuitate; quare in exordio Orator prolixas ne protrahat verborum series; sunt enim nonnulli qui inani verborum garrulitate aures adstantium flagellantes, vt serui, vel pueri mendaces se habent; qui ad interrogata non directè respondent, sed circuitu orationis quærunt effugere responsionem; insulsum sane genus hominum.

A proposita breuitate Cic. sic dociles suos auditores in Senatu Romano faciebat pro Clu. 160. *Quibus de rebus mihi pro Cluentij voluntate nimium; pro Reip. dignitate parum; pro vestra prudentia, satis dixisse videor; atque vt existimetis necessariò, me de his rebus, de quibus iam dixerim pluribus egisse verbis; attendite reliqua, profectò intelligetis; & quæ paucis demonstrari potuerunt breuissimè esse defensa*; A structura etiam exordij aberit verbum omne insolens, translatum, vetustum, poëticum, luxu difluens.

Beneuolentia petitur à personis, à rebus, ab adiunctis personarum, & rerum; in persona Oratoris expectatur modestia, officium, æquitas, publica vtilitas; In auditoribus, vt eorum prouocetur beneuolentia; commendanda est eorum nobilitas, innocentia, virtus, eruditio, & Cic. par. 28. ait, *Equibus initia beneuolentiæ cōciliandæ parantur, aut meritis nostris, aut dignitate, vel aliquo genere virtutis, & maximè libertatis, officij, iustitiæ, fidei.*

EXPENSIO SEXTA.

De Exordiorum diuersitate.

EXordium, quod dicitur methaphoricè *à texendo*, seù à methaphora deducta *à textoribus*; sicut & proœmium à *Citharedis*, vt fatetur magnus Aurelius Cassiodorus in Compendio Rhetoricæ: in plures diuiditur species pro diuersitate eorum fontium, à quibus hauriri possunt exordia acurata, acuta, & instructa sententijs.

Quia ex illis, qui de arte Rhetorica scripserunt præcipuè ex recensioribus, neminem ex sexcentis inuenerim, qui ad præcepta Rhetorica praxim addat; sed vel nuda omnes tradunt præcepta, vel solùm Ciceronem, siuè aliquem alium ex antiquis citent, vt faciunt etiam in cæteris amplificandi præceptis, ideò parùm videntur prodesse suis scriptis concionatoribus, ac oratoribus Ecclesiasticis. Marcus Tull. quia in Senatu orabat, vel ad tuendum, vel damnandum; dumtaxat in genere Iudiciali, ac deliberatiuo perorabat; concionatores verò, vt plurimum in genere demostratiuo ac exornatiuo. Facilè est millies repetere communia præcepta adducendo eundem Ciceronem, quem alij citarunt; sed non est hoc scribere, sed calamo repetere, quæ alij dixerunt, quod videtur maximum afferre damnum Reip. litterariæ: vtinam saltem si proprio marte nō componunt, citarent, vel Diuum Ambrosium, Augustinum, Ioann: Chrysostomum cōcionatorem verè aureum; ac inuestigarent regulas, seù præcepta tanti magistri, certè maximam afferrent concionatoribus vtilitatem.

Igitur, quia credo non fore opus inutile, operepretium duxi, tradere hic omnia præcepta conficiendi exordia, & pro singulis proprium subijcere exordium, quod componam ad methodum concionis, vel orationis Ecclesiasticæ: quia in hac facultate nihil mihi faciliùs visum est, quam tradere regulas, è conuerso nil difficiliùs, quam praxim addere accommodatam amænæ huius ætatis elocutioni, si vellem igitur probare vitium esse omninò detestandum; possem ex abrupto statim increpare vitium: fit enim exordium ex abrupto sine præparatione animi, ac conciliatione beneuolentiæ per quandam dicendi libertatem; sine lege proferuntur, quæ sunt dicenda; quæ exordia, sicut magis callida sunt, & incensa, peculiarem habent dicendi modum. Hæc tamen exordiorum species duplicem exigit virtutem, qua & animetur, & ornetur. Iste virtutes sunt prudentia, & dignitas, quia sine dignitate peccat nimia audacia; sine prudentia non abruptum, sed absurdum erit exordium.

IDEA EXORDII EX ABRVPTO.

Ità ne vindictæ rabies vesanos adhuc denudat enses ad humanos artus confodiendos, ad corporis membra trucidanda, ad aliena corpora laceranda; vt tot aperiant ora, quot vulnera, & multiplici lingua humana barbaries increpetur? Ità ne adhuc diremptum

ptum

ptum est fœdus societatis humanæ, & homines inter sese manus conserentes humano sanguine seipsos nefandè temerant? ità ne Regalia sceptra, vel Imperialia diademata, nisi securium, ac gladiorum terrore exteros populos euertunt, occidunt? & purpuræ non alio rubent colore, quam sanguine; quæ plus possunt ferro, quam auro? ità ne adhuc malæ artes omnia virtutis prœmia possident? & auaritia hominum animos exercens fidem violat, probitatem corrumpit, virtutesque reliquas subuertit? Ità ne adhuc ambitio diuina, humanaque iura negligens, tentat Templa prophanare, Altaria spoliare, Sacerdotes veluti victimas,& sanguine, & auro mactare? Ità ne adhuc vitium regnat, ac tartareo edocet dogmate sacra polluere, diuina despicere, virtutesq; omnes violare? Ità ne amicitiæ sanctum,ac venerabile nomen intermissione officiorum vilescit? adhùc capitalibus odijs dissident fratres, ac consanguinei? adhùc venena sparguntur,nudantur enses? vibrantur siccæ? cruentantur gladij? adhùc libidinum incendijs senectus etiam frigida sub canitiei niuibus æstuat, nefandisque amoribus; tam matronarum, quam virginum pudicitia violatur? adhùc homo diuinæ legis contemptor vitiorum Tyrannide se iudice damnatur? se teste conuincitur? se tortore cruciatur? absit hoc, extirpetur funditùs vitium. Probabo enim crudelem hominis Tyrannum esse vitium, quod animam enecat, pudicitiam violat, bonos mores corrumpit.

Aliquando hæc species exordiorum fit per ostentionem propriæ dignitatis, ac virtutis: sic Mutius Sceuola, qui extincto carbone succensi brachij, suum inscripsit nomen super frontem immortalitatis; cum furtim in hostium castra penetraret, vt Porsennam Regem gladio confoderet, iamque ad Regium sistens tentorium cum ignoraret quis esset rex, Scribam pro Rege interfecit comprehensus tamen, & ante Regium ductus aspectum sic ex abrupto per ostẽtationem propriæ virtutis orationem incipit apud Liuium lib. 2. *Romanus sum ciuis Cai Mutium me vocant; hostis, hostem occidere volui, nec ad mortem minus promptus animus est: quam fuit ad cædem, & facere, & pati fortia Romanum est.*

Nonnunquam fit per Interrogationem, vt est illud tam celebre Cic. in Catil. *Quo ad vsque tandem abuteris patientia nostra Catil. &c.* Quà dicendi forma videtur violenter impetere auditores, & simùl quasi impatiens sine introductione arguit scelus Catilinæ.

Secundus fons petitur à visceribus causæ, hoc est ab intrinsecis rei principijs, vt si quis vellet laudare milites fortes in bello posset inchoare orationem ab hoc theoremate; scilicet gloriam non comparari, nisi post exanthlatos labores, post tum sudoris, tum sanguinis effusionem, eo quia gloriæ palmæ alio non gliscant humectatę liquore; nisi vel eo, quem spargit defatigata frons, vel eo quem fundunt aperta vulnera: in Panegyricis orationibus adhiberi etiam solet exordium erutum à visceribus causæ; vt si vellem probare D. Dominicum fuisse facem lucentem, & ardentem, sanctitate, & charitate, qualem in ore canis vidit pia Mater in somnio; Exordium orationis commodè fieri posset de lucis præstantia, ac dignitate, & hoc premisso grata concinnitate ad orationem fiet decursus, ac transitus à luce corporis ad lucem animi, ac sanctitatis; deindè vt latior pateat amplificandi seges; in plures partes poterit diuidi prædicta propositio probanda; scilicet & arsisse charitate, & luxisse sapientia, humilitate, prudentia, patientia, ac miraculorum patratione.

A visceribus causæ si Panegyrici flore Immaculatam Virginis Matris Conceptionem commendarem non quærerem, vt alij apud Isocratem Helenam illam Martis, & Veneris luctuosam facem, in quam venalis linguæ Myrocheria lasciuientis ingenij diuitias sophista Pictor effudit; verùm quod in promptu est hanc Virginis Immaculatæ Conceptionem Auroræ compararem edendæ postea in lucem diuinum Solem Christum; Exordium igitur à visceribus causæ, sic texerem commendando ipsam lucem.

IDEA EXORDII ERVTI A VISCERIBVS CAVSAE.

Tandem puella toties mundi iam propè depositi, ac in æternis sordibus ingemiscentis pręcibus, ac votis expetita; fęcunda in Annæ Aluo concipitur, quinquaginta fermè fęculorum opus, quæ à mundi cunabulis vsque ad eius Conceptionem effluxere. Iudææ iuga, omnesque mundi regiones salutari, hoc nomine, *Conceptio Virginis Matris*, exultauerunt, ac diuinum Solem, è Virgine nasciturum omnes mundi plagæ sunt lætatæ, Auroram fulgentem fateamur Conceptionem Virginis; quia Solis Mater, & Filia, omnes męroris, ac tristitiæ caligines diuinæ gratiæ radijs fugabit; Auroram igitur fateamur hanc Conceptionem, quà ingentes tartari vmbras nasciturus diuinus Sol prosternet; Auroram fateamur hanc Conceptionem, quà Virgo Mater nullam

con-

contraxit caliginosæ culpæ vmbram; imò diuini amoris rosas, ac puritatis lilia per vniuersos terræ campos diffundet. Salue igitur Solis Mater, e cuius sinu veluti è sponsæ thalamo processurus est, qui exultabit vt Gygas. Saluam te aduenire gaudeo ex nostræ originis nocturna caligine, sine nube candidam; nulla contracta labe, serenam; & meritò, cum enim Aurora Solis sit pictura vmbram non habet, sed peccati vmbram fugat, & tota splendescit candore sine macula; Cælestis pictor lucidus Phœbus aureis radiorum pennicillis & montium capita, & vniuersam tellurem pingit, sed sine vmbra, decuit etiam diuinum Solem propriam pinxisse Auroram absque vlla peccati originalis vmbra: eia igitur Virgo Mater, quam benè, quam beatè possum cum Ecclesia mirari, & dicere, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens*. Probabo igitur decuisse hanc Auroram sine vmbra originalis peccati concipi.

Tertius fons peti solet ab adiunctis, quorum vberrima seges est, & multiplex: quæ exordij species sumitur, vel à persona aduersarij, vel à propria persona oratoris, vel à tempore, cuius occasio commoda est, vel à loco; vndè ex hoc fonte tot nascuntur exordia, quot sunt adiuncta: sic in oratione funebri defuncti principis tempore, quo & pluuiæ ruebant è Cælo & nubes tonitruis strepebant, exordium ab adiuncto temporis posset apprimè texi dicendo: tam acerbam principis necem etiam elementa voluisse illachrymari, ac tanto heroi parentare.

At detur hoc scripturæ thema, *Inimicus hominis est homo*, si tempore belli vellem texere concionem super allatum thema, ab adiuncto temporis, sic concionis initium iacerem.

IDEA EXORDII DEDVCTI AB ADIVNCTIS.

Hisce triumphantis Libitinæ diebus, quibus Bellonæ in area diremptum est fœdus societatis humanæ, ac homines inter se se manus conferunt, & gloriam sibi ex humano sanguine comparant vobis concionaturus de familiari, ac intrinseco hominis hoste, sub ipsis initijs in pugnas, ac strages offendi, cruentata non minùs, quam Bellonæ in area: vbi victrices non germinant, ac virescunt palmæ nisi, vel effuso humectatæ sanguine, vel recisis artubus ad pinguedinem fartæ. Vbi orbatæ libitinæ truculenta falce non scinditur gloriæ messis, nisi hastata segete priùs horrescant campi: vbi nō tripudiant *Martis* fallor, *Mortis* dicam asseclæ, nisi vndan-

tia explicentur vexilla infausta procellarum omina; bellica obstrepant tympana, ac fulminales retonent machinæ: vbi ferro iudice nulla ventilatur lis, ni feriatur cæsim, punctim, eminùs, cominùs, sanguine stillent artus, & adhùc sitiat Mucro, quasi semel ebrius abstemius nesciat viuere. Insurgit nempè lapsæ naturæ instatu Reginam contra Rationem irascibilis, necnon concupiscibilis motuum exercitus eam tentans adoriri, lacescere, oppugnare, expugnare, vt expugnata cecidit nostro in protoparente; armis namq; haud caret bellicis, quippèqui ænea tormenta flammas euomentia accensæ iræ sunt rumores; castrensis pulueris fumus lucem, diemque arripiens fumus est ipsius superbiæ rationis discursiua lumina tentans denigrare, denigrata obcæcare, obcæcata extinguere, & extincta rationem ipsam enecare: Mucrones, enses, acinaces, cæteraque fastigiata arma punctæ Veneris sunt illicia. Probabo igitur inimicum hominis esse sensum, ac carnem rebellem rationi.

Quartus fons petitur ex abundanti, seu à diuisione, & fit cum orator affirmat tantam copiam esse sibi ad dicendum, vt necessè habeat multa præterire, quò libentius aliquibus inhærere possit, quæ vellit super alia commendare, & hæc exordiorum species potissimum adhiberi potest in Panegyricis, quandò commendamus aliquem cælitem, vt si vellem laudare paupertatem D. Francisci ex abundanti sic texerem exordium.

IDEA EXORDII DEDVCTI EX ABVNDANTI.

Icareos me erupisse in ausus fateor, dum cereis imbecillis eloquentiæ alis propè Francisci solem euolare audeo; an non nitidissimus veluti phœbus tot ornatur radijs, quot virtutibus Franciscus? & si syderum turbæ planetarum à principe, qui sui luminis est faber suos recipiunt splendores, quibus aereo rutilantes in theatro suo famulari queant principi: ego tamen veluti sydus Mercurius, qui prope Solem eclipsim patitur omni destitutus luce, ante tot Francisci virtutes, quo me vertam nescio, hoc vnum fateor, inopem me copiam fecisse. Nam quem virtutis splendorem cæteris præferam, iustitiam? est quidem præstantissima virtus, quæ integritatis amasia nullo patitur vitio frangi, atqui fortitudo videtur excellere: igitur fortitudinem anteponam? at illi nec iustitia cedit: forsan anteponam temperantiam? certè maximum est animi ornamentum, sed sapientia videtur illustrior; igi-

tur

tur sapientiam anteponam? at hæc ipsa temperantię societate laudabilior existimatur: forsan animi submissionem præponam? at huic non cedit magnificentia, quæ nunquam ab animi demissione distrahitur: anteponam castitatem? quæ nitidissimum lilium in animæ viridario gratissimum ver dat cælitibus spectandum? at puritatis niuibus non cedunt charitatis flammæ, inter quas anima veluti aurum ignis in sinu magis perficitur: forsan misericordiam præ cæteris commendabo? qua Franciscus in alienis necessitatibus inquirendis assiduus erat, & ægrotantium Zenodochia frequenter lustrabat, vbi cibo alios reficiebat, spiritualia pharmaca dulcissimæ allocutionis aliorum morbis adhibebat, lectos sternebat, fordes excipiebat? at huic non cedit paupertas spiritus, quæ est animi gemma rutilans, pudicitiæ decor, comes naturę, commendatio famæ, custos virtutis, fundamentum honestatis, norma innocentiæ, testis puritatis, ornamentum vitæ, ac cæterarum virtutum splendor: igitur ne omninò inopem me copia faciat, ac elinguem omissis cęteris virtutibus hanc vnam commendabo Francisci virtutem, nempè Paupertatem spiritus, qua aurea Saturni sæcula reuocauit, vbi homines;

Malebant tenui contenti viuere cultu,

Nec signare quidem, aut partiri limine campum;

probabo igitur Francisci paupertatem auream reuocasse Saturni ætatem &c.

Quintus fons petitur à contrario, & fit cum orator ipso initio dicendi probandum suscipit causam contrariam, deinde confutato contrario probat id, quod intendit in exordio, vt si vellet probare orator veras diuitias consistere in paupertate spiritus, possent in primis confutari diuitiæ auri, ac argenti, tali pacto.

IDEA EXORDII DEDVCTI A CONTRARIO.

Montium syluas in Maris planities transferant, qui aurum sitiunt, ac consumptas ab scalpro arbores in nauium structuram texat artis industria: procellosa enauigent maria luctaturæ cum ventis naues, vt è Peruanis visceribus aurum extrahentes, & diuitiarum auro, & vanissimæ ambitionis aura grauidæ in Europam redeant, vbi aurum, argentumue veluti terrena numina venerentur mortales, vt quondam insanus populus immane Nabuchi Simulacrum coluit, argenteæ sint diuitum mensæ, aurea vasa, gemmis vermiculata scrinia, in aureis toris dulcem sumant somni soporem

porem

porem diuites, in auro cœnent, perpotent; vt quo solùm Regum capita cingebantur, nempe auro, iam & eo coronent diuites Bacchum, auri argentique aceruos cumulent, prouinciæ venales fiant, vt diuiti tributariæ, non minus, quam flumina mari, suas deferant quas conceperant opes. Fecunda ceres horrea repleat, Erithræi littora Margarita diuiti ministrent, adamantes frigidæ Scytarum cautes, aurum excruciata Indiarum viscera, oloserica Chinensis ditio, quia hic talis non diues erit censendus, sed pauper: si posteà virtutis ornamento careat; quia veræ diuitiæ virtutes sunt animi; enucleabo igitur, quam pauperes sint mundi diuites.

Sextus fons peti potest ab aliqua quæstione insigni, quæ exordij forma ob rei nouitatem animos auditorum demulcet, si vellem probare aurum plus mali afferre, quam ipsum ferrum, imò esse radicem omnium malorum, exordium à quæstione insigni possem deducere probando an plus boni, vel mali attulerit mundo ipsum aurum sic.

IDEA EXORDII ERVTI A QVAESTIONE INSIGNI.

Quis non assereret maximæ esse vtilitati aurum, cum ipsum erigat superba palatia, quæ quasi Titanes videntur cælum conscendere, & ipsa sydera expugnare, vel audaces Promethei, qui non ampliùs ignem; verùm lucem ipsam Soli abripiant; cum in terras nisi prægrandes transferant vmbras; Quis non assereret aurum maximæ esse vtilitati, cum ipsum artes perpoliat, marmora in humanam excruciet imaginem, oloserica componat indumenta, Vrbes in immensum amplificet, mœnia corroboret, arces erigat, templa, ac basilicas amplissimas, vt loquitur Ammianus, de antiquis Romanorum edificijs, in modum prouinciarum extruat; & non ad vsum tantum rerum sacrarum; imò ad iucundissimam etiam oblectationem oculorum; adsunt enim in nostræ ætatis templis columnarum syluæ, quæ parietes non modo fulciunt, verùm ad magnificentiam ornant, Epistylia columnis ipsis imponimus, quà Dorica leuissimo supercilio guttis, tenijsque per oram, & marginem flexis, qua Ionica orbiculis distincta creberrimis, volutis, inuolucrisque, quasi capillamento quodam vtrinque concrispata; vbi videntur fornices mira inter se arte coëuntes; auro fulgentia laquearia, pretiosissimis incrustata marmoribus ipsa sacella, vermiculato opere contexta pauimenta; benè omnia: at si damna contemplor, quæ affert aurum longè maiora erunt, quam

ipsa

ipsa bona; video enim horrido spectaculo ab auro tyranno, fractam fidem, violatam iustitiam, effusum innocentem sanguinem, horrere hastata segete campos, dimicare milites, membra scindere, vitæ stamina obtruncare, æquari solo ciuitates, violari leges, in tritissimum puluerem ruere ædificia; vndè probabo aurum esse radicem omnium malorum, & plus afferre incommodi quam ipsum ferrum.

Septimus fons petitur à similitudine, vt cum exponimus ea, quę dicunt aliquam similitudinem cum propositione, quam intendimus probare, vt si vellem probare virtutem non acquiri, nisi post multos exanthlatos labores, sic ducerem exordium à simili.

IDEA EXORDII DEDVCTI A SIMILITVDINE.

Nunquam rideret tellus, illique arrideret Cælum, nisi ex rigido senescentis anni postliminio, hoc est ex agitato hybernæ tempestatis sinu florida nascentis veris Iuuentus comitantibus gratijs esset renascitura; nec mutata repentè scena vernis teporibus, Cælum inciperet omne mitescere, ac terra mille aperiret amænitatum theatra; nisi gelidis priùs soluta è compedibus; ab asperis dulcia exoriri priùs didicisset; nunquam admirationis ille partus Iridis nomine decoratus tot caractheribus, quot fulget variatus coloribus vltimam procellosi aëris periodum nobis porrigeret porlegendam, nisi grauidæ minarum nubes, quasi Gygantes aëreo in campo Phlegræa tanquam in area Cælum lacescere, terramque interturbare priùs viderentur. Sic virtutis gemma nequaquam acquireretur nisi illius indagatores difficultatum in Oceano, vt in *Erithræo* vnionum expiscatores priùs fluctuarent, ac si ipsa virtus, nisi è mari stillati sudoris, quasi *Veneris* æmulatrix vellet consurgere. Probabo igitur candidam virtutis gemmam, non adipisci nisi post multos labores.

Octauus fons petitur à comparatione, vel à maiori ad minus, vel à pari, sic si vellem probare eloquentiam esse veram rerum dominatricem, ac per eam gubernari ciuitates, sanctissimisq; legibus muniri, possem exordium texere comparando eloquentiam cum Imperatore tali pacto.

IDEA EXORDII DEDVCTI A COMPARATIONE.

Quid magis commendandum in Imperatore putamus? an quod mira corporis dexteritate, atque artuum agilitate equum generosum in crepidine perangusta moderari, ac flectere sciat: vel

quia

quia super equum ferè indomitum insidens recto corpore, cruribusque compositis, ad equestrem speciem, & elegantiam, cum habenis in manu ad exercendum, ac defatigandum equum, quem multò cursu, sursum, deorsum fræno benè moderetur? an quia tela spargere in castris habendis, aptare campum, vallum iacere, & ad certum scopum destinata librare tormenta, ordines distribuere, percurrere, subsistere, circuire, resistere, instare, dissimulare, ac tandem mutare in cornu, in fornicem, in Pyramidem sciat pugnam? etiam flexanima eloquentia animos flectit, verborum lenocinijs mulcet, ac dicendi amænitate delectat, modò orationem veluti exercitum collocat, argumentorum spiculis munit, responsionum clypeis vallat, hostem aggreditur Palladis in area; vbi tubarum clangore ad pugnam vocat cum proludit; militaria explicat vexilla, cum propositionem profert; telorum nimbos cuibrat, cum argumenta magno intellectus acumine dilucidat; tonant fulminales machinæ, cum inardescit in discursu; tandem luctatur cum aduersario, docet, triumphat; imò quid non potest dominatrix eloquentia: illa illa est, quæ dicendi copia ciuitates nonnunquam euertit, Respublicas componit, Regna sub iugum mittit, & ne dum corporibus, quod etiam belluæ gladij, enses, ac fulmina faciunt; stragem infert, sed animos flectendo in *liberis* etiam mentibus dominatum exercet, vt probem eloquentiam esse rerum omnium dominatricem.

In Panegyricis orationibus, hæc species exordij plurimum habet aucupij, sic pro Immaculata Conceptione Virginis Matris probandum possem sumere illud Thema Cant. 7. *Caput tuum, sicut Carmelus*, in exordio possem describere montem illum; deindè comparare eum cum Conceptione Immaculatæ Virginis tali pacto. Vt enim sublimi fastigio Carmelus veluti propinquos *inter* montes aquila altiùs se extollit, ac supereminet; ità vt montium Regi ipsa Sydera videantur coronam ex piropis, seù carbunculis intexere: sic Virginum regina supra humanæ maiestatis limites decora proceritate excellit, ac toto vertice supereminet, vt mirandum nemini sit, si communem hominum staturam augusta magnitudine excedit, quæ seruile sceleris hæreditarij iugum nõ subierit, vnde si Carmelo sydera ipsa diadema intexunt, etiam Ioannes syderibus illam vidit redimitam, *Et in Capite eius Corona Stellarum duodecim*.

Nonus

Nonus fons petitur ab historia reuocando ex vetustatis monumentis præclaram aliquam historiam, qua initium demus discursui; vt si vellem concionem texere super humanarum rerum fluxas dignitates, ac diuitias; inciperem ab historia Bellisarij, qui post tot victorias, opes, ac dignitates demùm spoliatus Regno, dignitate, & gaza obolum non habet.

IDEA EXORDII DEDVCTI AB HISTORIA.

Protrusus ab aduersantis fortunæ vibrato ictu populorum ille terror, Martisque fulmen Bellisarius, qui plurièshostili cruore, purpuram sibi colorarat, palmasque vsque ad pinguedinem humectarat; en è Solio in solum infelici lapsu decidit, factus fortunæ ludibrium, qui fortunas regum, atque diuitias superbo quondam pede calcabat: Spectat nunc orbis vniuersus Bellisarium infelicem, cuius sudore, & ense stabat Imperij felicitas: spectat Roma nudum, ac inopem, quem paulò ante militum infinita multitudo cingebat, vndique effusa lateribus; spectat non habentem obolum, ac stipem petentem, quem auri, argentique laminę induebant; spectat pallida fronte lachrymarum profluuios fundentem, quem Bellonæ in area viderat cruentato ferro alienum effundentem sanguinem. Hiccine ille Bellisarius Imperij gloria, Imperatorum deliciæ, Barbarorum terror, hæret mendicus ad fores templi, & obolo caret, stipemque efflagitat, millies repetens date obolum Bellisario. Hiccine Bellisarius populorum quondam amor, Imperij clypeus, Martis neruus; nunc hæret mendicus, squalore obsitus, dedecore oppressus, exhaustus fame, infamia pressus. Hiccine Bellisarius, qui sceptrum manu gerebat, nunc dumtaxat baculum loco sceptri tractat; nescias an, vt velociùs tribus pedibus ad sepulchrum properet; an vt meliùs ingentia miseriarum pondera curuis humeris, suffultisque baculo sustentet! Hiccine Bellisarius, qui quondam auro fulgens nitidissimus videbatur Sol, tot redimitus stellulis, quot micantibus gemmis, nunc laceris coopertus, fallor, vndique apertus vestibus, vt melius per patulas ianuas temporum iniuriæ ad eius excrucianda membra ingrediantur iacet; simul ludibrium puerorum, ac temporis? oh fortunæ temeritatem, ità ne ludis in capita principum, modo blandiris, modò sæuis, modo erigis, modo deprimis, oh fluxas rerum humanarum vicissitudines! sphœricus est mundus, stare difficilè potest, ad minimum auræ flatum circumuoluitur, vt di-

ſcamus nihil ſtabile eſſe præſenti in vita: dilucidabo igitur in præſenti diſcurſu huius ſphœrici globi inconſtantiam, in qua veluti in ſpeculo inſpicietis mundi vanitates.

Decimus fons amænè peti poterit à deſcriptione alicuius rei comparandæ cum ſubiecto orationis, vt ſi vellem texere Panegyricam orationem in commendationem D. Bernardi, qui ob aſſiduam Dominicæ Paſſionis memoriam, eiuſdem Paſſionis inſtrumentis pingitur, pro inuentione, ſeù allegoria continuata ſumerem florem Granadillam, qui flos omnia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta impreſſa gerit, probando D. Bernardum virtutis florem Granadillam fuiſſe, exordium à deſcriptione eiuſdem granadillæ, ſic conficio.

IDEA EXORDII FACTI PER DESCRIPTIONEM.

E Peruana, ac Mexicana Ditione ortus florum patientiſſimus, diuini amoris digito, vitalibus inſcriptus doloribus ad noſtrã tandem properauit Italiam, à Tellure fęcunda, facũdo exceptus plauſu. Flos igitur eſt Granadilla, in quo penæ, ac ſupplicia videntur degeneraſſe in delicias, ac flores; ſingulos non patientiſſimi Arabiæ cruciatus, ſed omnia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta, in florum patientiſſimo contemplamur impreſſa: extima per ambitum folia in aculeos extenuantur; forſan ne ad cuſtodiam floris deeſſent lanceæ, purpureus eſt flos, ne tantæ Paſſioni deſit ſanguis; intùs cruenta flagra, licèt in floridæ voluptatis pompam contexta videntur; vbi cernitur ſaxum in germem emollitum, & columna ex atrio crudelitatis, ad piam floris ſtructuram tranſmigrata; ibi cernitur ſpongia quondam felle imbuta, quæ licèt in ſinu floris reſideat, tamen amaritudine replet animum contemplantis, Dominicæ Paſſionis memoria; ibi vides modo ternos, modo quaternos extare clauos aptiſſimos ad animos dulciter configendos; vides ſpineam coronam, licèt ex flore compactam, quæ ſi non caput, ſaltem contemplantis mentem pungit, vides lanceam ſine acumine, quia in vulnerato noſtri Reparatoris pectore fuit retruſa, & ſi non placet infinitum beneficium in floreas notas ſuauiter contractum relegere: viuiorem Dominicæ Paſſionis Imaginem dabit Bernardus, qui verus Granadillæ flos ſingula Dominicæ Paſſionis inſtrumenta ſecum gerit.

Vndecimus fons peti poteſt ab aliqua fabula, quæ exordiorum ſpecies plurimum habet, & amænitatis, & leporis: rideretur tamen

men Orator, qui in exponenda fabula graues sententiarum figuras adhiberet; vndè quodam potiùs lepore est condienda fabulæ narratio, quæ magnam sæpè habet venustatem, & ad excitandos, exhilarandosq; auditorum animos plurimum valet; exordium ductum à fabula fit hoc modo, primo amænè, ac festiuè narranda est fabula, deindè comparanda est in fine exordij cum subiecto, de quo discurrimus; insignis est fabula illa Dodonei fontis, qui mane varios diffluens per meandros aquarum copia inter saxa dulciter ludebat, à meridie postea vsque ad Solis occasum deficiebat; quæ fabula conuenire potest illis, qui virtutis iter cum laude exorsi, sensim tepescunt, & in medio cursu deficiunt, vndè concio de perseuerantia ab hac fabella posset exordiri.

IDEA EXORDII CONTEXTI A FABVLA.

Dulcisono murmure per eruditorum ora semper diffluxit fons ille Dodoneus nomine, cuius scaturigo de scopulo prorumpens in subiectam scrobem chunchæ simillimam effundebat elegantia naturæ mirabili, tanquam artis ingenio marginatam: argenteam credidisses choncham, in qua argentei latices quiescebant, interim à quiete veluti è somno surgẽs excitatus fons per camporum amæna diffluebat, cuius crepido flosculis circumquaque variata, viuoque gramine, simùl arborum frondibus impendentibus amenissimum frigus cum odoris suauitate spargebat; ludebãt inuicem murmurantes latices per Flore sinum flexuoso Meandro diffluentes. At tanti fontis amænitas statim in fabulam abibat; à meridie enim deficiens ab ipso lucis iubare mortis vmbras videbatur exhaurire. At quid aliud exprimit fons hic Dodoneus, nisi eos, qui virtutis iter cum laude exorsi sensim posteà tepescunt, & in medio cursu deficiunt. Probabo igitur perseuerantiæ necessitatem si aures vestræ grato silentio patulæ erunt meo discursui.

Duodecimus fons peti etiam solet ab aliquo prouerbio; sic si vellem probare grandi dignitate insignitum, non tyrannidem, sed clementiam debere exercere exordium sic texerem.

IDEA EXORDII ELABORATI AB ADAGIO.

Tritum est illud Adagium, *Honores, vel mutant, vel monstrant, mores*, quippèqui dignitas tanquam lydius lapis illius mores indicat, qui ad honorem, ac dignitatem euehitur; nam vitia, quæ status humilitate tegebantur, ac veluti vmbris obuelabantur, honoris splendore deteguntur; vndè adueniente honoris luce,

ac ſplendore, qualia ſint vitia Principis patet; diù enim nequeunt latere, quæ ſuper montis cacumina collocantur: non poſſunt non irradiare gemmarum turmæ ſuper Regium diadema: non poſſunt non eluceſcere planetarum principis aurei radij, quibus totam depingit tellurem, non poſſunt non patere ſublimium arborum pendula poma, ſic vel vitia, vel virtutes, inſigniti dignitate ſtatim gradus ſublimitate omnibus patefiunt, iuxtà tritum illud adagium honores monſtrant mores: probabo igitur dignitatis adminiſtrationem à virtutum nobilitate non debere degenerare, nec vllam elationis, ac gloriæ titillationem virtutis ſplendorem obnubilare, ſed debere in Prælato virtutum omnium ornamenta emicare: cum hilaritate ſæueritas, cum maieſtate humanitas debent concordari.

Tertius decimus fons petitur ab aliquo apophthegmate præclaro, ac illuſtri: Apophthegma autem ſemper eſt dictum breue, rotundum, ac ſententioſum, plurimum autem accipit decoris ab illuſtribus perſonis; quibus maximè tribuuntur Apophthegmata; vt ſunt Pontifices, Imperatores, Reges, vt eſt maior pars Apophthegmatum Plutarchi, qui in hoc genere libellum inſcripſit, quem Traiano Imperatori dicauit, ab Apophthegmate ſic conficere poſſem exordium. Probabo diuites non viuere ſine curis, ac timore amittendi ea, quæ poſſident.

IDEA EXORDII DEDVCTI AB APOPHTHEGMATE.

Cynicus ille Diogenes, qui canino dēte improbos omnes mordebat, cui Magni Alexandri ſplendores vmbram fuiſſe vetuſtatis fatentur monumenta, qui diuitias, veluti vitia aureo pectore fugiebat, interrogatus à quodam Phyſico, cur aurum metallorum ſcilicet purpuratus princeps, hominumq; Numen impalleſceret, quod homines nō minùs, quam Nabuchi Simulacrum hiſce temporibus flexo poplite colunt, Reſpondit Cynicus, *Palleſcit aurum, quia plurimos habet inſidiatores; pallent enim qui metuunt.* Oh dignam immortalitatis ſententiam benè inſidias debet extimeſcere aurum, quod omnes lædit leges, ac iura proculcat; verecundiam, ac pudorem abigit, pudicitiam violat; iuſtitiam temerat; integritatem frangit; dignitates facit eſſe venales: imò fabula mera credatur, quod vulgò dicitur, adamantem ſolùm ſanguine emolliri. Quid enim auro eſt efficacius, etiam in ſaxis emolliendis, iurè igitur debet expaueſcere inſidias tot patrator

ſce-

ſcelerum; vnde ingruens Hieroſolimitanum Templum Eleazari cupiditas, auri magnes, ibi ferrum fuit, infelix metallum nullibi tutum, nec in templo quidem, merito pallidum, quod vbique inſidias pauet. Probabo igitur diuitias non poſſideri ab hominibus ſine curis, cum aurum inſidias ſemper paueat; nam teſtante Seneca, *Propter hoc Vxorum maritorumque noctes ſtrepunt litibus: & tribunalia magiſtratuum præmit turba*.

Fateor tamen nonnullos, & primæ notæ concionatores, me audiuiſſe exordiri à ſimplici expoſitione, ac diuiſione concionis; an autem meliùs ſit partiri orationem, an ingenioſiùs artem occultare, an auditorem ſuſpenſũ tenere; dico vtrumq; eſſe bonum pro diuerſitate temporis, & perſonæ, alij etiam exordiuntur à laude auditorum, mox à laude Sacræ Scripturæ, mox ab aliqua prophetia, ſeù figura veteris teſtamenti, nunc ab aliquo axiomate Theologico, vel à graui Sanctorum Patrum ſententia, vel ab aliqua parabola.

EXPENSIO SEPTIMA.

De Exordij Virtutibus, & Vitijs.

ENucleatæ formæ conficiendi exordia attinent tam ad ſacrã, quam prophanam exordiendi rationem: dico tamen exordia concionum, non debere admittere puerilia, verborum redundantias, vanæ elocutionis phaleras; ſed debent habere eloquentiam ſine affectatione; candorem ſine fuco; grauitatem ſine tumore: inſuper quia exordia auditorum animos permulcent, & alliciunt debent eſſe accurata, & acuta; apta verbis, inſtructa ſententijs, debent eſſe breuia, quia prolixitas, & attentioni, & beneuolentiæ multum officit, debent igitur accommodari concionis quantitati; ità vt exordium ſit, vel nona, vel octaua pars concionis; ſicuti per perfectam ſymmetriam caput humano corpori correſpondet.

Exordij vitia ex Quintil. lib. 1. ſunt ſeptem, vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, tranſlatum, contra præcepta. Vulgare eſt, quod in plures cauſas poteſt accommodari, paſſimque ab omnibus vſurpatur: commune eſt, quod multiplici materię poteſt conuenire; commutabile eſt, quod paucis mutatis,

facilè erit in plures partes flectere: longum est, quod verborum redundantia, ac sententiarum flexibus vltra quam satis est producitur, tollitque debitam corporis symmetriam: separatum est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec eius est causæ, de qua agitur: traslatum est cum ignorato genere causæ, aut dociles pro attentis, aut attentos pro beneuolis faciendis, auditorum animos mutat: tandem contra præcepta, quia nullo modo auditorum animos sibi comparat, & interdum infestos etiam facit.

EXPENSIO OCTAVA.

De Propositione.

IN Concionibus, vt plurimùm nulla adhibenda est narratio; sed statim in calce exordij figenda est propositio probanda in concione, quæ est Synopsis, ac summa totius concionis, eodem enim pacto, quo fruges in semine continentur; sic tota vis, ac ratio concionis includitur in ipso themate, ac propositione, quæ solet habere plurimum aucupij, si proponatur cum aliqua nouitate.

Propositio igitur, vt dixi supra non est pars ascititia, sed essentialis orationis; est enim circa quam versatur tota oratio, & ad quam probandam insudant omnia concionis argumenta; propositio tamen vulgaris, ac trita plena est tedij, præsertim apud eruditas aures.

Vt propositio auscultantium animos ad attendendum rapiat, vestienda est aliqua nouitate, quæ tamen intra limites veri contineatur; vt si dicas, tribulationem amicos Dei vexare; hæc propositio est intra limites veri, sin autem dicas tribulationem esse paradisum huius vitæ mortalis, est citra verum.

1 Propositio potest proponi nonnunquam sub duplici capite, quæ capita ad maiorem amplificandi segetem discutienda proponuntur, qualia essent in Euangelico de surdo, & muto, potest enim in illo loco duplici sub capite discutienda sumi propositio; in primo capite potest agi de ostinatione peccatoris, qui renuit verba Dei audire; in secundo, quod nesciat loqui, hoc est rectè operari.

2 Potest etiam fieri propositio symbolica, & est cum per symbola,

bola, & imagines exponitur, qui modus dilucidandi propositionem plurimum habet illicij, ac delectationis, vt si concionator, tractaturus de obedientia, proponeret commendandum Isaacum sub paterno cultro, & postea sub hoc typo omnes obedientiæ proprietates expenderet.

3 Vel potest proponi sub similitudine, vt cum sub ægroti imagine tota pœnitentiæ ratio explicatur; vndè loco propositionis diceret Cōcionator, se velle dilucidare modum curandi infirmum optimis pharmacis, licèt sine expensa.

4 Vel potest depingi aliqua figura instar emblematis; vt si orator acturus de puritate diceret, se velle describere, ac eloquentiæ coloribus exprimere formosam Virginem nobilem, venustam, gracilem, cui vultus sit tranquillus, placidus; frons serena, à nulla obnubilata nubecula; aut nulla mæroris, aut iræ rugositate contracta; cui supercilia non sint ad audaciæ expressionem conuexa, oculi humilitate deiecti, os multiscium, color albus, qualem fingunt in pratis lilia; hinc in eodem genere trita est auaritiæ quadriga apud mellifluum Bernardum, vbi à quatuor vehitur vitiorum rotis, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio; porrò iumenta trahentia quadrigam sunt, tenacitas, & rapacitas, & ijs vnus auriga ambobus præsidet habendi ardor.

5 Propositio, vt attentionem prouocet potest etiam proponi problematicè suspendendo auditorum animos, sit exemplum volo probare mundi illecebras esse vitandas, proponam hanc propositionem problematicè scilicet: vtrum potiora, ac grauiora sint mala, an bona, quæ mundi illecebræ causant: hæc propositio est problema hinc indè discutiendum, ac agitandum: vt etiam hæc alia; an aurum plures vtilitates, vel pernicies mundo attulerit: & propositio sic problematicè exposita latissimum, ac simùl amænum, vt consideranti patet, aperit dilatandi theatrum.

6 Propositio absoluta festiuitatem induit, si fiat comparatiua, sit exemplum pœnitentia vtilis est animæ, & corpori, hæc propositio est absoluta, fit autem comparatiua tali pacto, pœnitentia maiorem affert vtilitatem tùm animæ, tùm corpori, quam quælibet letitia huius vitæ; quę propositio comparatiua copiosam tibi aperit dilatandi messem, quia potest percurrere per omnia huius vitæ solatia à partium enumeratione.

7 In

7 In propositione etiam proponenda potest fieri translatio de genere ad genus, sic si volo commendare virtutem, dicam à contrario, nihil detestabilius inueniri posse vitio, vel si volo probare dulce esse seruire Deo, dicam nil turpius inueniri posse, quam Mundo, Carni, ac Diabolo seruire, in fine tamen laudanda est virtus, seù commendandum Dei seruitium.

8 Reduci potest etiam propositio in paradoxum, proponendo instar sententiæ, quæ sit prçter hominum opinionem, & quæ conficitur ex contradictorijs, vt si dicerem, paupertatem diuitijs abundarè, vel è conuerso, diuitias paupertate laborare, vel hanc aliam; tunc Deum maximè nostrum recordari, cum maxime videtur obliuisci; in istis propositionibus semper fit transitus de corpore ad animam, vt est illa paupertas diues, *Paupertas* connotat, priuationem auri, argenti, *Diues* indicat virtutes animæ, & hoc transitu de corpore ad animam plures effici possunt paradoxicæ propositiones, quæ auditores maximè alliciunt, & quadam suauitate perfundunt.

EXPENSIO NONA.

De Narratione in genere.

IN concionibus, quæ sæpè fiunt in genere demostratiuo, narratio non est adhibenda, sed immediatè post propositionem positā in calce exordij succedunt probationes, licèt plerique confundant narrationem, vel cum propositione, vel cum prima probatione; tamen licèt non sit necessaria narratio, nonnulli oratores in concionatoria facultate non ignobiles, post exordium subijcere solent introductionem quandam, seù perbreuem tractationem alicuius rei, quæ licèt non pertineat ad argumentum; tamen ità ei connectitur, vt videatur eius ratio, dò exemplum: concionator vult peragere de mundi vanitate, & contemptu, potest post exordium, sic introduci, quærendo scilicet, quæ nam sit vera hominis felicitas, & in quo consistat: vel si concionator ageret de inimicorum dilectione, post exordium posset introduci orator ab eo, quod sit magis obtemperandum diuino mandato, quam humano; vndè quidquid à Christo præceptum est seruari debet, ergo & Christianus præceptum dilectionis debet seruare.

Cæterùm

Cæterùm narratio eſt adhibenda in genere iudiciali, vbi in Senatu à Cauſidico narratur crimen ab aliquo patratum, hęc autem narratio debet eſſe probabilis, breuis, quæ nihil ſuperaddat, nihilque demat, clara; debet inquam eſſe probabilis, vt ei poſſit præſtari fides; lucida, vt intelligi poſſit; breuis, vt memoriæ retineatur.

Variæ ſunt narrationes nonnullæ in genere exornatiuo, quæ coincidunt, cum amplificatione, & probatione, aliæ ſunt tragicę, quæ dicuntur ſerietate, ac grauitate oratoris; aliæ comicæ, & lepidæ, quæ faciunt ad excitandum riſum, & debent exprimi per crebras formulas plebeias, ſeù adagia; aliæ ſunt funebres, ac tragicæ, quæ narrant caſus horrore plenos, cruentas clades, neces repentinas, deploranda naufragia, bacchantis peſtis ſtrages, & cętera huiuſmodi.

In genere exornatiuo, ſeù in Panegyricis orationibus nulla alia requiritur pars præter exordium, & narrationem; exordio deducto, vel à viſceribus cauſæ, vel à ſimilitudine, vel ab hiſtorijs, vt dixi ſupra, ſunt narranda à natiuitate vſque ad mortem præclariora geſta illius cælitis, quem ſumimus commendandum; quæ narratio varijs leporibus, ac veneribus intexta debet auditorum animos allicere.

EXPENSIO DECIMA.

De Probatione Orationis.

PRopoſitionem, ſeù narrationem ſequitur probatio, in qua tota vis perſuadendi poſita eſt, ac neruus, ſanguiſque orationis; ità vt neglecta probatione langueſcat tota oratio: Probatione enim noſtras roboramus propoſitiones, & aduerſariorum obiecta reijcimus, in qua reiectione plurimum laboris, ac operæ ponere debet orator, ne quid quod opponi poteſt relinquat, quod non infirmet; quod fit, vel negando quæ falſa videntur, vel ſi negari omninò non poſſunt; debet ſaltem orator oſtendere non eſſe adeò vera, vt putant aduerſarij: vel contra aliquam firmam rationem, aliam vel ęquè firmam, vel fortiorem debet adducere.

In argumentorum ſerie, quà noſtras corroboramus propoſitiones

nes seruandus est hic ordo: primo loco figenda sunt aliqua argumenta neruosiora; per medium hinc indè disseminanda sunt argumenta infirmiora, seù extrinseca, vt sunt, Historiæ, exempla, testimonia SS. PP. insuper hoc est maximè aduertendum, quod si adsit aliquod argumentum, ex cuius explicatione cætera pendeant, illud primo loco est figendum: cæterùm si in ipso initio ponatur argumentum aliquod futile; auditores, qui post propositionem in apice attentionis existunt facilè distrahuntur; & in concionibus quadragesimæ hoc est obseruandum, quod conciones fructuosiores, & acutiores, & quæ sunt magis eruditæ primis proponantur diebus, vt fama concionatoris vndique diffundatur, ac in dies gliscat audientium apparatus. Item caueat Orator, ne in probatione sterilis sit, ac ieiunus; res dialectico modo simplicibus verbis, sine vlla amplificatione enuncians: vel è conuerso caueat, ne dum hoc vitium fugere studet rem eandem alijs verbis idem significantibus sine vlla figurarum, ac sententiarum varietate dicat; aut quod fœdiùs est eandem sententiam crebro repetet: hoc enim nauseam parit in auditorum animis: insuper cum ab vno argumento ad aliud venit, debet vnam rem cum alia connectere aliqua transitione ex supra dilucidatis, istæ enim transitiones sunt veluti vincula serica, quæ & ornant orationem & *ligant*, quæ aliàs essent disparata.

EXPENSIO VNDECIMA.

De Confirmatione, & Confutatione.

LIcèt Confirmatio Confutationem etiam probet, ac illa rigorosè sit probatio, tamen post argumentorum amplificationes est addenda confirmatio; quæ est series exemplorum, vel historiarum confirmantium posita argumenta; potest etiam fieri per coaceruationem plurium argumentorum, sed hæc coaceruatio erit potiùs probatio: sic si probatum erit varijs argumentis amplificatis parcere inimico esse rem honestam; poterit confirmari exemplo Christi, qui à Iudæis laceratus, Cruciq́ue fixus, tandem Patrem æternum orabat inquiens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: vel exemplo Diui Stephani orantis pro lapidantibus, vel exemplis Imperatorum Ethnicorum, quæ tamen

exempla

exempla debent simul connecti aliqua figura repetitionis, ac vestiri aliquo dicendi flore, ac argutijs disseminari; quia exempla licet trita tali pacto in concionibus prolata auditorum animos alliciunt, simulque conuincunt.

Confutatio tota insudat in eneruandis, ac reijciendis argumentis, quæ ab aduersarijs afferuntur; confutatio enim est pars contentionis, in qua, quæ ab aduersarijs allata sunt dissoluimus, quæ rationes sunt confutandæ hoc ordine: priùs eneruabitur grauis aliqua ratio, in medio eneruabuntur fortiora argumenta, & in fine debiliora, ac minuta obiecta.

Varijs modis potest fieri confutatio primo contemptu, ac negando, v. g. esse indecorum parcere inimico hoc argumento: Christus Iesus indecorum, & quod est contra rationem non egit, & tamen Christus pepercit inimicis suis, & nos docuit inimicorum commendationem, ergo negandum est esse indecorum, ac animi vilis iniuriam condonare. Secundò, per increpationem cum indignatione reijciendo ea, quæ nobis opponuntur; vt Dij te perdant fugitiue, qui ista obijcis, discursus enim hic non à ratione, sed à sensu, ac passione ducitur. Tertiò, si probetur, factum, aut dictum aduersarij pugnare moribus vitæ, aut conditioni, quæ profitetur; vt in exemplo allato vindictam sumere repugnat Christi fidelis statui, ac conditioni; debet enim Christi fidelis eiusdem Christi vestigia sequi; aiente Apostolo, nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quartò à repugnantibus probando rationes allatas ab aduersario ne dum non facere ad rem, verùm repugnare rei, vt vindex ait, hostem occidere magnum afferre honorem, ac gloriam, probandum est, imò repugnare gloriæ, ac honori; maxima enim gloria est maximumque Imperium imperare sibi, ac irascentis animi motus regere; è contra dedecus esse nescire habenas inijcere irascentis animi motibus; vt esset hosti haud parcere, quod repugnat vere gloriæ.

EXPENSIO DVODECIMA.

De Peroratione, & extremo Orationis Actu.

FInem esse operis coronam vulgatum est axioma, itaque peroratio coronamentum erit orationis; atque adeò pars orationis ab oratore non negligenda: imò eò magis excolenda, quò

vltimo loco posita aculeum auditorum mentibus infigere, & more apum relinquere debet: hinc Henricus non tam in politica, quam in oratoria facultate Rex inuictissimus aiebat, oratores ex perorationibus cognosci, euenit enim plerumque, vt splendidis initijs humilis nimis respondeat exitus.

Peroratio etiam dicitur epilogus, quia paucioribus verbis stringit ea, quæ antea pluribus sunt dicta, dicitur etiam conclusio, quia orationem claudit. In peroratione breuiter sunt repetenda argumenta probationis, non quidem eodem modo, ac fuere dicta in probatione tęderet enim auditores, eadem bis audire; sed sunt repetenda cum aliquo verborum, ac argutiarum ornatu; in texenda hac parte insignis erat ex nostra Familia P. D. Placidus Carasa nunc Episcopus Accerrensis Vir non minus nobilitate Sanguinis, quam ingenio clarus, cuius conciones primos, Italiæ, Germaniæ, ac Sabaudiæ suggestus illustrarunt; cuius fama adhuc per totam resonat Italiam, is igitur iam medietatem Concionis Romæ in Augusto Templo S. Andreæ de Valle recitauerat, cùm de repente concionem auditurus Eminentissimus Card. Sforzia adfuit, cępit ille, quæ ante recitauerat, tanta dexteritate repetere, tanta figurarum varietate, ac sententiarum claritate; vt Concionis epithome videretur didicisse.

Pars igitur ista imitari debet Achatem Lapillum pretiosum Pyrrhi Epirotharum Regis, vbi Apollo cum Lyra vna cum nouem musis videbatur insculptus; vel Iustiniani Imperatoris mensam in Templo Diuæ Sophiæ expositam, in qua compendiosè omne orientalium lapillorum genus insitum erat.

Item peroratio, vt de tota oratione triumphet debet mouere affectus, lachrymasq; excitare; hoc tamen est animaduertendum; quod Orator debet priùs excitare in se affectum illum, quem vult in auditoribus excitatum, affectus non sunt excitandi clamoribus, sed rationibus: hinc est quod nonnulli perorant non repetendo supradicta argumenta, sed increpando: vndè apud Recensiores peroratio fieri ampliùs non solet Scolastico stylo ea scilicet repetendo ad ostentationem memoriæ, quæ per totam orationem longè, lateque sparsa fuerint; sed per acrem quandam exortationem, vel nouas adducendo rationes, vel delibando ex discursu efficaciores, quibus infixos aculeos intimis auditorum pectoribus relinquat, vel per Apostrophem, vel per Interrogationes,

nes, quæ vel supradicta repetant, vel aduersarios vrgeant, vel per Prosopopæiam rerum inanimatarum, aut per Aethopęiam personarum, vel per aliquam grauem auditorum reprehensionem.

Amplificatio etiam in epilogo adhibenda est, & licèt per totum orationis corpus peragenda sit, in fine tamen orationis, quando auditor flectendus est, vel à turpi actione deterrendus debet amplificatio esse magis vehemens: perorata enim iam causa velutistrue lignorum compacta affectuum flamma consurgit, quæ tanto erit ardentior, quanto probatio fuerit firmior, & efficacior: audi D. Augustinum Africanum illud sapientiæ, & eloquentiæ monstrum, ait ipse lib. 4. de Doctrina Christiana. Si qui audiunt mouendi sunt potiùs, quam docendi, vt in eo, quod sciant, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes, & coercitiones, & quæcunq; alia quæ valent ad commouendos animos sunt necessaria; cum id docetur, quod agendum est, & ideò docetur vt agatur: frustra persuadetur verùm esse, quod dicitur; si non ita dicitur, vt agatur; oportet igitur eloquentem Ecclesiasticum quando suadet aliquid, quod agendum est, non solùm docere vt instruat, & delectare vt teneat, verùm etiam flectere vt vincat; est igitur ità flectendus, vt moueatur ad agendum: & sicut delectatur si suauiter loquaris; ità flectitur si amet, quo polliceris; timeat quod minaris; oderit quod arguis; quod commendas amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat; cum quid delectandum prædicas, gaudeat; misereatur eorum, quos miserendos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis, & quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commouendos animos auditorum; non quid agendum sit, vt sciant, sed vt agant, quod agendum esse iam sciunt: si autem nesciunt, priùs vtique docendi sunt, quam mouendi: hæc Augustinus, qui eleganter Rethoricę finem, eloquentiæ vim, & oratoris officium expressit.

(✠)

EXPEN-

EXPENSIO DECIMA TERTIA.

Qui nam sint veri concionum caracteres.

APOLOGIA ARGVTAE ELOCVTIONIS.

Diuus Ioannes Chrysostomus, qui licèt contra persecutionum procellas ferreus fuerit, ac æneum pectus obiecerit aduersantis fortunæ ictibus, eloquentia tamen aureus, veram Christiani Rhetoris ideam suis expressit in operibus: vtinam in hac ferrea hominum ætate aureum virum imitarentur concionatores, certè non in vanissimas fucatæ eloquentię phaleras irrumperent, verùm aculeato germanæ elocutionis telo hominum pectora confoderent, ac à vitio reuocarent perditissimas hominum turbas: vtinam inquam imitarentur aureum virum, cuius vita perpetua fuit vitiorum censura, viua imago virtutis, norma morum, cuius mens virtutibus, & sapientia ferax, nunquam asperitatibus rerum potuit torpescere: certè pueriles verborum redundantiæ ineptè non obstreperent vsque ad piarum aurium fastidium.

Quid aliud sunt? huiusmodi notæ concionatores, qui phaleras dumtaxat, ac fucos disseminant; quam cytharæ alijs armonicę, & vocales, & sibi mutæ? quid sunt? quam tormenta bellica multò onerata puluere, sed ad rumorem tantum, non ad ictum? Quid sunt? quam Chelis, sed Dauidicæ opposita ad accendendos (horret lingua) non extinguendos insanos spiritus? quid sunt? quam Prothei ab antiquitate ficti, aquarum scilicet numina, & tamen insanos ignes spargunt? quid aliud est horum concionatorum eloquentia? quam floreus hortulus ad voluptatem, non pomarium ad vtilitatem? quam sterile ver non fęcundus autumnus? quam melleus fauus, sed in faucibus extincti Leonis? quam frigidus pretiosi carbunculi ignis? quam Eliogabali floreus nimbus? quã aqua è canali non è fonte emanans? Quid inquam sunt horum concionatorum verba, quam syrenulæ blandulæ, quæ non epinnicia, sed epicedia canunt; quid inquam est eorum elocutio? quam Priami imbelle telum ad vulnus infligendum, ac ad confodienda pectora nequaquam validum.

Et quod peius est non sine ingenti plausu ab ineptis audiuntur, ac si veros eloquentiæ flores spargerent, oh inscitiam deplorandam!

dam! alij commendant, mellitos verborum globulos, quibus tota perpluit concio, alij solis descriptionem aureis expressam eloquentiæ coloribus supra eiusdem Solis sphœram euehunt: vtinam propè Solem Icario lapsu eruditorum cognitione in ignorantiæ baratrum non ruerent! alij vna cum tumidis maris fluctibus descriptam nauim inter tumultuantes procellas euehunt: alii descriptam auroram roseis labijs, ac delicatissimis expressam lineamentis, viuisque illustratam coloribus super sydera extollunt, quę tamen omnia, ita inter sese cohærēt, vt ceruix equina cum humano capite, vt cecinit Horatius: non sunt isti *laudatores*, sed *adulatores*: vnde in hisce talibus verificatur, quod purissimo anagrammate, *laudator*, & *adulator*, idem sunt.

At procul à Christiano oratore vanissimæ, fucatæ, ac puerilis eloquentiæ phaleræ, quæ Ecclesias ipsas in scenas, & conciones in theatrales ludos nituntur conuertere: procùl à Christiano oratorę futiles comparationes Andromache cum humana natura; Persei cum Christo; Iouis cum Spiritu sancto; ac Danee cum Virgine Matre; Pandoræ cornu cum æterna Beatitudine; Sisiphi cum Inferno; anguis caudam sibi mordentis cum æternitate humani generis reparatorem cum Orphæo; Atthici cum D. Paulo; Thucididis cum D. Petro; Apollonij cum D. Luca; ac Helenæ, non audeo dicere, cum Immaculata Virg.: quid enim aliud est hoc, nisi diuina, humanaque omnia confundere: at si verùm fatear veluti Gigantes ob tantum tumorem, & superbiam confundentes linguas, ac sacra prophanis, non orationem, sed Babel videntur astruere, & nùllus eruditorum audebit nugatores adolescentulos germanæ eloquentiæ corruptores redarguere: procùl à vera eloquentia minutæ phaleræ; procùl à Christianis oratoribus hæ litteræ, quæ puritatem oblitterant; procùl è sacris suggestibus prophani oratores, qui noxia suauitate ità mulcent aures, vt mentem capiant, & sub phaleratæ eruditionis velo venena euomunt; & sub eloquentiæ pallio peremptura toxica tegunt, & lenocinantis ineruditæ eruditionis spongia nouaculam habent, qua auditorum mentes secant, vndè iustè contra istos seuiebat D. Hieronymus, *Sua omnes suauitate delectant, & dum aures versibus dulci modulamine currentibus capiunt animum quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt*; quia sub mellitis verbis venena, sub festiuis salibus toxica, sub facetis leporibus aconita spargunt.

Obij-

Obijcere tamen, quis mihi poſſet; ergo ne ethnicæ elocutionis luxuriantes, ac ſuauiſſimi flores emarceſcere debent in obliuionis ſarcophago? an non, & omnes Sancti Patres hiſce Veneribus, ac ſalibus Atticæ elocutionis vſq; ad pompam ſuas exornarunt orationes?

Reſpondeo, SS.PP. omninò eſſe imitandos; vtinam huius tempeſtatis intempeſtiui concionatores hanc eruditionem ſibi proponerent imitandam, certè non audirentur tot ineptiæ, tot verborum ſuperfluæ redundantiæ, tot pueriles phaleræ: ſed eloquentia candida, neruoſa, erudita: quæ ſimul, & alliceret, & doceret, & moneret adſtantium animos: ſunt enim adhibendæ eruditiones, ſed cum ſale, & adornatum neruoſæ eloquentiæ; nam lege Sanctos Patres, & floridam eloquentiæ amænitatem feſtiuè, & grauiter ridentem inuenies: an non Africæ illud ſapientiæ monſtrum Auguſtinum, dico (felix Africa ſi crebro talia parturiret monſtra: quanto libentiùs diceremus, quid noui fert Africa) nonne inquam D. Augu. qui moribus, & doctrina fidem ornauit, æquè ſcribenda faciens, ac legenda deſcribens; qui veluti ſol licèt eruperit à Iuuentutis ſuæ tenebris, poſtea tamen omnium Hæreticorum vmbras ſuæ eloquentiæ, ac doctrinæ radijs fugauit, qui tenebras ſuas dum in lucem edidit illuſtrauit, nunquam enim ſolem puduit, è tenebris erupiſſe: non ne inquam D. Auguſtinus de doctrina Chriſti cap. 40. poſt quam eloquentiæ diuitias à profanis autoribus monuerit eſſe repetendas, nonne ait: *Aſpiciamus quanto auro, & argento, & veſte, ſuffarcinatus exierit ex Aegypto Cyprianus Doctor ſuauiſſimus, ac Martyr beatiſſimus: quanto Lactantius? quanto Victorinus? Optatus? Hilarius, vt de viuis taceam*; ſed vt videre eſt Sancti hi PP. vſi ſunt quidem Atticis amænitatibus, ſed non ad phaleras, verùm ad neruoſæ eloquentiæ ſuauitatem.

Et D. Baſilius vir non minùs ſanctitate vitæ integerrimus, quã caſtitatis, & florentis eloquentiæ candidiſſimus? non nè inquam in illa oratione, quam habuit ad Iuue. de vtilitate ex Græcorum ſcriptis percipienda, apertè ſuadet adoleſcentibus, vt Poëtas, Hiſtoricos, Oratores, frequentent, à quibus aliqua vtilitas in animi culturam erumpere poſſit? non ne ſcripta Diui Ambroſij eruditionum redolent amænitatem, ac varijs eloquentiæ floribus conſperſa odorem ſpirant ſuauiſſimum, tanta orationis maieſtate, vt

ſuaui

suaui quodam terrore, & simùl mulceat, & terreat? non ne Diui Zenonis Epis. Veronensis compositiones floribus amænè luxuriant vegetis omnibus, ac illuminatis Rhetorum coloribus, & ad grauitatem simùl, & amænitatem festiuè delineantur? non ne D. Leo Papa Vir non minus sanctitate vitæ, quam ingenij præstantia clarissimus, simùl cum periodorum rotunditate ornatæ elocutionis floribus amænissimum aperit legendum suis in voluminibus Aprilem; vt suauitate quadam animum repleat? non ne D. Gregorius Nanzianzenus æquè bene dicendi, ac benè viuendi arte conspicuus, qui bonarum dumtaxat artium capax, malarum omninò incapax, vt Mineruam raperet, Athenas perrexit; vbi in grandi surgebat statua sculpta Pallas: & ità eam coluit, vt mereretur habere, ac secum ferre in alias Vrbes, quas Cælestis agricola, sic coluit, vt iacta sapientiæ semina statim fęcundam in segetem fructuum spiritualium erumperent? non ne inquam aureus vir in adamantinis suis orationibus lepore, ac festiuitate quadam ingenuæ dulcedinis varias diuidit descriptiones, varia recenset Ethnicorum commenta; non ne poëtā agens non minùs vtilis, quam amænus, omnes eruditionis flores veluti in Emporio exponit legendos oculis, manibus? non ne in ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis Diuus Clemens Papa epistolas, ac recognitionum libros, eò conscripsit stylo, qui instar christallini, ac redundantis amnis labitur sine sorde? non ne Iustinus Martyr ob fecundam multarum rerum eruditionem, & castam robustæ orationis sobrietatem reditur apud sapientes admirabilis? non ne D. Maximus Taurinensis capacissimam mensuram nominis omni eruditione exæquans, ac ingenij claritatem eloquij nitore componens; non ne inquam illustri sua eruditione in eruditorum animos festiuè se se perfundit, & candido eloquentiæ latice eruditorum sciendi sitim videtur extinguere? non ne D. Ioann: Chrysostomus, non minus tollerantia ferreus, quam eleganti elocutione aureus sinuosis dicendi flexibus in omnem dicendi eruditionē amænè deuoluitur, ac delicatissimis expresiā prębet Rhetoricæ coloribus eloquētiā? non ne D. Paulinus Nolanus, & sanguinis, & eruditionis claritate illustris; in sinu Musarum educatus, ac Apollini carus, quia clarus carmine, cum dicendi ardore, ac candore omnes argutæ eruditionis flores expræssit? non ne & Arabiæ patientissimus Iob præstantis ingenij acrimonia eruditis etiam luxuriat dicendi floribus?

 vide,

vide, quam amænè, quam festiuè bellicosum equum describat? *Nunquid præbebis equo fortitudinem; aut circumdabis collo eius hinnitum? nunquid suscitabis eum, quasi locustas? Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, & in occursum pergit armatis: contendit pauorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus. Feruens, & fremens, sorbet terram, nec reputat tuba sonare clangorem; vbi audierit buccinam, dicit vah! procul odoratur bellum, & hortationem ducum, & vlulatum exercitus.*

Quid de Magno Hieronymo dicam, de leone illo Bethleemitici antri, qui doctrinæ suæ rugitu ab Oriente perterrefaciebat crudeliora monstra, quæ per Occidentis oras ore multiplici virus perniciosi dogmatis hæresum euomebant, quid inquam de Hieronymo dicam? cuius ingenium olimpica sublimitate super mortalium metas excelluit, cuius mens omni gaza ditior fuit, cuius os multiscium eruditarum linguarum varietate admirationem peperit, cuius pectus, ne dum omnium scientiarum fontibus irriguum, sed in quo veluti in speculo ipsa se se componeret magnanimitas propugnaculum fuit Catholicæ veritatis: non ne inquam tantus doctor omni eruditionum genere ornatus, structuram orationum tanta concinnat dexteritate, ac amæno eruditionis flore, vt lector credat se non orationes legere, sed iucundum aliquod carmen suis auribus instillari? quid dicam de D. Gregorio Papa, qui suis in moralibus lucubrationibus cum grauitate, ac neruo eloquentiæ, ità amænæ elocutionis flores coniunxit, vt nescias, an eius compositio viridarium sit, an pomarium? Quid de Clemente Alexandrino viro perfecti iudicij, & limatissimi ingenij dicam? qui tantum à fuco, & calamistris puerilibus discessit; quãtum amplitudine, ac eruditionum varietate, & orationis grandítate ad verę eloquentiæ culmen assurgit? Quid de Cyrillo dicam? qui inter eloquentes summè doctus, & inter doctos, summè eloquens fluido, ac benè compto orationis flumine compositionum suarum structuram, ità composuit suauem, & argutam, & eruditione disseminatam, vt lectorum animos vsq; ad delicias alliciat? Quid de Christiano Pindaro hoc est de purpurato ob sanguinis effusionem Iustino Martyre loquar, cuius in compositione tot videntur aculei, ac lumina, quot in Cœlo sydera? Quid de mellifluo Bernardo dicam? qui summa dictionis felicitate præditus

lacteos

lacteos latices ob eloquentiæ candorem, ac eruditionum dulcedinem perfundit?

Germanus igitur concionis character Sanctorum Patrum stylo, ac methodo debet omninò conformari, dictio enim debet esse suauis, ac pellucens, quæ vocibus vtatur temperatis, nec nimis atticis; quo fit vt concio, nec natiuam sermonis gratiam corrumpat, nec in contemptam degeneret exhilitatem, ac pueriles fucos, sed summam sine affectatione habeat simplicitatem, atque iucunditatem; magnam in narrandis historijs suauitatem, periodos contortulas, & elegantes: deindè concionis characteres eruditionis, ac candidæ eloquentiæ splendoribus omnis obscuritati umbram fugēt, sæpè enim orationis gratiam, ac venustatem obscuritas corrumpit. Cauendum est etiam; ne figurarum affectatione in multa frigida dilabatur concio, ac intempestiuos excitet animi affectus, quem errorem notauit D. Ioann: Chrysostomus in Libanio inter æui sui sophistas florentissimo, qui norma fuit Atticæ dictionis, eius tamen intempestiuos affectus irrisit aureus Chrysostomus in Oratione de S. Babyla Martyre. Demùm concio virilis esse debet magni ponderis, profundæ intelligentiæ, ac argumentis solidis pertexta, in ea grauitas esse debet in afferendo, contemptus minutiarum: conciones verò, quæ habentur apud principes sint magnificæ, puræ, electæ, parcæ verborum redundantijs, amplæ sententijs, sensu simplici, ac prudenti.

EXPENSIO DECIMA QVARTA.

De Grauitate, Acrimonia, & suauitate concionum.

ELegans Orator, qui ineptos verborum fucos per concionem non diffundit; grauitate in dicendo debet excellere, cuius tamen viam non omnes norunt; quo fit, vt potiùs inflatum dicendi genus procreent, quam assurgant ad solidam maiestatem eloquentiæ: oratoriæ grauitatis subiectum argumenta sunt, per quæ oratio grauitate fulcitur, sita est etiam grauitas in apta quadam rerum dispositione; qua omnia ordine dicuntur, ne pes capiti, aut pectus cruri iungatur, sed ex pulchra membrorum compage optima totius corporis symmetria consurgat, in qua dispositione, vehemens, acris, ac furore quodam incitata affectio de-

bet audiri: errant enim, qui putant furorem tantum ad poëtas attinere, si enim sit moderatus, ac verborum proprietate contextus grauitatem etiam sapit: vndè orator pro rei opportunitate, ità incendi animo debet, vt vis caloris faciem inflammet, scintillēt oculi, totusque ardeat; deindè concionis dictio sit neruosa, grauibus structa tropis, non affectatis, aut violentis, grandis, rotunda, ac à puerili cultu aliena.

Alia concionum genera sunt magis acuta, quæ acrimoniam sapiunt; & hæ conciones quodam vestiuntur dicendi flore, & obarmantur non ad exitium, sed ad mulcendos animos varijs acuminibus, vt est illud Theocriti contra Antigonum Monoculum; hic quia loqui voluit contra Regem tacere semper fuit coactus, promiserat ei veniā bonus Rex, si supplex venisset in aspectū Regis, quapropter rogatus à suis, vt ánte Antigoni oculos veniret certus, ipse Regem irridens, dixit; *Impossibile est: hoc actum est de me ante oculos Regis venire non possum*; dixit ante oculos pluraliter, quia vnus ei deficiebat oculus: vel hoc aliud de Dino adolescentulo varia imbuto eruditione, qui prouocatus à senibus, vt secum academicè disputaret, *Non faciam*, inquit, *nimia disparitas est; vos pugnam feritis ante domos vestras: hinc solito animatiores estis*: erant enim senes illi propè cemiterium: vel illud Virgilij, qui accusatus, quod Homerum lectitaret, & ex Homero illos legeret flores, quibus Heroicum suum poëma coronauit sapienter dixit, *Magnarum esse virium auferre clauam de manu Herculis*: vel illud Cic. qui contra Caninium diurnum Consulem sic argutè locutus est: *Grande prodigium patres conscripti Caninio Consule, nec pruina, nec ver, nec æstas, nec autumnus, nec nox fuit*: vel illud Asinij Pollionis, qui ludens cum Augusto, & repræhensus ab eodem, quod argutè non responderet in Epistola dixit, *Non esse ità facilè in eum scribere, qui potest proscribere*: vel illud Augusti vtraque coronatus lauro Martiali, ac Apollinea, qui vbi inaudiuit Galbam egregium Oratorem, à quo cum interrogaretur, num optimè perorasset, & si quid mali commissum esset corrigeret, dixit, *Monere quidem possum Galbam, corrigere non possum*, præminenti enim gibo deformis erat; vel illud ęquiuocum contra Neronem, qui *sustulit* matrem hoc est enecauit, & cōparatur cum Aenea, qui *sustulit* patrem, scilicet portauit super humeros, vt ex incendio ardentis Troiæ liberaretur,

Quis

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem,
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.
vel illud Crassi in Lamiam deformem: *Audiamus pulchrum puerum.* At ille acutè retorsit, *Vultum mihi fingere non potui, mores potui.* Ex istis acuminibus alia sunt grauia, quæ hoc genus elaboratæ orationis maximè venustant, quibus acuminibus vsi etiam sunt SS. PP. sobriè tamen, & ad grauitatem orationis.

Aliæ postea sunt conciones magis lenes, quarum suauitas sita est in modo dicendi, in rebus, & structura verborum, ad hæc capita reducuntur etiam, quæ suauitatem pariunt scilicet inuisa, inaudita, noua: ad noua,& inaudita reducuntur,vel historiæ,vel fabulæ, quibus primæ notæ Oratores suas ornarunt compositiones ad aucupium, & voluptatem; placent etiam descriptiones earum rerum, quæ nobis sensu sunt suauia, vt est vermiculatum syderibus cælum, luxuriantia florum varietate prata, cãporum tractus, nemorum vmbræ, pellucidi amnium liquores; quæ omnia si quadam dicantur amænitate animos maximè mulcent; pro orationis suauitate etiam Cic. sic præcipit. *Suaue genus erit primum elegantia, ac iucunditate verborum sonantium, ac lenium; deinde coniunctione, quæ nec asperos habeat sensus, neque disiunctos; atque biantes: & sit circumscripta periodus non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apta, habeatq; similitudinem, æqualitatemq; verborum, tum ex contrarijs sumantur, crebra crebris, paria paribus respondeant, relataque ad idem verbum, & geminata, atque duplicata, vel etiam sæpiùs iterata ponantur.*

EXPENSIO DECIMA QVINTA.

De materia, & forma concionum.

EGimus supra de tota concionis symmetria, mox tractandum remanet de materia, & forma, eiusdem concionis: materia igitur duplex est prima vna, secunda alia,eodem prorsus modo, quo in composito physico datur materia prima, quæ est primum subiectum recipiens formas substantiales; & secunda, quæ est totum compositum physicum materiale: sic in concione materia prima est thema ex Sacra Scriptura depromptum, quo totam construimus concionem; licet videatur facilè ex Sacra Scriptura

thema

thema eruere, tamen non minimæ est prudentiæ illud seligere thema, quod adamussim probetur, & conueniat tempori,& loco; materia secunda continet argumenta, probationes, historias, apophthegmata, adagia, axiomata; & omnia,quæ ad probandam propositionem spectant: hæc argumenta petuntur ex locis communibus; & in concione sunt benè distribuenda; ità vt adhibeatur apta rerum collocatio, & omnia ordine dicantur; ne pes capiti, aut pectus cruribus ponatur,quod vt faciliùs assequatur duas figuras notat Hermogenes ad dispositionem commodas, transitionem, & ratiocinationem; transitio est, qua ab vno ad aliud gradimur cum ordinis dignitate, vt dixi supra: Ratiocinatio est, qua rationem facti subijcimus.

Forma concionum multiplex est pro vario dicendi modo, forma enim est modus, qui determinat materiam, seù totam concionem, vt sit, vel in genere Suasorio, vel Exornatiuo, vel Didaschalico: aliæ igitur sunt conciones adhortatoriæ,in quibus præcipua concionum pars est sita, vt sunt conciones, quæ ad pœnitentiam, charitatem, patientiam, & similes virtutes adhortantur: Aliæ sunt conciones in genere reprehensorio, vt quæ in corrigendis hominum vitijs insudant; vt sunt Prophetarum minæ, Isaiæ oracula, Hieremiæ lamentationes. Aliæ sunt consolatoriæ, quæ conficiuntur ad pusillanimos recreandos; vt si probetur, tribulationes esse Dei munera, ac visitationes. Aliæ sunt Didaschalicæ, vt quæ in quæstionibus explicandis laborant, vt sunt conciones; quæ agunt de fide, visione clara Dei, Gehennæ tormentis. Aliæ sunt in genere exornatiuo, quæ maiores exigunt dicendi vrbanitates, ac flores; & licèt omnis, quæ habetur de rebus diuinis concio, plus olere debeat grauitatis, ac sanctimoniæ, quam artis, & culturæ, tamen conciones, quæ habentur de Christi Natiuitate, de Beatissima Virgine,de Cælitibus contexi debent aliqua maiori amænitate, qua affectus, gaudij, amoris, in auditoribus excitentur: secùs alia concionum genera minus concinnitatis, sed plus roboris, ac nerui exigunt.

Quia verò pręcepta sine praxi semper mihi visa sunt horologia sine motu, corpus humanum sine spiritu; ideò non incongruum mihi videtur contextam concionem hic subijcere. Fruatur igitur thema ex floridissimo Scripturæ Viridario: sic si volo probare in genere cōsolatorio tribulationibus vexatos esse amicos Dei, atq;

adeò

adeò debere non triſtari, imò gaudere anguſtijs oppreſſos. Pro themate poſſem accipere illud ex Cantico Prophetæ Habacuh 4. vbi loquendo de Iuſtis, & amicis Dei, ait, *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*; igitur poſito hoc themate ſic concionem conſtruo.

IDEA CONCIONIS IN GENERE SVASORIO.

Nunquam Planetarum Princeps debellatis nocturnis cimmerijs aureis ſuorum radiorum iaculis, triumphator lucidum ſuper currum aereos campos percurreret: niſi ſubditorum ſyderum turbæ luctuoſis indutę veſtibus in roſcidas priùs liqueſcerent lachrymas, defuncto Principi, ac in occaſus ſarcophago conſepulto parentaturæ. Nunquam ridenti ſub aprili aureus Phæbus placidam cæleſtis Tauri ſedem occuparet; qui veluti fortiſſimus cæli Atlas proprios ſuper humeros mundum illum ſphœricum lucis ſuſtinet, nempè Solem; vtpotè Sol in Tauro lucet illis diebus; vbi Sol quaſi verus Iuppiter in aureas radiorum pluuias videtur in terrã ruere non mentitam fecundaturus Danaen; verùm benignis influxibus telluris ſinum; vbi nouus Briareus mille vndique ſpargit aurea radiorum brachia liberaturus è terræ viſceribus amænos Floræ partus, vel quaſi artificioſa vrſa tot linguis, quot radijs perpoliturus rudes naturæ fœtus, niſi priùs ex Hyemali poſtliminio, hoc eſt è mortis ſarcophago Phœnicio more ad vitam conſurgeret: nunquam mille variata coloribus luceret iris, quà Cælum ipſum ſua videtur extendere gemina brachia in terræ amplexum, ac ad oſculum pacis figendum, vel ſuum appendere arcum nubium clauo in ſignum Fœderis, ac extincti belli, vel fortiſſimum componere pontem, vt mutuo commercio cum tellure familiaritatis munus exerceat, niſi priùs horrida ſæuiret tempeſtas.

Quippè qui Deus varijs tribulationum procellis nos in hac mortali vita vult vexatos, vt æterna poſtea fruamur Beatitudinis ſerenitate; vndè Propheta Habacuch loquens de Iuſtis, ait, *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ:* Deus igitur nos amore proſequitur, quando multiplici aduerſantis fortunæ ictu nos ſauciat: terræ promiſſæ callem aperit, quando per mare Rubrum mille afflictionum nos ducit; ſanat, Achilleio more, cum tribulationum iaculis nos vulnerat; probabo igitur veram Dei amicitiam cognoſci ex tribulationibus, ac iuſtorum viam aduerſitatis eſſe iacula.

Finxere

Finxere Poëtarum commenta non tonantem, sed armatum Iouem, qui dextera acutum stringebat telum, quod tamen in terram nequaquam euibrabat, nisi Vulcani in officina succedendum tradidisset: somnium certè poëtarum fuit istud: veritas tamen est infallibilis summum Deum tribulationum iacula in homines non torquere, nisi priùs in ardentissimi sui amoris igne ea inflammet, iuxtà Dauidicum oraculum *Sagittas suas ardentibus effecit*; hoc est vt legunt alij, *sagittas suas cum amore impleuit*.

Et certè purpureis suorum vulnerum characteribus, super propriæ pellis papyrum impressis; quod vobis probandum proposui perlegendum præbet Arabiæ Patientissimus: Erat hæc patientiæ, ac sanctimoniæ vera idea, vir simplex, rectus, ac timens Deum; quidni euibrat in eum tribulationis iaculum ipse Deus, quo habenas laxat ventorum turbinibus, excitat sonoras aëris procellas, effundit violenti motu è cælorum fractis, scissisque nubibus, flammarum eluuiones, & statim ab omni parte cæli emicare fulgetra, circumuolui nubium globi videntur cum assiduo cæli fragore; atque ruenti palatio tota perit familia; nec finem imponit tanta strages Iobi vexationibus: imò secundum euibrat Deus tribulationis telum, tam vehementi impetu, vt è solio in solū prosternat; & è troni diuitijs, ad mendicitatis pauperiem; ex holosericis vestibus ad indignam nuditatem, ex felicitatis cumulo, ad miseriarum baratrum; vbi fracta membra mentis dumtaxat integritatē, & fortunæ vicissitudines, inconcussam animi constantiam indicant: en igitur viua sanctitatis idea, en expressa patientiæ imago: en vir secundum cor Dei factus est omnium miseriarum ludibrium aduersantis fortunæ ludus, imò eò deuenit, vt non amplius Iob cognosceretur, in ipso Iobo; quia non membra ampliùs videbantur in membris, non amplius cernebatur in ipso corpore semimortuo, verùm viua tormentorum Gehenna; vbi vulnerabantur ipsa vulnera, quæ ob multitudinem vnicum tantum conficiebant vulnus, in quo veluti in lacuna oppleta sanguine demersus cernebatur miseriarum ludibrium Iob: si Socrates naturam increpuit, eò quod fenestram non aperuerit humano pectori, certè in lacerato Iobi pectore hic naturæ error non videbatur, dum mille propè cor vulnera patebant: & quis crederet modo, huiusmodi vibrata tela sagittas esse amoris? & tamen hoc asseruit aureus Chrysostomus in Iob: inquiens, *Neque enim in trono sedens, tam*

illustris

illuſtris fuit, quam ille tunc in Sterquillinio; ſic clarus, ac celſus erat; ideò ſauciabatur, quia diligebatur: Iacula igitur fuerunt diuini amoris, quia dum vulnerabant membra corporis, tot alia aperiebat ora Heroum buccinatrix Fama, vt eum per totam commendaret poſteritatem; quando cruoris riuuli è patulis emanabant vulneribus, tunc purpuram perennis gloriæ ſibi colorabat, quando denudatum ſe vidit omnibus facultatibus, tunc verus Athleta ſic nudus ad acriorem ſe parabat pugnam, ac ad victoriam, quî verum eſt vt aſſerebam tribulationes eſſe diuini amoris iacula, quibus ſauciantur amici Dei non ad necem; ſed Achilleo more ad animi ſanitatem, ac gloriam.

Verùm ad quid ex iam ſeneſcente vetuſtate, ſacroq; ex codice illuſtriora reuoco facinora? forſan alia recenſiora deerant recenſenda? figite, ſi placet, mentis acies ad prima naſcentis Eccleſiæ cunabula, & grato ſpectaculo videbitis aurea Saturni ſecula felicius non regnaſſe, quam cum ſub tyrannide Neronis, & Diocletiani ferrea perſecutionum ætas humanum ſitiebat ſanguinem. Fateor equidem, illis diebus ſerenioribus cælo, quia inter perſecutionum turbines, erant lugubri pulla vallati, in cælum euolaſſe turmatim Martyres, at ſagittæ, quibus ſauciabantur, vulnerabantur, diſecabantur, illis componebant alas ad volatum: tunc texebantur triumphales lauri coronæ, at inexorabilis Libitinæ acerba falx ramuſculos in reciſis Martyrum artubus obtruncabat. Tunc nitidius fulgebat Chriſti militum conſtantia, ſed inter ſplẽdores voracis flammæ: tunc fęcundius, ac facundius germinabant palmæ, commendabantur triumphi, ſed reciſæ corporis venæ palmas ipſas humore proprio humectabant: gliſcebant lauri, ſed madefiebant à lachrymis, igneſcebant Martyrum purpuræ, ſed ab effuſo colorabantur cruore: tunc innocentiores liliabant columbæ, ſed inter accipitrum rapaces vngues: pulchrius candicabant puritatis lilia, ſed inter enſium gladiorumque ſpinas, vt verè florerent lilia inter ſpinas; ſuauiùs canebant caſtitatis Cygni, ſed in extremis vitæ conſtituti: tunc nitidiora ſcintillabant ſydera, ſed inter carcerum tenebras, pretioſius eruebatur aurum, ſed ab auri fodinis ſubterraneæ Romæ; recenſiores vernabant charitatis roſæ, ſed inter flammarum globos: tunc tutiores erant beatitudinis calles, ſed quando crebriores tendebantur inſidię, breuior erat via, ſed quando prolixior erat pugna: velocior curſus, ſed quando

ensium acumina, veluti calcaria carnes pungebant: tunc triumphabat spiritus, sed quando dilacerabatur caro, coronabatur patientia, sed quando grandiora, ac prolixiora erant supplicia: epulabatur anima, sed quando torrebatur corpus; inebriebatur spiritus, sed quando è fractis artubus sanguinei fluebant vndiq; riuuli: tunc vigilantiores suo fungebantur munere pastores, sed quando vehementiori succensi ira fremebant lupi: sanctiores spectabantur Sacerdotes, sed quando erant casuri victimæ barbari furoris: demùm vbi nunc sacra fana profana vertuntur in theatra; tunc antra in templa mutabantur, quando nascentis Ecclesiæ primi fideles à tribulationum iaculis vulnerabantur.

Et quis negare ampliùs poterit, tribulationes non esse Diuini amoris signa? dum quos diligit Deus aduersitatum iaculis sauciat, ac tribulationibus exercet? an non dilexit Deus Martyrem Clementem Ancyranum? & tamen nisi per ignem, & aquam deductus est in refrigerium: nunquid dilexit Deus Martyrem Laurentium? & tamen nisi super craticulam ignitam consumptus suauissimum veluti thus Cælum ascendit, & iure, qui viuens Eliæ zelo sacris nauabat operam congruum erat, vt moriens veluti alter Elias super igneum currum victor in cæleste asportaretur capitolium: Nunquid dilexit Deus Diuum Policarpum, & tamen *Cælestis* Phœnix nisi ab igne succensi rogi euolauit ad immortalitatem.

Veritas igitur Sole clarior est, misericordem Deum tribulationum cruciatibus, quos diligit vexare: dilexit Deus, quando Protoparentem nostrum, post quam contra Diuinum Præceptum circumscriptum pomum attigit, ac malum, mali totius originem comedit, è Paradiso Voluptatis eiecit, vt quia Deum non coluit, terram coleret: quia sciebat Deus sudorem, quem sub laboris iugo funderet, diuinæ iræ flammas extincturum, & dum sinum propriæ matris araret, telluris tactu de Antheo triumphatum fortiorem surrecturum: dilexit Deus quando à Saule persecutus Dauid per montium iuga fugiebat necem, ac ab Abimaleco panis frustulum perijt; quia tunc ait Diuus Hieronymus, *Licèt non esset de numero Sacerdotum, nec ei liceret comedere panes propositionis, tamen quia persecutio Saulis vigebat, propterea antistes efficitur, panes propositionis accipit, nec mandatum violat*. Dilexit Deus, quando Thobias oculorum iactura lucis pariter amisit vsuram, quia tunc factus cæcutiens talpa corpore; animo euasit Argus, &

Eclypsi

Eclypsi frontis syderum, voluit Deus clarius dilucidare Thobiam iam factum pietatis solem, quapropter quia fulgebat in sepelliendis cadaueribus non poterant coram tanto nitentis Solis iubare eclypsim non pati oculorum sydera: et si Democritus veluti inter sophos aquila, vt perspicaciùs sapientiæ solem contemplaretur volũtaria oculorum iactura perpetuam sibi elegit cęcitatis noctẽ, Thobias hac oculorum iactura velocius ad diuinum volitat solem, fitque dignus maiori laude. *Tobias*, ait Diuus Cyprianus, *post opera magnifica cæcitatem corporis passus, laudans, ac timens Deum per ipsam sui corporis cladem creuit ad laudem.* Dilexit Deus, quando in Babylonici camini flammis à tumido Nabuchodonozore positi fuerunt pueri Anania, Azaria, & Misael, quia inter flammarum splendores, clarior illuxit eorum constantia, & inter accensos carbones, carbunculos collegerunt, quibus triumphale sibi componerent diadema, quo ad victoriam coronarentur: & religionis Phœnices, tunc è flammarum rogo ad immortalitatem euolarunt: dilexit Deus, quando Patriarca Abraam, veluti pia Parca vibrato falcis ictu Isaaci vitale stamen diuino obtemperaturus mandato iam iam erat obtruncaturus; quia tunc veræ Fidei explicuit vexillum, & pater innumerabilium filiorum efficitur, *Multiplicabo semen tuum super arenam maris*, legitur in lib. Genes. dilexit Deus quando Martyrum turmæ exquisitissimis excipiebantur tormentis, sanciabantur illorum membra, ingerebantur verbera, proferebant verba, non quæstionem, sed ad pœnam, intumescebant vulneribus corpora, catenis vincta membra, non victa torquebantur, ferocissimis molossis, alijsque feris obijciebantur Christi milites, proiciebantur sub dio frigido in stagna glacie, geluque concreta, vt paulatim hũc miserandum in modum interimerentur, quia vt asserit Diuus Ambrosius super illud Pauli, *Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed etiam patiamini*, ait D. Ambro. *Pati pro Christo non datur, nisi amatoribus Christi, gratia, ac summa dignitas illa est*, & D. Augu. in Psal. 114. ait, *Deus flagellat omnem filium, quem recipit, nec tam amarum mihi debet esse quod flagellat, quam dulce, quod recipit*, & in Psal. 35. *Nullus seruus Christi sine tribulatione est, si putas, te nondum habere persecutiones, nondum cæpisti esse Christianus*, & in Psal. 36. *Amoris signa sunt flagella, talia amoris signa filio suo vnico Deus dedit, vt pro omnibus pateretur: talia pro salute*

ſuſtine, & gratus eſto amando ſigna amoris, & amorem, & amatorem tam ſeruentem. O ſi quantum tribulatio prodeſt attentè conſideraret homo, non eam veluti naturæ repugnantem abhorreret; ſed omnimodè ad finem noſtrum, gloriam ſcilicet, æternam obtinendam neceſſariam eſſe aſſereret; ecce hoc affirmat Auguſtinus in Pſal. 37. *Illis quibus paratur vita ſempiterna neceſsè eſt, vt flagellentur: non vis flagellum non tibi dabitur hæreditas, omnis enim filius neceſsè eſt, vt flagelletur.*

Lætare igitur, qui varijs tribulationum generibus torqueris; noli timere, ne quaſi Deus tecum non ſit, quia iuxtà eſt dominus, ijs, qui tribulato ſunt corde: exulta cum tribulationum exercitus te videtur obruere, quia ſicut inter ſpinas roſæ leguntur; ità inter anguſtiarum dumos veræ gloriæ flores carpuntur: Gaude cum tribularis, quia ſi probaui filios Dei inter afflictionum cruciatus probari, ità cum affligeris efficeris filius Dei exclama igitur cum D. Augu. *Hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas.*

LIBER

LIBER SEXTVS DE EPIDICTICA ELOCVTIONE.

MAIESTAS eloquentiæ non ſemper abſterſis phaleris, fuciſq; dicendi rigido ſerietatis ſupercilio aliena arguit vitia, corruptiſque ſæculi moribus aureum rigidæ cenſuræ obijcit pharmacum: verùm deflectens nonnũquam à ſerietate, quaſi ad animi relaxationem ſui vbertatem ingenij, vel inter iocantis Parnaſſi vireta, vel in ſinu eruditæ Palladis laſciuientis, creberrimè vſque ad animi deliquium dat ſuſpiciendam; & cum ſeueritate mutato etiam nomine Epidictica gaudet nomenclatura; eò quia plurimum habeat floris, & gratiæ, ac aures, animoſque adſtantium ſuaui quadam delectatione perfundat, & quæ priùs linguæ, ingenijque acumine pungebat, iam fluentium verborum illecebris demulcet animos; quæ dicendi ratio præſertim emerſit cum elegantiores homines abraſo litigioſo tabularum clamore, turbulentiſque orationum vorticibus eloçutionis condimenta cæperunt prælibare, ac eruditas aures amæniori aucupio blandiſſimæ ſuadę irretire, ac meliùs quam Gallicani Herculis catenulis vincire, talis eſt D. Ambroſij, ac Magni Leonis Papæ ſtylus, in quo totas vires ſuas eloquentia experitur, in quo collecta in vnum omnium ingeniorum perfectio nectare, & ambroſia diffluens, vſque ad animi deliquium legentium animos permulcet, in quo dubites, an ipſe totus ex eloquentia, an ex ipſo tota eloquentia ſit confecta: certè horum Patrum ſtylo nihil eſt facundius, fæcundius nihil: tot ſunt in eo virtutes, quot genera eloquentiæ, quot dicta tot purpuræ, quot verba, tot flores, ipſe eſt arbor Xerxis aurea, lęta, ſublimis, florum amęnitate alliciens, fructuum copia farciens vſq; ad ſpiritus pinguedinem.

EXPEN-

EXPENSIO PRIMA.

De Genere Epidictico, seù Demonstratiuo.

DEmonstratiuum genus totum insudat in commendanda virtute, expungendo vitio: ipsum illustrium virorum præclara facinora; quæ semel abrasis è viuis Heroibus consepulta torpescerent in obliuionis sarcophago, encomijs illustrat, & ad vitæ reuocat splendores. Verùm ne nostra cognitio, quasi per incertum callem videatur incedere, operę pretium duxi hic breuiter omnium causarum genera expendere. Triplex est causarum genus, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale, ad quæ genera omnes dicendi modi reducuntur. Ratio adducitur à Quintiliano, quia primo orator, vel agit in iudicijs, vel extra, si in iudicijs; vel accusat, vel defendit, & hoc dicitur genus iudiciale; quo in foro, vel accusamus, vel defendimus alios, vndè tempus præteritum respicit, quia de rebus ante actis est accusatio, vel defensio: eius finis est, Iudicem ad sęuitiam contra reos; ad clementiam verò erga innocentes mouere: hoc genus iudiciale hac tempestate ab oratoribus ad Iuristas deuolutum est; vndè inter forenses contentiones litigioso clamore dumtaxat auditur.

Secundò, si Orator agit extra iudicium, vel loquitur de rebus præteritis, vel futuris, si de præteritis, vel laudat, vel vituperat, & hinc pullulat demonstratiuum genus, quod insudat in laudanda virtute, pungendo vitio; si loquitur de futuris, vel suadet, vel dissuadet, & ex hoc oritur deliberatiuum genus, cuius munus est suadere, vel dissuadere, suadet si probat rem suasam, esse facilem, iucundam, sine periculo honestam, & vtilem: si vellem suadere Cæsari, vt Isthmum perfodiat, meum munus esset probare rei vtilitatem, ac facilitatem ad attingendum finem; res enim, quæ difficultate laborant, vix suaderi possunt, vt ille qui Atho montem, sic barbarè scalpris dilacerare tentabat, vsque dum Macedonis exprimeret effigiem.

Paucis, quæ Tullius fusè dixit de hoc triplici causarum genere perstringam; ait ipse in parti. num. 69. Itaq; illud superius genus exornatio dicitur, quod genus latum esse potest, ac varium, vnum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscipimus, & ad improbos vituperandos; genus enim nullum est orationis,

quod

quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum, vitiorumque versetur. Reliquum autem genus causarum, aut in prouisione posteri temporis, aut in præteriti disceptatione versatur; quorum alterum deliberationis est, alterum iudiciorum; ex qua partitione tria genera causarum extiterunt. Vnum quod à meliori parte laudationis Demonstratiuum est appellatum, Deliberationis alterum, tertium Iudiciorum.

EXPENSIO SECVNDA.

De Materia, fine, ac charactere Epidictici generis.

QVia vniuersa Epidicticæ orationis structura respicit ea, quæ vel laude commendamus, vel vituperio expungimus nascitur, quod genus Epidicticum, tam latè pateat, quam se extendunt ea, quæ laudari, vel vituperari possunt, quapropter materiam circa quam versatur, sunt virtutes, ac vitia, quia ex Tull. part. num. 71. *Omnia sunt profectè laudanda, quæ coniuncta cum virtute sunt, & quæ cum vitijs vituperanda;* Hinc perspicuus est error illorum oratorum, qui verborum redundantia, sententiarum flexibus se totos diffundunt in euehenda, vsque ad sydera bona corporis, & virtutes animi vix posteà commendant; vndè Vlysses merito apud Ouid. lib. 12. Metham. cum illi Aiax sanguinis splendorem auorumq; nobilitatem obijecisset callidè respondit; *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco,* quomodo autem eruātur à subiectis laudes, prolixè dixi cum de amplificatione particulari.

Finis huius generis est virtutis commendatio, vitiorumque detestatio; quæ in auditorum animis honestatis amorem, ac turpitudinis odium infigat: Aristoteles tamen 2. Rhet. cap. 3. ait, Epidictici generis finem esse etiam delectationem, quam solam affectent auditores; vndè ex hoc facilè dignoscitur qualis esse debeat eius character, qui totus debet insudare, vt auditorum animos mulceat, mentesque quadam perfundat suauitate; debet igitur hic stylus esse candidus, comptus, qui dicendi Veneres, ac lapores instillet, structuram orationis, numeris, & quasi pictis asarotis distinguat, & veluti Amaltheæ, vt aiunt cornu, dicendi vbertatem

omnium

omnium argutiarum, sententiarumque fructus perfundat, & aliquando inter Parnassi vireta grauiter iocetur: hunc stylum longa sæculorum serie corroborarunt primi amænioris elocutionis cultores; vt Plinius in Panegyrico Traiani, Pacatus in laude Theodosij, Gallicanus in orationibus ad Constantinum Magnum, Eumenius in encomijs Constantij filij Constantini, Seneca in commendationem Augusti, Ausonius in texendis virtutibus Gratiani Imperat., Magnus Aurelius Cassiodorus in enarrandis Theodorici Regis nitidissimis moribus, Mamertinus in Genethliaco Maximiani, Nazarius in encomijs Constantini, & nouissimè Petiot in Panegyrico Inuictissimi Regis Ludouici Tertij decimi, cuius nonnulla fragmenta hic subijcio.

Ibant olim milites in aurea veste sub Antiocho, in picta clamyde sub Sertorio, in purpura sub Cleomene, in expolitis armis sub Cæsare, in rubenti sagulo sub Artaxerxe, in candenti tunica sub Cyro, in scuto puniceo sub Agesilao, in fibulatis auro caligis sub Aureliano, in amictu argentea Cruce signato sub Constantino: ferunt milites sub Ludouico in veste non ad delicias molli, non ad pompam ambitiosa, sed ad militare robur, & pugnam accincta; ferro, non auro miles indiget, bellum ardore geritur non nitore; & paulo infra sic eius triumphum commendat. O si mos ille vigeret adhuc, quo solemni pompa victores portabantur in Vrbem, quantus foret Imperatoris nostri triumphus? quæ gentium acclamationes? quæ monumenta victoriarum? iret ante currum depresso collo, subiectis ceruicibus, subacto vultu condemnata Rebellio: currum traherent, simul vincti, simul victi cum Rupellensibus Angli frontibus famulari iugo coniunctis; succederent agmina vitiorum vno simul omnia loro deuicta, cæsaque flagello virtutum, & paulò inferius. Alij ponerent obeliscos vt Cesostri: alij columnas erigerent, vt Traiano, tabulas illi figerent, vt Alexandro: arcus isti flecterent, vt Constantino; plurimi pyramides excitarent vt Nino.

Vides an Epidictici generis character humanæ eloquentiæ culmen attigerit, & quo progrediatur stylus ampliùs non habeat; vndè hic stylus eruditionum elegantia, historiarum serijs, argutiarum aucupijs imitari omninò debet pictam Apelleo pennicillo tabulam, quæ lucos, prata, animalia, flumina, flores, & arbores refert mirabili naturæ luxuriantis ludo. Multiplices orationum

species

ſpecies ad genus Epidicticum reuocantur: ſcilicet, Panegyrica oratio, quæ fit ſemper in laudem alicuius, vel Cælitis, vel Pontificis, vel Regis, Principis, viri, fæminæ: Genethliacon, fitque in ortu, & natali die hominum: Epithalamium in nuptijs: Epinicium poſt victorias, ac debellatos hoſtes: Epicedium ad deſunctos: Epithaphium ad tumulum: Monodia ad deſunctorum geſta memoriæ reuocanda: Gratulatio creato Pontifici, vel inaugurato Doctori, vel Magiſtratui: Eucharisticon ad reddendas gratias pro ſuſcepto beneficio.

EXPENSIO TERTIA.

De Panegyricis Orationibus.

PAnegyris ſolemnis olim erat quinquennalium ludorum celebritas, ſiuè vt ait Herodotus lib. 6. nundinæ erant, quales quinto quoque anno Athenæ celebrare conſueuere, ad quas vniuerſalis conueniebat populus, hac de cauſa orationes, quæ in genere demoſtratiuo habentur in conuentu populi dicuntur panegyricæ, quarum originem Antimachus à Mercurio, & à muſis facit: *Non ſecus*, ait ipſe, *ac Aſcræus paſtor ab eiſdem in Elicona colle poëſim eſt conſecutus;* quia panegyricæ orationes inſudant in commendandis illuſtrium virorum geſtis; debet animaduertere orator, vt quidquid commendandum ſuſcipiat honeſtæ laudis materiam præbeat; ne fortè mendacio videatur euehi veritas: quapropter comparationes, ne auſcultantium animos offendant, debent inter limites moderationis contineri, quippequi non patiuntur adſtantium aures inſolenti mendacio coinquinari, vt eſſet comparatio in re militari periti, cum Ioue fulminante, ac tonante; exulent à Chriſtianis oratoribus encomiorum illę ſpecies, quæ ſupra meritum, ac conditionem humanam homines intempeſtiuè euehunt: homines toties ampliſſimè laudantur, quoties verè, quæ geſſerint narrantur: cæterum dum blanda mentiendi dulcedine blanditur orator, virtuti potiùs facit iniuriam; pleriquè etiam in commendandis hominibus videntur iterum efficere illam anuli gemmam, in qua ſculptus videbatur caſus Phaëtontis, cuius meminit Galenus 17. de vſu part. cap. 1. videbatur adoleſcens ſolis filius crinito radijs capite flagellum tenens; in aureo

curru ſedens, quem celeres quadrigæ rapiebant tanta ſubtilitate ſculptæ, vt ſexdecim pedes equorum minutiſſimis lineolis diſtincti eminerent. Hinc rubentis ardoribus Cæli facies, Iouis iræ, infelicis patris deſperatio, & attoniti caſus nouitate cæleſtes hærebant; illinc decreſcebat mare, ebulliebant aquæ, terra continenti incendio flagrabat, & longè lateque ſparſi flammarum globi, ſyluas, montes, prata, pecudeſque abſumebant: pari pacto faciunt oratores, qui homines mediocris notæ vſque ad ſydera euehunt, ibique cum Ioue, Mercurio, alijſque Poëtarum ſomniantium numinibus comparant: quid enim aliud eſt hoc, quam Cælum, terramq; exiguo repræſentare in lapillo.

OEconomia Panegyricæ orationis, quæ propriè eſt ea, quæ habetur ad populum conuocatum ad laudem alicuius hæc eſſe debet: primum præcedit exordium hoc eſt gemmeum huius orationis principium veneres, ac lepores inſtillans; quod deduci poterit ab aliqua circumſtantia loci, temporis, aut perſonæ, vel à votis publicis, præcibus, ſacrificijs, ſic ſi Neapoli ſuper præclara geſta B. Andreæ Auellini Panegyricam texerem orationem, quia hic Heros integerrimæ, ac illibatæ fuit caſtitatis, & ex alia parte aſſiduis pœnitentijs vacabat, cilicinam continuò induebat veſtem, omnibuſque tormentorum generibus excruciabatur: pro allegoria continuata, quæ vulgò inuentio dicitur, de qua in ſequenti expenſione dicam fuſiùs, ſumerē *Lilium inter ſpinas*, probando B. Andream fuiſſe lilium puritatis inter ſpinas pœnitentię, & exordium à circumſtantia loci ſic inciperem.

IDEA PANEGYRICAE ORATIONIS.

Parthenopea ſyren aſſueta cantus ſuauitate, vt poëtarum fatentur commenta, hominum cœtus pellicere, oratorum ſirenulam, hoc eſt eloquentiam Iſocratis hodie potiùs exigeret, quam meam balbutientem N.N. illiùs inquam Iſocratis, qui tibiarum fabri filius didicit canere maioribus *Fiſtulis*, ad eloquentiæ natus decora; exigeret inquam amænum floridumque ſtylum, qui vel humanæ culmen attingeret eloquentiæ, vel in quo totas vires ſuas experiretur collocaſſe arguta elocutio, vel in quo tot eſſent purpuræ quot dicta, tot flores, quot verba, tot amænitates, ac Veneres argutiarum, quot periodi, nam ſi illo oratorum Antiſtite, & Antiſtitum oratore teſte Ambroſio re, & nomine ſuauiſſimo eloquentiæ flores illas amant ditiones, in quibus amænat verna-

tem-

temperies: quos elocutionis flores non exposcit Partenopea ditio; vbi videmus tellurem, vel in planitiem effusè porrectam; vel in colles placidè prominentem; vel in montium cacumina, tanta supercilij superbia assurgentem, vt nubibus se se inserere, & cælum fulcire videatur: vbi videmus tellurem illic herbis, & spontè natis arbustis amænam; hic fruge, fructibusque, & feliciori ligno vestitam; hic florum, arborumque exotica vernilitate pictam; hic arborum artificiosis ordinibus descriptam? vbi vites ipsæ gemmis enascentibus prouocant ad risum spectatores, licet illachrymentur ipsæ: vbi videmus gratissimam hortorum culturam, telluris flagrantissima sydera, vel in Sole micantia, odoratas illas florum animas, quas dum exhalant in funere, in ipsa etiam nece non ingratum vitæ munus odore suauitatis nobis inhalant; quidni florida tellus rosis læta, & *lilijs* coronata, ad commendandum lilium inter spinas, hoc est, ad enarranda B. Andreæ gesta, me trahit.

Et vt prima iaciam structuræ fundamenta: sint flores telluris sydera, pratorum coronamentum, hortorum pompa, veræ vbertatis rudimenta, speciosi germinum fuci, incerta frugum præsagia, spes fructuosæ segetis; humiliter impallescant in violas, candicent in lilia, purpurent in rosas; in lilio nostro, licet inter spinas, omnium cæterorum florum virtutibus, collectam in vnum habemus perfectionem; nam vix natum innocens lilium non è fæcundæ telluris sinu, sed matris ab aluo: quod supra ætatem, supra naturam fuit, è fasciolis manulam soluens salutifero Crucis signo se muniuit; vel vt nouus Constantinus in huius militantis vitæ primo vestibulo, hoc signo excitaretur ad victoriam; vel vt tartareum hostem fugaret, eiusque insidias emergeret; vel callidior, sanctiorque Vlysses, vt effugeret illecebrarum syrenulas, quę alliciunt ad necem, in primo huius procellosæ vitæ ingressu adhærere voluit crucis arbori; vel vt illa ab initio præsagiret se daturum nomen Religioni Clericorum Regularium, cuius stemmata signantur Cruce; vel si teste Hieronymo aues, quando volitant formam Crucis sumunt, hac Cruce alas quasi expandit, vt vix lucis vsuræ ortus iam volitare inciperet non ambulare perfectionis calles: melius dicam.

Lilium erat inter spinas; nam tam illi extitere grata tormenta, vt pœnas ei in flores degenerarint, non minus, quam Granadillæ;

in qua cruenta flagra Dominicæ Passionis, in floridæ voluptatis purpuram abeunt, in qua saxo in germen emollito columna ex atrio crudelitatis ad piam floris structuram transmigrauit, in qua spongia quondam felle imbuta, fastigiata lancea, ac pertesa alia instrumenta sæui laniatus in floridas degenerant delicias; nec mirum lustralibus irrigatus aquis non peterat Andreas, nisi in lilium efflorescere sanctitatis: quam grandem fructuum segetem indicat hic flos in primo vitæ vestibulo? correxit auaritiam naturæ liberalior gratia; dum ante iuuentutis ver in lilium effloruit sanctitatis, ac pudicitiæ: puritatis candorem cum materno lacte biberat: infantiam non poterat, non aggredi qualem, vel fingeret pudor, vel amaret modestia. Imò spretis muliercularum gregibus, quia lilium erat inter spinas mollibus nesciuit quiescere in delicijs: audite an dicta factis probentur.

Capta amore iuuenis præsertim præ oculorum venustate mulier quædam varijs illicijs animum adolescentis demulcere, ac ad libidinem irritare tentat: quidni re scita adolescens maluerat lucem oculorum, quam puritatis candorem perdere, admotis namque ad frontem manibus oculos sibi funditùs eruisset; ni Deus hanc geminam cynosuram seruasset, vt naufragis salutis portum monstrarent hæc sydera; bipatentes has animi fenestras tentauit claudere, quia propinquos expauescebat fures; errauit, qui cæcum finxit amorem, hæc Venus Argum fecerat, dum totum amorem suum in oculorum præstantia residere experitur; potuit Venus nostrum lilium inter spinas pluries impugnare, expugnare nunquam; florem arripere audebat, qui nullo auri pretio venalis est; at nisi spinas huius *lilij tetigit*, quibus puncta Venus non amplius in pede, sed in capite, ruboris, ac verecundiæ rosas dumtaxat peperit, infelix pyrausta! prope adolescentis lumina cupidinis alis volitans non poterat nisi in cinerem cito solui, non semper male agit, qui lucem odit, nempè vt melius ageret tenebras amabat Andreas oculorum iactura, vnicum iactabat olim humana sapientia Democritum, qui vt melius videret mente; videre recusauit fronte, voluntaria oculorum iactura, at etiam nostrum lilium, vt clarius luceret pudicitiæ candore, voluntariæ cæcitatis non extimescebat tenebras.

Ast non vno dumtaxat conflictu suis spinis nostrum lilium punxit Venerem, sauciauit debellauit. Noctu enim ante cubitum

genu

genu flexus ad pedes humani generis reparatoris Cruci affixi, conſcientiæ examen diei illius perſcrutabatur, cum varijs illecebris inſana fęmina noſtri lilij candorem tentat ignei Cupidinis purpura maculare, at ſi Herculi monſtrum ſemel ſuperare labor fuit; quali plaſu erit commendanda noſtri Alcidis pugna, quæ pluries de illecebrarũ triumphauit mõſtro, vicit mulierem nouus Ioſeph, ſed fugiendo, caſtitatis Atleta libidinis eſt fugitiuus, & Parthorum more pugnans vicit, cum ſugit: non pectora, ſed tergum dat hoſtibus, qui in duello caſtitatis cupit vincere, vt olim pudicus Ioſeph, qui relicto in mulieris manibus pallio, ſe fugæ dedit; mulierem fugit, & vicit, imò vicit, quia fugit; alibi turpis, & ignominioſa ſit fuga; glorioſa in certamine libidinis eſt; imò & victrix; ſolet fuga militis imbecillitatem prodere, ſed in pudicitiæ caſtris pugnantis fortitudo in fuga eſt ſita, inermis eſt, qui non fugit, armatus, qui fuga ſe munit.

Prodidit peritiam ſuã pudicitiæ Atleta noſter, dum contra impudicitiam dimicans armorum loco, fuga vtitur; non ità facilè, non ità glorioſè victurus, niſi fugiſſet. Victoriæ tamen adoreas, ac Epinicium lachrymis canit, & quaſi etiam hoſtem expaueſcens, cilicio ſe veſtiens, ferreiſque flagris ſe cruentat; deficiebat purpura victori, hanc miniſtrauit ſanguis; animoſus ſub Crucis vexillo tyrunculus cilicio clamidatus, rudia retia in dolorum venationem aſſumpſit, an non lilium miramur caſtitatis inter ſpinas cilicij? at cur inter ſpinas etiam ſanguine purpurat lilium? Pium intelligo conſilium, vt nobilius lilium honorificè abiret in purpuream roſam charitatis: ſed parce iam candidi ſerti candide lilium in roſas te cruentare, tibi non deerunt roſæ, ac lilia, quibus coroneris ad victoriam: ſi pudicitiæ cupis phrenoſchema corpus iam habes nempè pinge Andreæ manum cruentis flagris, hemiſtichium adde, *Vulneror*, *ne vulnerer*, at non ſanguine tantum, ſed lachrymis etiam triumphat, cum fractis oculis non fractam pudicitiam illachrymatur: in aquis olim nata Venus; in lachrymis nunc perit; euge Atleta nobilis, aliæ te expectant palmæ, alij tibi plaudent triumphi. Veluti terreſtris Paradiſi, ignitus Cherubin Neapoli ad cuſtodiam monialium cœnobij hærebas, cum inuicta conſtantia te ob jeciſti inſano amore capto iuueni, qui non ſine clauſtri horrore maculare tentabat venuſtiſſimæ Virginis candorem, quem Deo iam deuouerat.

Quid

Quid agis Zelótes custos? an insanæ Veneris ignes cogent, castitatis niues liquescere, & inuiolabilem pudicitiam; labilem nunc ingemiſces? fallor ah fallor, ecce ne maculetur pudicitiæ candor, fædari amas in vultu triplici vulnere, te obstaculum, ac clypeum ad pudicitiæ defensionem obijciens; at quia lilia carpere non potuit iuuenis, voluit tuo è vultu rosas legere, sed sanguineas, quales è triplici germinarent vulnere: mirari volueram si amica sanguinis Venus venisset, sine sanguinis effusione: non miror tamen si relicto Cœnobij lilio è custodis facie rosas colligit, in repulsa, ac obstaculo grauiter puncta Venus, vt olim Adonidis in hortulo, non poterat nisi rosas gignere, quas tamen legeret ad propriam verecundiam; quis negabit iam nostrum lilium inter spinas, cum tam benè Venerem pungat? pungitur, & ipse Andreas in vultu, fateor, quia difficilè est versari inter spinas sine vulnere, ac puncturæ experimento, lilium nempè erat inter spinas: Quis crederet? candori consulit, dum fœdatur, & lilia metit dum rosas ferit, candidiùs vernant lilia cum sanguine: purpurat os; expectet vltimum excidium Veneris regnum Andreæ in fronte, hoc est innocentiæ in Cælo, non vulnus, sed sanguineus rubet cometa: sanguinea ab hac pluuia vernare pulchrius discent lilia: Cedat tibi candido custodi niger Indus, ipse vt ditior appareat fronti *Pyropos* inserit; tu iam totus Gemmeus Pyropos seminas è vultu: quæ vnquam tibi satis erit fama: aut quæ commendatio vulgaris non erit? benè multiplicatur tibi vulnus, quia multiplici ore eras à fama commendandus, vnicum os ei non fuisset satis: commendet Roma Marcellum, quia construxerat prophanæ Veneri fanum, non inter mœnia, sed extra Vrbem; ne tantæ fœditatis simulacro caderet victima incauta iuuentus, at maiori laude erit excipiendus Andreas, quia Venerem ipsam destruxerat: discite iam non lacteam esse Heroum viam, sed sanguineam: errauit qui dixit pulchritudinem esse adblandientis naturæ commendatitiam epistolam, characteres, quos eius in fronte expressit ferrum, meliori titulo illum posteritati commendant; iam verùm censeo sapientis Catonis oraculum placere scilicet, vultus, qui rubescerent; non qui pallescerent; triumphaueras castitatis in area de Venere tibi debebatur corona floribus contexta, benè igitur rosas ministrant vulnera vultus, quì vt cecinit Cycnus Italus;

Non fu rasoio

Quello

Quello che ti fè nel volto rosse ferite,
Ma fu rosaio,
Che à coronarti germoglio rose fiorite.

immutandum iam esset lemma illud armenici muris, *Malo mori, quam fœdari*; nam Andreas ne moriatur pudicitia, nonne fędari amat? Andreæ anima iam facta erat sponsa illius, qui pascitur inter lilia, quidni illius genæ, sicut fragmen mali punici, in purpuras erant erumpendæ.

Enim verò nostrum lilium, è sæculi spinetis alias aggreditur spinas, nempè pœnitentiæ, mortificationis, in Clericorum Regularium Religione; magis nunc erit laudandus, qui post aurum non abijt, diuites relinquens pedicas insidias amplius non extimescet; sapienter aurum fuit dedignatus, auro ipso magis aureus; neq; præclaro caruit serto aureus contemptor auri, nemò ęquius, atque illustriùs coronatur, quam qui aurum aspernatur, atque respuit. Contemplemur nunc nostrum lilium inter pœnitentiæ spinas, ac Religionis; vbi purpurare magis etiam incępit charitate. O sinceri amoris ludum! nix, & flamma olim discordes, & riuales, socordes modo contubernales in Andreæ pectore perpetuò fœdere conuiuunt; non minùs enim Heroicum pectus pudicitiæ excoluit niues, quam charitatis flammas. Videram olim Aetneo in monte impunita cum niuibus ludere incendia, at non ne prodigium minuit Andreas, qui niues pudicitiæ cum amoris igne inseparabili coniunxit vinculo: en contemplare nostri lilij spinas, nulla prorsus re in stomachum immissa, aut instillata integras absorbet dies, modo panis frustulo contentus; ad condimentum dumtaxat, vel lachrymas, vel frigidam superaddit; lixum, aut assum aliquid capere luxuriem intollerabilem credebat; aliquando frigido tantum legumine post Solis Occasum semimortuum corpus reficiebat; latera nuda setosis funibus constringere, iam ludus erat, nisi aculeis etiam ferratis exasperarentur; duros rudesque super asseres insueuit acquiescere, vt incumbenti haud multò plus quietis, quam doloris gigneretur. Hinc Christi miles assuetus labori de ipsis etiam triumphauit elementis; iter agebat, cum illicò spissæ nubes per aëra volitantes rauco rugitu Solem arripiunt, lucemque omnem effusa caligine extingunt, iam ex omni parte videntur emicare fulgetra, iam ex atro nubium globo, vna cum grandine effusa ruit aquarum pluuia: ò prodigium, info-

insolens! & rarò retroactis sęculis auditum! ruunt aquarum eluuiones, & Andream non audent tangere, sed illum dumtaxat circumdantes solum elementorum triumphatori ex cadentibus margaritis triumphalem componunt coronam: non miror si pluuia Andream non audet tangere totus æstuabat charitate; propè tam grande charitatis incendium aquæ non poterant non exsiccari: immortalitatem olim sibi comparauerat ignis Babylonica in fornace, quia impunitis cum pueris lusisset: audeo dicere aquam immortalitatem pariter sibi comparaturam, intactum reliquisse Andream.

Euola nunc ad æternæ gloriæ perpetuò vernantia vireta; sat floruisti in terris, sat lilium inter spinas candicasti; effloresce iam inter cæli amænitates, lilium inter spinas, mox tamen collocandum inter delicias cælestis viridarij; perge iam lilium ad locum irriguum, vbertate fontium, purpureaque lucis amænitate lętum, vbi cadentium aquarum admurmuratio, vbi florum suauissima Arabia, vbi iucundissimus variarum auicularum concentus, animum assidue alliciunt, ac mulcent; ibique effloresce olim inter spinas, nunc inter delicias lilium.

Ex hac panegyrica oratione, quam tibi texui; facilè cognoscere poteris qualis esse debeat tota OEconomia epidicticæ orationis; in calce exordij erit figenda allegoria, seù vt vulgò dicitur inuentio probanda, vt feci cum dixi B. Andream esse lilium inter spinas, deindè sequitur narratio, qua præclara gesta personæ commendandæ enarramus, in qua narratione duo modi procedendi seruari possunt; primus est naturalis, quando seruatur series temporum incipiendo à patria, genere, educatione, studijs præceptoribus, à rebus præclarè gestis, in pueritia, iuuentute, virilitate, senectute; sic obseruauit Socrates in oratione ad Euagram Cypri Regem, vt etiam Eumenius in oratione Constantini: excipe fragmentum illius orationis: *A primò igitur incipiam originis tuæ Numine, quod plerique adhuc fortaſse nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt, ab illo enim Diuo Claudio manet in te auita cognatio, qui Romani Imperij solutam, & perditam disciplinam primus reformauit.*

Secundus, procedendi modus dicitur arbitrarius, & à Cicerone dicitur generum distributio, cum scilicet nulla temporum ratione seruata generum dispositiones sequimur, ac nostro arbitratu certa

certa quædam capita constituimus, quæ sint quasi totius orationis status, & hic ordo prudentiam ostendit Oratoris; quem sequitur Cicero Pompeium commendans, à peritissimis virtutibus, scientia rei militaris, authoritate, fortitudine · sic in commendatione alicuius viri; primo bona fortunæ possunt enarrari, scilicet nobilitas, diuitiæ, robur; deindè bona corporis valetudo, color, vires &c. postremò animi dotes, vt facit Cic. in Verrem primò eius rapinas enumerando: secundò, sacrilegia: tertiò, Romanorum atrocissima supplicia. In hoc genere demonstratiuo seruari etiam potest ordo dignitatis, rerum; initio ducto, vel à minoribus ad maiora, vel à maioribus ad minora, vt facit Cicero orat. pro Marcello 2. Philipp. num. 78. Confirmatio, & amplificatio peti possunt ex locis Rhetoricis, conuenientibus tempori, loco, personæ, facto, dicto, & cæteris circumstantijs, vt si commendetur aliquis Sanctus seruato ordine naturę ante vitam poterit commendari à patria, parentibus, oraculis, somnijs: in vita, à Natiuitate educatione, institutione, ingenio, moribus, dictis, factis: post mortem à signis, miraculis, acclamationibus.

Cauere etiam Orator debet ne de vna re ad aliam transeat sine transitionibus, quæ vt dixi sunt vincula serica, quæ totam orationem in vnum colligant, & simùl ornant; venustè igitur, & commodè transeat de vna re ad aliam, præsertim in narrationibus, quę non obseruant ordinem naturę, hac industria inter alios vsus est Pacatus in Panegyrico Theodosij Imperatoris, ait ipse. Quod facere ingressi Vrbes solemus, vt primum sacras ædes, & dicata numinibus delubra visitemus, tum fora, atque gymnasia, ambulacra, & plaustra, miremur: ità in laudibus tuis sanctos aditus, & priscis æquanda ceremonijs instituta venerati, gradum ab illis properabimus; deindè quæ in medio constituta ad publicos vsus valentia, non priuatim, sed in commune conducunt, nec parietibus, sed Orbe claudentur, nec tecto, sed Cælo aperientur.

Peroratio in hoc genere encomiastico maximè pendet ex Oratoris prudentia, debent tamen cieri motus in laudationibus non illi quidem vehementes, sed qui ad virtutis imitationem ferant amorem, & beneuolentiam concitent in eum, qui laudatur; è conuerso in vituperationibus excitandi sunt motus indignationis, & iracundiæ, pudoris, & ignominiæ, vt in animis auditorum turpitudini odium relinquatur.

EXPENSIO QVARTA.

De Arte Noua Meditandi Allegorias continuatas, quæ vulgò dicuntur Inuentiones Panegyricæ.

POlitioris eloquentiæ apicem videtur attigisse præsens ætas; vbi Oratores, ne dum Veneres volunt ex tumidi maris spuma natas, verùm ex atramento; tot Veneres gignendo, quot orationes omni amænitate, ac dicendi flore ornatas; primæ enim ętatis oratores, vti fuere Gorgias Leontinus, Thrasijmacus, Lysias, Chalcedonius, Protagoras, Abderites, Prodicus, Chius, quorum sudore eloquentia excoli cępit his dicendi floribus, tam frequenter suos non exornarunt fœtus, nec mirum, quando de rerum initijs sermo est; inspiciendum non est; an tunc ornatum habuerint, nihil enim in ipsis cunis politum est; sed rudioribus principijs omnia natura rerum opifex pertexuit.

Inuentiones, quæ ad conficiendas Panegyricas orationes adhibentur, nihil aliud sunt, quam methaphoræ, seù translationes, seù allegoriæ continuatæ, ac comparationes cum persona laudanda, est tamen aduertendum, quod omnes actiones commendandæ debent comparari cum allegoria, sub qua laudatur persona, sic si pro panegyrico D. Ioann. Euangelistæ, probarē D. Ioannem fuisse Aquilam, omnes aquilæ proprietates deberent comparari, cum actionibus D. Ioannis, scilicet si aquila altiori volatu cæteras aues antecellit, etiam Diuus Ioannes inter cæteros Euangelistas altiora fuit rimatus mysteria, si aquila super nubes se extollens lucentis Solis radijs depascitur, etiam D Ioannes Diuinum Solem nempè Christum, semper fuit contemplatus; ac ipso Diuino Sole, scilicet Dominico Corpore depastus perspicacior euasit; si aquila draconem persequitur debellandum, ac occidendum; etiam Ioannes immane vitij monstrum profligauit: in fine exordij inuentio est explicanda, quæ attentionem prouocet ob rei nouitatem, ac voluptatem hauriat; quia in illa proponenda verba mellea esse debent, & orator fauos debet loqui, ac eloquentiæ nectare peregrinum labijs saporem infundere; & tot debet dicere flores, quot verba.

Allegoriæ igitur, quæ vulgò Inuentiones dicuntur meditari possunt per decem Aristotelis prædicamenta, facta tamen translatione

tione à qualitate aliqua morali eiusdem Sancti, quem laudandum sumimus, ad aliquam qualitatem physicam, cum qua dicat aliquam proportionem, vel ad aliquod aliud prædicamentum physicum, vt feci in Panegyrico B. Andreæ Auellini, qui vt pudicitiam seruaret cilicinis se cingebat vestibus; consideraui enim qualitatem moralem nempè Pudicitiam, quæ Physicè exprimitur per candorem; igitur sumendo iam qualitatem physicam, id est candorem in genere expressiuum pudicitiæ; possum considerare omnes species, quæ militant sub hoc genere candoris, vt Genus est *Candor*, species sunt, *Lilium, margaritum, nix, lux, argentum, lac*. Deinde possum sumere quamlibet speciem pro genere, quia vt docet Aristoteles Poëtica cap. 20. *Nominis alieni illatio, à specie ad genus, vel à genere ad speciem:* & sicut dico pudicitiam *candidam*, possum etiam dicere, pudicitiam *niueam* esse *lilium, Margaritum &c.* sumendo igitur speciem pro genere, voco pudicitiam *lilium*, deinde, quia cilicina vestis conuenit cum spinis, dico pudicitiam B. Andreæ *lilium inter spinas*, quam inuentionem probaui in Panegyrico præcedentis expensionis. Insuper sicut sumpsi vnam speciem, nempè lilium; possem etiam sumere quamlibet ex alijs speciebus, probando fuisse candidissimum *Margaritum* in sinu non Erithræi, sed fluctuantis maris huius vitæ, sine vlla offuscatione: fuisse *niuem*, quæ impunita irrisit Veneris ignes &c.

Quod feci de vna qualitate morali comparata cum qualitate Physica, vt fuit pudicitia cum candore, potest etiam fieri de quacunque alia qualitate morali: sic Charitas conuenit cum rubedine, quæ est qualitas Physica, iam possem sumere colorem rubum, veluti genus; deindè considerare omnes species militantes sub hoc genere, nempè omnia, quæ in rerum natura sunt ruba, vt sũt rosa, purpura, sanguis, ignis & cætera huiusmodi; vndè iam possem dicere, charitatem esse rosam, esse ignem; & pro allegoria, seù inuentione alicuius sancti, qui maxima æstuauerit charitate possem sumere probandam rosam, vel flammam Dearum Vestalium inextinguibilem; & sicut hoc fit de qualitate, potest etiam fieri de quocunque alio prædicamento.

In Panegyricis igitur, quia præsertim commendantur qualitates morales; scilicet virtutes personæ laudandæ erit maximè aduertendum, cum quibus rebus Physicis conueniant qualitates

 mo-

morales; sic charitas, vt dixi conuenit cum igne; puritas cum niue; en amæna iam, ac paradoxica tibi occurrit inuentio: de aliquo enim sancto, qui simul charitatem, ac pudicitiam coluerit potes sumere pro allegoria continuata, seù inuentione Aetneum montem animatum, qui impunitas seruauerit cum flammis niues, ac cæterarum virtutum flores. Sic sapientia conuenit cum luce, humilitas cum tenebris, perspicacitas cum Aquila, magnanimitas cum Leone, fortitudo cum adamante.

Hisce consideratis iam tibi aperio locupletissimam allegoriarum, seù inuentionum aurifodinam. Sic si sumis laudandum aliquem Sanctum, eo quia insignis fuerit humilitate: à substantia posses sumere probandum *Sacrum Antheum*, qui è tactu telluris; hoc est ex humilitate sanctior fiebat, *aurum Pactoli* sub humilitatis aquis pretiosius; à quantitate *pretiosum thesaurum*, sed absconditum sub humilitatis vmbris; à qualitate, quia humilitas conuenit cum vmbra posses probare *vmbras illustres*, seù illuminatas; à relatione *Nocturnam Stellam, sed filiam Solis*; ab actione *Cælestem agricolam*, telluris viscera penetrantem cominùs debellaturum tartarum; à passione *triumphantem palmam*, quæ dum stringitur, ac deprimitur, crescit sublimior, à situ *humilitatem exaltatam*, à tempore *noctem illuminatam*, à loco *profundam aurifodinam plenam omni virtute*, ab habitu *paupertatem locupletatam*.

Sic Conceptionem Immaculatam Virginis Matris à prædicamento substantiæ probaui fuisse *sacram laurum*, quia sicut laurus immunis est à fulmine, & nunquam exuit se virescentibus suis folijs, ità Immaculata hæc Conceptio immunis fuit à fulmine peccati originalis; & nunquam amisit integritatem; alij verò iam supponentes fuisse conceptam sine culpa originali, à situ probant *Margaritum in sinu Conchilij*, alij à qualitate *Iridem* tot variatam coloribus, quot ornatam virtutibus. Pro D. Nicolao Myrræ Epis. ab actione, & relatione similitudinis potest sumi probandus *Sacer Hippomenes*, qui aureis pomis non vnam Athalantam, sed tres Virgines retinuit, ne currerent sensus callem. Pro incorrupta lingua S. Antonij Patauini, alij à quantitate, seù longitudine probant fuisse *fulmen* in Hæresis, ac vitij excidium; alij à qualitate probant *immarcescibilem Rosam*, quia lingua incorrupta adhuc purpurascit, & in colore conuenit cum rosa; sic tritum est illud, *Audiuimus rosas loquentes*. Pro Diuo Andrea Apostolo à loco, &

tem-

tempore alij probant *Stellam Veneris*; quia propè Diuinum Solem nêpè Christum enituit, & pauló post occasum Diuini Solis etiam D. Andreas occasum subiuit mortis, alij pro D. Stephano probant pariter à tempore, & loco *Stellam Mercurij*; quia sicut Mercurius est Stella propè Solem enitens, ità prima cum Sole in Occasum labitur, sic D. Stephanus Protomartyr primus post Diuini Solis occasum, hoc est post Christi necem mortuus est, & triumphauit pro Fide. Pro D. Dominico à quantitate, aliqui probant vastum, latissimumque virtutum mare; alij ab actione Solem, qui hæresum tenebras fugauit; alij etiam ab actione *Venaticum canem*, feram tartari insequentem: alij à passione pro D. Magdalena probant *Iordanem*, quia pariter ipsa conuersa est retrorsum, nempè è via peccati ad viam salutis reuersa est. Alij à qualitate *Rosam inter spinas*, quia æstuabat amore inter dumos pœnitentiæ; à loco pro D. Rosolia, quæ relicta aula in desertum secessit *Venatricem Dianam*, sed Regni Cælestis. Pro D. Barbara à loco, in quo habitabat *Turrim Dauidicam*, à qua mille pendebant clypei, quia D. Barbara fortitudinem turris exercuit in paternam persecutionem, contra quam mille virtutum clypeis se muniuit. Pro Diua Agata à relatione similitudinis *Inuictam Amazonem*, quia Amazones bellicosissimæ erant fœminæ, quæ primum Scythiam iuxtà Tanaim, deindè ad Thermodoonta incolentes magnam Asiæ partem occupauerunt, dictæ Amazones, eò quod mammis carerent; mos enim fuit amazonibus interfectis maribus seruare fœminas, earumque infantium mammas dexteras inurere, ne impedimento essent ad pugnam conferendam, & ne sagittarum iactus impedirent, sic D. Agatha, post abscissas mammas fortiùs dimicauit contra Tyrannum imò de ipso martyrij palma triumphauit. A tempore pro B. Caietano Thieneo *Auream ætatem*, eò quia auctor fuerit instituti, in quo homines nihil possident, meraque viuunt prouidentia. Pro D. Ioann: Chrysostomo *Herculẽ Gallicanum*, qui aureis eloquentiæ catenulis hominum animos vinciebat virtuti. Pro D. Laurentio à situ, & loco, quo emigrauit in Cælum *Igneum Eliæ currum*. Pro D. Policarpo à loco pariter, quo ex hac vita discessit *Cælestem Phœnicem*, qu a è rogo, ac igne, ad vitam euolauit immortalem. Pro D. Clara à loco Natiuitatis hoc est Vmbria, *Vmbram illustratam*. Pro D. Iosepho ab actione *Aaronicam virgulam*, eo quod in flores, & fructus virtutum simùl erupерit.

perit.

perit. Pro D. Iuone, ac quocunque eleemosynario à relatione similitudinis. *Verũ Iouem descendentem in aureas pluuias non Danaem, sed paupertatem fœcundaturum*. Pro D. Ignatio Loyola ab actione, ac ethimologia nominis *Ignem Promethei*, qui gelidum inflammauit mũdum ad virtutem. Ab Ethimologijs nominum possunt etiam meditari allegoriæ, seù inuentiones Panegyricæ, sic quia Andreas interpretratur fortitudo; pro D. Andrea potest probari *Fortitudo infrangibilis;* quia Stephanus interpretatur corona pro D. Stephano potest probari *Corona triumphalis*. Pro D. Margarita, *Pretiosum margaritum*. Pro D. Lucia; *Lux sine eclypsi*. Pro D. Agatha, *Achates lapis pretiosus, ac fortis*. Pro D. Vincentio, *Victoria, ac triumphus*. Pro D. Ambrosio, *Cælestis ambrosia*, ad mulcendos, ac componendos exasperatos animos. Pro D. Agnete, *Agnus mactandus*. Pro D. Vrsula, *Vrsa minor Cælestis*.

Si verò Panegyricus sit texendus super aliquam rem Physicam, vt esset super calamum Angelici Doctoris est attendenda præcipuè similitudo, quam dicit cum cæteris rebus Physicis; sic conuenit cum hasta Achillis, quia sicut feriebat, & sanabat, ac *Sanitas*, dicebatur esse *in pennis eius*, etiam calamus Doctoris Angelici feriebat impugnando hæreses, & sanabat ostendendo veritatem fidei, hominesque ad viam salutis educens, conuenit cum herculea claua, quia si hæc Lernea Hydram debellauit; etiam hic calamus monstrum vitij, ac hæresis profligauit; conuenit cum Solis radio, quia si hic tenebras expellit, diemq; parit; hic iste calamus etiam errorum, ac falsi dogmatis caligines euertit, ac orthodoxæ veritatis lucem vndique effudit, conuenit cum fulmine, & sagitta, quia etiam deterrebat, ac feriebat, conuenit cum crinito cometa excidium enim minatus est Hæresi. Sic de quacunque alia re Physica si texenda sit oratio Panegyrica considerandum est, cum quibus rebus Physicis dicat similitudinem, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in quolibet alio prædicamento, deindè sumendum est illud Physicum cum quo conuenit, & comparandum est per allegoriam continuatam cum re, quam sumimus laudandam.

OECONOMIA GENETHLIACAE ORATIONIS.

Genethliaci apud Gellium lib. 13. cap. 1. illi vocabantur, qui ex die, & hora natiuitatis fortunam hominis, ac successum prædicebant; ex quo ortum est, quod orationes Natalitiæ, quibus natalis dies alicuius herois commendatur Genethliacæ dicantur. Astrologi

logi etiam Horoscopum nascenti dicunt fortunatum, quando venienti in lucem secundis influxibus prosperum aliquod affulget ex syderibus: tamen sublata hac Mathematicorum disciplina, quæ ab astris errantibus, errores dumtaxat consueuit, vel ediscere, vel edocere; breuitèr œconomiam Genethliacæ orationis expendam.

Exordium peti potest ab aliqua circumstantia loci, temporis, vel personæ; vel à votis publicis, precibus, sacrificijs, aut ab ijs, quæ natiuitatem præcesserunt; aliquando etiam ab aliqua præclara fabula; in loco considerantur, Regnum, Prouincia, Vrbs, presertim si sit Metropolis Regni, fertilitas telluris, temperies aëris, amænitas camporum. In tempore considerantur anni tempestates; sic Hyemi, tribuitur fortitudo, Veri speciosa venustas, Aestati copiosa seges, Autumno summa omnium fructuum fertilitas, considerantur etiam Kalendæ, quæ natalibus felices censebantur, item dies sextus, & septimus, quia sacri habebantur; quapropter, qui hisce nascebatur diebus, credebant superstitiosi Aethnici quandam habere cum dijs communionem, item nonus dies mensis soli erat sacer, ex quo arguebant, natum hoc die præclaris gestis fore illustrem instar solis, insuper quintus decimus Mineruæ erat sacer, & Plenilunio illustris, ex quo colligebant natum puerum illo die euasurum scientiarum omnium arcam, foreque bonarum artium capacem, & ex plenilunio indicabant hanc pueri natiuitatem talē fore, vt in ea nihil deesset virtutis, ac bonæ artis: hinc alios natales dies magnorū ducum summis semper ceperunt honoribus: sic Persę diem illam, vt sacram coluere, qua Xerxes Imperij culmen attigit; Syracusani grandis pompæ fastu eam prosecuti sunt diem, qua Timoleon accessit Imperio; Athenienses eam coluerunt diem, quæ scientiarum sacrarium nempè Socratem peperit: Romanis etiam quot annis sollenni festiuitate læta fuit dies illa, qua vrbis fundamenta iacere maiores cęperunt: idus Iuliæ Iulij Cæsaris ortu solemnes fuerunt, Kalendæ Ianuarij Titi ortu claræ, Decembres Neruæ natiuitate insignes, Nouembres Adriani ortu nobiles, Aprilis Antonini Pij in hanc vitam ingressu floridæ, Februariæ Constantini natalibus hilares. Considerabantur etiam menses, anni, quorum primus apud Romanos rerum dominos erat Martius, qui mentium princeps gloriosa ista fuit appellatione insignitus à Romulo, Aprilis

Veneri

Veneri erat facer, ac venustati: Maius à maioribus nuncupabatur: vt Iunius à iunioribus: & Iulius à Iulio Cæsare: Augustus etiam ab Augusto Cæsare, antea enim sextilis vocabatur, hoc mense Circenses etiam agebantur ludi ad gloriam Cæsarum.

Exordium Genethliacæ orationis alij desumunt à votis publicis, vt inter alios facit argutè Martialis in natiuitate filij Domitiani Imperatoris lib. 6.

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deûm soboles nascere magne puer.
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas,
Quique reges Orbem, cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem?

Confirmatio Genethliacæ orationis duplicem continere potest partem: primò, commemorationem maiorum, ac prodigiorum, si quę præcesserunt natiuitatem: secundò, ea quæ natiuitatem comitantur vt tempus, locus, oracula, somnia: insuper ex præstantia pueri, ex vigore, colore, ac corporis optima symmetria, potest hæc oratio amplificari, ac cum alijs puer comparari: sic si pulcher est, & fortis, Achilli similem dices: si naturæ temperatæ Nestori, & Aristiti æquiparabis, si color niueus faciem venustabit dices fore candidum moribus, ac pudicitiæ cultura futurum insignem, si vigor eminet in vultu, dices Heroem spirare.

Epilogus, vt plurimum vota continet, faustas precationes nato infanti, vt sit delicium Cæli, ac Pindi, vt cum lacte morum candorem bibat, adolescat in sinu pietatis, ac musarum, Nestoreos viuat annos, ac virtutum, honorisque attingat apicem.

OECONOMIA LVSTRICAE ORATIONIS.

Quia nato infanti primò nomen imponitur, quando lustralibus aquis tergitur; ideò post orationem Genethliacam sequitur oratio lustralis, quæ fit in laudem nominis impositi puero nato, dicitur etiam lustralis, quia dies, quo nomen imponebatur, dicebatur etiam lustricus, seù lustralis, Romani die nono masculis, octauo post natiuitatem fœminis nomen dabant, Athenienses decima die, Hæbrei verò vt patet ex sacro Codice octauo die; mores, qui apud exteras nationes circa nominum impositiones seruabantur, prolixè habes in Alexandro ab Alexandro ipsum consule.

Nomina,

Nomina, vt ait Posseuinus de cult. Ingen. lib. 1. cap. 14. non temerè, ac fortuito, non casu, nec pro cuiuscunque hominis arbitrio indita fuerunt, sed à diuersis causis nomina sumebantur, vt à naturali proprietate; sic Artaxerxes dexteram habens sinistra prolixiorem *Longimanus* nuncupabatur; Cursius Sicinius, quia munitus dentibus materna exiuit ab aluo *dentati* nomen vix natus, nactus est; & nobiliori Imperatori; quem totus coluit mundus, quia editus fuit cum Cæsarie, *Cæsaris* nomen inditum fuit; licèt alij velint ab vtero matris *Cæso*. A lingua balbutiente Michael Romanorum Imperator, & Ludouicus Franciæ Rex, *Balbi* cognominati sunt, & Philippus pariter Rex Gallorum à corporis præstantia per Antonomasiam *pulcher* vocabatur: alij postea à singulari aliquo, ac proprio accidente sortiti sunt nomina, hinc Valerius dum pugnabat contra Senonas, quia coruus prima Orientis Solis luce propè ipsum volitabat *Coruinus* fuit cognominatus, & Carolus filius Ludouici Francorum Regis, quia caluitie laborabat Carolus *Caluus* fuit posteà vocatus: & à Pericle, ac Icaro proiectam in mare Arneam vxorem Vlyssis, quia ab aliquibus volucribus, qui *Penelopes* vocabantur ab imminenti periculo fuit liberata, *Penelopem* dictam volunt; apud Aegyptios *Moi* significat aquam, & *Ses* Saluum; vndè puero Hæbreo à matre exposito Nili vndis, & à filia Pharaonis accepto *Moysis* nomen inditum fuit. Plurimis etiam datum fuit cognomen ab aliqua peculiari actione; sic Marius *Coriolanus* dicebatur, in memoriam Cariolarum Vrbis à se expugnatæ: Quintus Metellus à domata Macedonia *Macedonius* fuit appellatus: alter ex Scipionibus à superata Africa *Africani* nomen tulit, & Secundus Scipio, quia Asiam Romano subiecit Imperio Scipio *Asiaticus*, etiam hisce temporibus appellatur: Antoninus, & Ludouicus Caroli Magni Fratres *Pij* sunt vocati ob pietatem, quam exercebant in subditos, Alphonsus filius Petri Cantabriæ Ducis, quia funditus Arianam eradicauit Hęresim *Catholicus* est cognominatus, & in hoc sensu Cassiodorus lib. 8. epis. 10. ait: *Suscepisti nomen ex meritis, custodi vt semper læteris veritate vocabuli eodem modo, quo apud Vopiscum de Probo dicitur erat adolescens sui nominis vir*; Abyssimi suum Regem *Bellusgiam*, hoc est incomparabilis præstantiæ gemmam appellarunt; quod nomen etiam posteri multi constanter retinuerunt: Pericles à fulmine eloquentiæ dictus est *Olympius*; Xeno-

phon à suauitate dicendi *Apis Atthica*, Antiphon orationum *Coquus*: Cyro Solis etiam nomen inditum fuit: Neroni *Nerini*, siuè Martis, Antigono *Euergetes*, siuè benefactoris, sic Edmundus Angliæ Rex vocabatur *Ferreum latus*: Lucullus *Xerxes Togatus*: Traianus *Optimus*: Atthila *Ira Dei*, Tamurlanus *flagellum*, Vespesianus *Orbis deliciæ*: sic Nerua etiam fuit cognominatus *bonus*, Aelius Adrianus *doctus*, Flauius *bellator*, Valerius *pulcher*, Enricus *aucupium*, Maximinianus *liberalis*, Commodus *Hercules*.

Hæ tamen nomenclaturæ vigeant apud rudis sæculi monumenta, apud Christianos cælitum nomina pueris imponuntur, vt illorum actiones valeant imitari: quia vt ait Cassiodorus, *Nimis absurdum est portare nomen alienum, & alium dici, quam possit in moribus inueniri*, & ex D. Th. Nomina debent rerum proprietatibus respondere; hinc in circumcisione filio Dei nomen super omne nomen imponitur, scilicet nomen *Iesus* ab Angelo Virgini Mariæ significatum, quia iuxtà explicationem D. Hieronymi Iesus, hæbreo sermone *Saluator* dicitur, Etimologiam ergo nominis significat, dicens, *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, vnde D. Bern. serm: de Circ. Domini, *Meritò sane dum circumciditur, puer, qui natus est nobis Saluator vocatur, quod videlicet ex hoc iam cæperit operari salutem nostram, Immaculatum illum pro nobis Sanguinem fundens*.

Lustrica oratio, sic disponitur: exordium petitur à circumstantijs loci, & personæ, vel ab aliquo ritu antiquo, vel a communi lætitia: exordium sequitur confirmatio, quæ duas complectitur partes: primò, commendationem nominis, quæ ducitur à causa, propter quam ponitur nomen; vel ab etimologia eiusdem nominis: secundò, à comparatione cum illis ducibus, qui simile habuerunt nomen; demùm epilogus clauditur votis, ac gratulationibus.

OECONOMIA EPINICII.

Species hæc orationis in genere demostratiuo latius patet quocunque alio orationis vsu; texitur enim pro quouis casu felici, vt ijs gratulemur, quos adblandiens fortuna ad culmen alicuius dignitatis, vel honoris erexit; vel ab imminenti aliquo periculo extraxit. Exordium peti potest à causis publicæ lætitiæ, vel à mutatione fortunæ in feliciorem statum, vel à graui, ac concitata amplificatione rei obtentæ, vt est gratulatio illa Ciceroniana:

niana: ob Catil'nam demiſſum. *Tandem aliquando Lucium Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ; nefariè molientem, vobis, atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem ex vrbe, vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem vrbem proſequuti ſumus, abijt, exceſſit, euaſit, erupit: nulla iam pernicies, à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Iacet ille nunc proſtratus, & ſe perculſum, atque abiectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profectò ſæpè ad hanc vrbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget, quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam peſtem euomuerit, furoremque proiecerit.*

Confirmatio plures amplectitur partes pro diuerſitate rerum, quibus gratulamur: ſi agitur de victoria grates referuntur propter debellatos hoſtes, timorem ereptum, liberatam Patriam: deindè narrantur adoreæ, commendatur pugnãtis exercitus robur, militum fortitudo, ducum inuicta magnanimitas; deindè amplificari poteſt pugna per hypothypoſes, deſcriptiones &c. denique clauditur oratio epilogo, qui totus eſſe debet in votis, ac precibus pro felici rerum ſucceſſu.

OECONOMIA LAMENTATORIAE ORATIONIS.

Epinicio, ſeù gratulatoriæ orationi opponitur lamentatio, quę affectus doloris, triſtitiæ, & pietatis in adſtantium animis debet excitare: & duas continet partes, in quarum prima ſignificamus grauitatem mali, eamque exaggeramus, vel ad mouendum dolorem, vel ad excitandam miſericordiam: ſecunda pars continet metum, qui alijs inijci debet, ne in idem malum incidant: vt eſt Ariſtidis oratio Eleuſinia, qua templum Deæ Cereris incenſum deplorat; & Smyrnæa, qua terræ motu quaſſatam, ac dirutam Smyrnam deflet; præ cæteris in hoc genere principem occupat locum Saluianus; audi quam benè conquęratur, & eos pungat flebili calamo, qui in ſumma calamitate petebant Circenſes, ac ludos inter armorum terrores, Saluia. lib. 6. Iacebãt paſſim vtriuſq; ſexus cadauera, nuda lacerta, vrbis oculos inceſtantia, auibus, canibuſque laniata; lues erat viuẽtium, fętor funereus mortuorum, mors de morte exalabat, ac ſic etiam, qui excidijs ſupradictæ vrbis, non interfuerant, mala alieni excidij pręferebant &c. & pauló infra: Circenſes ergo Treuiri deſideratis? & hoc vaſtati? hoc expugnati? poſt cladem, poſt ſanguinẽ? poſt ſupplicia? poſt captiuitatem? poſt euerſæ vrbis excidium? quid lachrymabilius hac

stultitia? quid luctuosius hac amantia? fateor; miserrimos esse vos credidi; cum excidia passi estis; sed miseriores vos video, cum & spectacula postulatis. Theatra igitur quaeritis, circum à principibus postulatis: quaeso, cui statui? cui populo? cui ciuitati? vrbi exustae, ac perditae? plebi captiuae? & interemptae? quae aut perijt, aut luget: de qua etiam si quid superest, totum calamitatis est, quae aut maestitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata; in qua nescias penè, cuius sit sors peior, ac durior, interfectorum, aut viuentium; tantae enim sunt miseriae superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludrica ergo publica Treuiri petitis? vbi quaesò exercenda? an super busta, & cineres, & sanguinem peremptorum, quae enim vrbis pars his malis omnibus vacat? vbi non cruor fusus? vbi non strata corpora? vbi non concisorum membra lacerata? vbique facies captae vrbis, vbique terror captiuitatis, vbique imago mortis. Iacent reliquiae infelicissimę plebis, super tumulos defunctorum suorum; & tu Circenses rogas? nigra est incendio ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas? lugent cuncta & tu laetaris?

In Epilogo superi solent deprecari, vt à ceruicibus omnium tales depellant calamitates, ac strages.

OECONOMIA MONODIAE LVGVBRIS.

Hoc orationis genus in luctus, & squalores erumpit, & lachrymas ab adstantium oculis elicit; dolores, cruciatus, clades, voce lugubri, męstoque vlulatu, non siccis oculis enarrat, structura huius orationis non exigit tantum artificij; cum doloris sensus, perse disertum faciat oratorem.

Exordium peti potest, vel ex abrupto, à narratione calamitatis, seù dolorum, vel prouocando auditores ad luctum, ac attentionem. Narratio seruare poterit ordinem naturae, primùm narrando primos dolores passos, ac cruciatus, deindè subsequentes per ordinem, quae narratio excitare debet in auditorum animis affectum pietatis. In epilogo etiam excitari poterit pietas, ac luctus. Subijcio exemplum Monodiae lugubris super Christi Domini Passionem.

CHRISTI PASSIENTIS MONODIA LVGVBRIS.

Fundite fletus, edite luctus, resonet tristi haec aula clangore, excipiat sinuosis Caelorum anfractibus Echo ferales eiulatus, & inuiolabilem, labilem de cruciatu in cruciatum repercussu nume-

roſo pronunciet, nunciet morientis Dei parentalia. Triſtes vlulate gentes, lumina corrumpite planctu, ſoluite crines, tundete pectora, cineribus ſpargite capita noſtro in cineres mortis abeunte capite: erumpat erumpat dolor; & ex oculis lachrymarum in latices enatantibus Rhetorum viduatus fuco, ſine vllo elocutionis lepore, ac Suadæ amænitate ſqualidus gemitus; excitetur inquam ſine argutiarum acuminibus, incomptus; ſine floridi ſtyli lepore, mæſtus; ſine elegantiarum delicijs, languidus; ſine iocante ingenio per Parnaſſi vireta, triſtis; ſine facundiæ ornamentis, incompoſitus; moriente Deo dolor parentalis: nulli redoleant politioris literaturæ flores: imò lachrymarum imbres eos demergant, & veluti erumpētes gemmas doloris pruina dequoquat; dum ſpineum aptatur ſertum, vt dumetis horrentibus Chriſti patientis vertex obruatur: nullus hic grandis orationis fulgeat ſplendor, dum diuinus Sol acerbæ necis eclypſim patitur, ad quem aſpectum Cælum ipſum exhorruit, & atra veſte ſuum eluxit conditorem; imò ipſe ſyderum princeps ſe luctuoſis, ac repentinis vallauit tenebris tantumque ſcelus erubuit. Quia lugubre argumentum exlex mihi ſuggerit dolor ad lachrymarum Clepſydram peroraturus veſtros ſubijciam ante oculos Deum, in cruciatuum area *victorem*, & *victimam*, & ideò *victimam*, quia *victorem*.

Exordiar igitur à feralibus Gethſemani hortis, in triſtes, ac inamænas degenerantibus delicias; vbi auarus dolor ab omni mactandæ victimæ artu, aureum, ac argenteum ſudorum, ſanguiniſq; tributum exigit; vbi Dei filius inſolito correptus metu, in terram proſternitur, vbi *vt iumentum factus* noſtrorum ſarcinam delictorum non eſt auſus recuſare: Heu, quam graue extiterat delictorum pondus; quando diuinum Athlantem, ſic opprimit, vt in humum proſternat. Exordiar inquam ab illis feralium hortorum delicijs inamænis, vbi nubes timoris, ac triſtitiæ, quæ diuini Solis turbauerant ſerenitatem ſanguineas ſudorum in pluuias ſoluuntur, vt tandem noſtrorum cordium ſterileſcens tellus hoc imbre fęcundaretur, & in viriditatem ſperatæ ſalutis germinaret, geminaret ſpei virores, & tam bono irrigata rore dare tandem inciperet fructum aliquem; licèt cruentas ſoluantur in pluuias triſtitiæ nubes, expectet tamen mundus ſerenitatem, quando in veſpere Sol noſter rubuit, non erubuit cruciatuum ſuorum funeſtiſſima obiecta; quæ, quia oculi non ſufficiebant, ab omnibus membris

ſangui-

ſanguineas elicuerunt lachrymas: aliter illachrymari non decuit Argum noſtrum, qui totus eſt oculus: ſanguineas guttas ad obiectam carnificinam exſudat; ac ſementem facit, qualem bonus Agricola diſſeminat irriguam per terram, vt citiùs in copioſos noſtræ redemptionis fructus ſacri ſudoris ſemina erumpant. In ſudore vultus ſui veſcatur pane protoplaſtus noſter; nos meliori veſcemur ſalutis pane, in ſudore huius ſecundi Adæ; nec mirum ſacrificium initiandum, vt ſolemni adminiſtraretur ritu; victima quamquam niue purior in colle Getſemani viuis vndis abluitur.

Hinc ligandam victimam venerat Iudas, & ad macellum, ac lanienam cruciatuum trahere; quam victimam ſextertio venalem fecerat: quaſi non dominus Maieſtatis, ſed Syrus neſcio quis de grege ſeruorum fuiſſet: *ferale* fatum! lugubre factum! fit Deus pretium proditoris, ac ſerui venalem in mercem cedit Herus: amoris armis abuſus proditor oſculum in vitę authoris perniciem figit; fideique ſymbolo in perfidiæ teſſeram conuerſo; eodem oſculo, quo Deus ſub mundi cunabulis in Adam ſpiraculum vitæ ſpirauit, conſpirauit nunc proditor in Deum ipſum necem, en fœdator iniquiſſimus inter amoris oſcula odij venena deſpumans, choragium crudeliſſimæ lanienæ immaniſſima conſtruxit humanitate, & amoris iaculo, quod eſt pacis nomen, omen vitæ *tranſfixit*. Te excuſo mi Ieſu, tibi voluptas erat, pro omnibus mori; cruciatuum mortiſque viam inchoas ab oſculo, quamquam ab ore prodeunte cadaueroſo, quia magiſtri necem olet, & ſuam: te tamen accuſo perfidiſſimum Iudam, qui cæcus cum laternis, ac facibus nitidiſſimum Solem quæſiuiſti: didiceras forſan à Cynico Diogene accenſo lycno, licet ſub Sole hominem quærere; habuiſti, & tu furiarum de grege faces tuas, quibus mundi lucem non augeres, ſed extingueres. Nam ad proditoris oſculum veluti clangentis tubæ ad Claſſicum tota ſeſe veſana turba effudit in furias, mitiſſimam victimam circumligauit, ac conſtituit in domo prætoria. Heu acerbum ſpectaculum! non ſiccis oculis ſpectandum! nudatur corpus verecundum, & à fœdiſſimis lorarijs dilaceratur vſque ad cruoris effuſionem, vitæque exitium: mihi credite plagæ illæ amoris potiùs ſunt plagæ, hoc eſt retia, quibus perditas hominum feras captet. Inſtant illi irriſione, ac flagris; ſanguine non minus ebrij, quam vino, ad columnam compreſſo corpore alligant; vt duriori cruciatu victima ſacra ſanguinis reliquias effunderet;

funderet; facinorosis nanque verberibus innocens corpus violatur, impressis altius virgarum sulcis, vibicibus inustis dehonestatur, effuso cruore operitur; nec finis imponitur dolorum catastrophe; imò nudantur aliorum cyclopum lacerti; ac nullà intermissà flagellorum morà, ictus plurimi, veluti ruentis grandinis tempestas, florem Iesse opprimunt, deprimunt: inflicta tument vulnera, euomunt cruorem, nec alio fouentur oleo: sed alio plagarum exercitu superueniente priora vulnera recrudescunt; scilicet Athleta nobilis duram euocatus ad luctam, nō alio linitus humore, quam proprio cruore, melius de Thartaro sciuit triumphare: res noua non sit, si columnę alligatur humani generis Reparator; dirutum, ac prolapsum mundum, vt erigeret firmiorem quæsiuit columnam, in qua meliùs quam in Herculea, *Non plus vltra* dolorum inscribi poterat; nempè nouus legislator ducturus ad verę salutis promissam terram populum suum columnam etiam voluit suam. Timeat iterum templum Dagon ruentem structuram, en fortissimus Sampson columnas amplectitur. Scio fabulosum Prometheum, quia olim raptis flammis mundum inflammauit, durissimo fuisse alligatum saxo, vt pœnas lueret tanti delicti, dilecti æterni filij corpus, quia ignes venerat in terras mittere etiam saxo alligatur: nouus tamen Deucalion homines in obstinationis lapides degeneratos iterum hoc lapide in homines voluit vertere: diruant Scythæ ex cothurnata Phyladis, & Orestis historia columnam, in qua veri amoris præcepta legebantur sculpta, præclariora sui intensissimi amoris emblemata ad erudiendam omnem gentem in columna altera statuit Deus, vt ipsa nocumenta documenta fierent.

At e saxo venitur ad dumos, oh inuentum furiale! ò lanienam solo auditu horridam! diuini Solis caput non amplius rutilantibus coronatur syderibus, sed dumetis horridis obruitur, & transfigitur: labile Christi regnum ne credatur, dum illius corona radices habet in capite, ne moueatur: aliorum Regum ideò inconstantia sunt Regna, quia illorum diademata sine vlla radice facilè mouentur, Christi corona è conuerso figitur capiti, vt faterentur Iudæi licèt inuitò solùm illius Regnum non esse labile: sepire vineam suam venerat sedulus Agricola, ne fures illam imposterum deuastarent; materiam ad sepium structuram vndequaque est amplexus: ecce flos campi, malè cultum lilium inter spinas pro

germi-

germinauit in flores rubos diffusi cruoris;meliùs dicam in charitatis purpureas rosas, vt rosam è punctæ Veneris cruentato pede purpuratam abijcerent homines; & doloris has rosas è puncto Dei capite progerminatas amplecterentur,vt de Venereis triumpharent delicijs, vel vt discerent, in regno Patientiæ nihil aliud meliùs coronare, quam quod cruciat: vel vt nos doceret puritatis lilia candidius non florere, quam inter pœnitentiæ, ac cilicinę vestis spinas; vel spineo diademate cruentatur, vt scirent Christiani proceres ab eo spineto, regnorum florem colorem suum duxisse, ac non decere regem inter delicias emollescere; vel vt discerent purpuram non meliùs effulgere, quam proprio tinctam sanguine, vel tandem vt apprehenderent, non decere membrum esse delicatum cruentato sub capite: erumpite iam in lachrymas oculi, quando diuinæ frontis niues prodigiosi furoris ęstu soluuntur in cruorem.

Verùm quod dolorem magis auget addunt satellites supplicijs contumelias, & ne dum plagas, plagis ingerunt, ac crebris ictibus locus personat, sed veluti actores in fabula histrionica purpura, suo sanguine purpurata corpus induunt, & coronam rigentibus spinis aculeatam, magis, ac magis sacrosancto capiti affigunt: pro sceptro arundinem in manu statuunt, & Regem salutant, ac repentè veluti in scenæ catastrophe mutata personarum facie Regem conclamant, exsibilant, explodunt. Mi Iesu ita ne factus es insanæ gentis ludibrium! ità ne Purissimæ Virginis partus receptaculum est omnium cruciatuum! at non hic sæuitiem suam deponit Iudaica barbaries; portandum crucis pondus ad Caluariæ collem semiuiuo Deo imponunt. Contemplare iam Regem Regum, luxato dorso, fractis humeris, deiscentibus vulneribus montis iuga stillicidio sanguinis irrigantem: contemplare cadentem Iesum magis sub culparum nostrarum pondere, quam sub Crucis trabe. Contemplare obuiam Berenicem, quæ nobiles sordes diuini vultus in linteo colligit; imprimi vbique voluerat Deus dolorum suorum imaginem, & vbi impressos dolores non susceperant animi, pictos voluit in telis, mox exaltaturus in Cruce purpura expoliatur; benè mi Iesu exutus purpura Regem non exprimis, tuo nondum fixus eras in trono, vel Athleta nobilis supremam euocatus ad luctam impedimenta vestium abiecit, ac faciliùs triumpharet.

Phœ-

Phœnicem credat mundus innocentiæ sæculum, & iterum renatum, dum nouus Adam in Paradisum suum denuò progreditur, & vt de ligno vitæ tutò iam comedere homini liceret, in fructum Christus ipse super Crucis arborem appenditur: clauis configuntur innocentissimæ manus, ferreo vinculo constringuntur Sanctissimi pedes, natant in cruore oculi, & nitidissima illa duo sydera inter mortis vmbras obtenebrantur, & iam diductis brachijs, laceratis artubus, perfossis manibus, traiectis pedibus, sacrosanctum Corpus languescit pendulum, exinanitur, emoritur: vbi cubat in meridie, ampliùs non quærat sponsa, iam in occasum necis cecidit Sol, & Cælum atra veste suum eluget conditorem, duos extinctum inter latrones. Proh! quanti faciunt mala sua homines, quia venerat ea minuere, fur est creditus Christus, & cum latronibus moritur; nec immeritò, qui non humana rapuit, furta faciens in Cruce, fures ipsos furatus est, sed magistrum amoris in Cruce ne credas, sed in Cathedra vbi perforato latere militis lancea, ideomate amantium locuturus ore clauso, cor aperit, vera amoris præcepta cor docet, non lingua.

Mortuo tamen Deo tota parentat natura; extinctum suum Solem ipsa Cæli lumina lugent; quæ tenebris, & squalore obsita, funebri pompa epicedia suo pangunt conditori; mirum non sit, si obtenebratur Sol, ceù noctis caligo totam obruit naturam, vltimum suæ tragediæ actum iam recitauerat Deus, lumina extinxit sua, iam acta erant omnia: hæc tamen sine lumine nox ad conciliandum soporem apta ne credatur, vbi apertis monumentis corpora, quæ dormierant surrexerunt.

Acerbam tamen necem plangit terra, quæ profundis concussionibus labefactata tanti criminis immanitatem non substinens tota tremuit; & ipsa saxorum firmitas, rupta præ dolore soliditate frangitur: hoc crudum fatum illuxerunt montes, qui squalido oppressi pauore contremuere; nefandum facinus lacrimatus est Sol, qui atra caligine velatus, ac vallatus simùl cum diuino Sole eclypsim voluit pati: emollescere voluerunt lapides in sensum doloris, quando & potuerunt mortalium pectora lapidescere: expalluit, contremuit, ac tota defecit natura ipsa, ad tantæ carnificinæ intuitum. Fundite & vos fletus, edite luctus mortales, & mactatam sub ara Crucis victimam parentali Nenia vlulate, nam priuatū meum dolorē satis publicus tremebundæ naturę planctus perorauit. Ccc OECO-

OECONOMIA EPITHALAMII.

Epithalamium idem ferè eſt, ac nuptialis oratio; ſolùm enim differunt tempore iſtę orationes; quia hæc perfectis nuptijs recitatur; habent etiam poëtarum commenta ſuum Hymenęum carmen, de quo prolixè Scaliger 3.Poët.cap.101. Omnia eruditionum genera, rituſq; omnes in nuptijs ſeruatos, apud omnes nationes, amænè, ac lepidè habes in noſtro Aloyſio Nouarino lege librum cui titulus eſt aquæ nuptiales, & omnia, quæ ad nuptias pertinent inuenies. Exordium duci poteſt à lætitia, & celebritate nuptiarum, vel ab antiquis ritibus in nuptijs ſeruatis; deindè Orator dilucidabit rationem, qua impulſus fuerit ad ſuſcipiendam laudationem, vel propter amicitiam, vel affinitatem: exordiri etiam poteſt hęc oratio ab enumeratione commodorũ, quę ex hoc coniugio ſperari poſſunt, vel à reiectione hymenæi cantus, ſignificando alios quidē hymenæos canere conſueuiſſe; ſe verò hymenæi loco orationem habere non tibijs, aut citharis, ſed eorum laudibus, ac hymnis, qui matrimonij vinculo copulantur.

Confirmatio ſtatim inchoari poteſt per modum panègyricæ orationis commendando ſponſos, vel à patria, parentibus, loco, corporis præſtantia, ætate florida, vel comparando eos cum Heroum nuptijs, quæ felices ſortitę ſunt exitus. Cauendum tamen eſt, ne aſſumatur exemplum illarum nuptiarum, quarum exitus infelix fuit; vt Achillis, & Polixenis; Iaſonis, & furentis Medęæ; non incongruum etiam foret commendare aliquod axioma pertinens ad nuptias, vt eſſet illud Scitum dictum Homeri, nempè, *Nullum maius bonum; quam dum vir, & vxor concordes, & idem ſenſientes ædes habitent:* in calce confirmationis figi poterit apoſtrophe ad vtrumque ſponſum de ſpe ſobolis! & epilogus fauſta omnia vtrique ſponſo precabitur.

OECONOMIA FVNEBRIS ORATIONIS.

Nulla frequentior orationum ſpecies eſt hac funebri, quia *Quotidie morimur, ac omnium verſatur vrna,* & quamquam homines immortalitatem etiam ab ipſis ſaxis emendicent ſculptis caractheribus eorum nomina figentes in ipſis ſaxis, quis crederet? etiam in ipſis marmoribus ſculpta nomina moriuntur, nec ſaxorum durities ſculpta nomina tueri poteſt à voraci temporis dente; Auſonius quædam conſpiciens inſcripta marmora, & iam à temporis falce ſciſſa, ac dilacerata aliud non cecinit, niſi;

Mira-

Miramur perijſſe homines monumenta fatiſcunt
Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

De orationis funebris ortu elegans extat diſertatio apud Dionyſium Halicarnaſſenſem; num Valerius, primus hunc morem apud Romanos inſtituerit, an inſtitutum à præcedentibus regibus ſecutus fuerit; qui tamen in ſcribenda hiſtoriarum mole deſudarunt, aſſerunt hoc eſſe Romanorum vetus inuentum, ſcilicet mortuorum virtutes commendare; neque à Græcis primùm inſtitutum: certamina tamen funebria, & Gymnica in honorem clarorum virorum facta antea, tradunt nonnulli, vt ab Achille in Patrocli nece, & ab Hercule in funere Pelapis; & Plutarcus in Pericle ait deuicta Samo regreſſum Athenas habuiſſe de more funebrem.

Eleganter inſcripſerunt Orationes funebres S. Gregorius Nanzianzenus in funere Baſilij, Patris, & Sororis; S. Gregorius Niſſenus in Placidiam, & Pulcheriam; S. Ambroſius in Theodoſium; Ariſtides in Eteoneum.

Cęterùm exordium huius orationis plenum doloris, ac lachrymis eſſe debet & duci poteſt ab aliquo voto, vel ab exclamatione, vel ab inuectiua in mortem, ac cauſam necis, vel ab explicatione humanæ conditionis, vel ab eſequiarum apparatu, ac pompa, vel à circumſtantijs temporis, ac loci, vel à cauſis mæroris, ac triſtitiæ, vel ab affinitate, ac dignitate; vel à commendatione perſonæ defunctæ, vel ab explicatione noſtræ fragilitatis: ſic lepidè Tertullianus lib. de anima cōparat vitam noſtram nauigio inquiens, vis eſt & illa nauigijs, cum longè à Capharijs ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis fluctibus, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu cum tota ſecuritate deſidunt: non ſecus ſunt naufragia vitæ, ac tranquillæ mortis euentus; & Poëta ſcitus vnico diſtico; hic humanæ vitæ comprehendit fragilitatem;

Somnus bulla, vitrum, glacies, flos fabula, fœnum,
Vmbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.

Vnde & D. Cyprianus vnuſquiſque noſtrum ait, cum naſcitur, & hoſpitio mundi huius excipitur, initium ſumit à lachrymis, & cum illis extinguitur, vndè de ſeipſo ſcitè canebat Poëta Pius;

Vt lachrymis cæpi, lachrymis ita finio vitam,
Totum penè meum viuere flere fuit.

 A cir-

A curcumſtantijs temporis ſic orditur D. Ambroſius in funere Theodoſij ſenioris, *Hoc nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuiæ minabantur, & vltra ſolitum caligo tenebroſior denunciabat, quod clementiſſimus Imperator Theodoſius receſſurus eſſet è terris: ipſa igitur receſſum eius elementa mærebant. Cælum tenebris obductum: aër aſſidua horrens caligine: terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluuionibus. Quidni mundus ipſe defleret eum principem continuò eſſe rapiendum, per quem dura, mundi huius temperari ſolerent; cum criminum pœnas indulgentia præueniret: & ille quidem abijt ſibi, Regnumque non depoſuit, ſed mutauit.*

A commendatione perſonæ, ac præſentis vitæ fragilitate exclamatoriè, ſic exorditur ſuam roſam ſepulchralem Ferrarius nomine quidem ferreus, ſed eloquentia aureus. O breue roſarum ver! O mortalitatis iuuenili vere deflorescentis lugubre exemplum! O Vrſiniæ amænitatis Principem florem, è vitæ, gloriæque fertili viridario flebiliter tranſlatum ad ſterile ſepulchrum! O nimis copioſè ſuccreſcentes ad vnius roſæ caſum ſpinas doloris innumerabiles! O viduam Romam roſeæ purpuræ amiſſum gaudium in atratæ violæ ſqualore deplorantem. Et in funere Bernar. Stephonij, ſic incipit. Ergo coronarium Stephonij nomen eruditiſſimo capiti pro laurea, funeſtæ cupreſſus omen fuit? ergo Romanorum ſingulari par eloquētiæ Theatrum, externum ſepulchrum eſt? debiti ergo canoræ gloriæ plauſus parentales lachrymæ ſunt? agite lachrymæ, tantiſper in voces abite, dum vitæ fabulam ſuæ non eleganter minus claudenti, quam tragicos regum exitus canenti, elegantiſſimo Poëtæ ſuprema gratulatione plaudatis. Age lachrymis eloquentior, quam vocibus dolor, quamuis inconditus, vocalis tamen erumpe, extincta enim eloquentia inconditam decet loquentiam vlulare.

Si exordium à gentium diuerſis ritibus texeretur, non incongruum foret ritum illum Scytharum recenſere, qui corpus Regis Plauſtro vectum per ſingula propriæ Ditionis loca circumferebant, vt quilibet ex ſubditis aliquam cadaueris particulam decerperet: Orator verò expoſito hoc ritu; ſic Apodoſim facere poſſet; nempè velle ſe in eloquentiæ quadriga defunctum vehi, non vt dilanietur, quod barbarum foret, ac inhumanum; verùm vt ſibi quiſque eius virtutis monumentum capiat, illiuſq; virtutes imitandas ſibi proponant. Vel ritum illum Perſarum, qui Rege

emortuo

emortuo omnes extinguebant ignes, vt suum extinctum splendorem, ac gloriam indicarent, vrbisque Proceres Atrati oratione impexa, & squalida defunctum prosequebantur. Sic etiam est clarum nigros Aetiopes suorum defunctorum cadauera in vitreis columnis includere cōsueuisse; forsan, me iudice, ad indicandam totam firmitatem, ac constantiam hominis expressam per columnam vitream: tritus est etiam ille Romanorum ritus, quo in solemni pompa mortuorum imagines asportabantur, vt ciuium animos ne dum ad luctum, sed etiam ad maiorum suorum facinora contemplanda, ac imitanda excitarent.

In funere Athanasij Nazianzenus suum orditur epicedium ab ipsa magni præsulis commendatione inquiens; Athanasium virtutis simulacrum laudamus; nec ferè quidquam habet de funere præ gloria, cuius splendor omnem fumum lugubrem absorbet: tamen de iactura, quam facit Ecclesia querelam habet aliquam &c. Et in D. Basilij Monodia exorditur ab excusatione, se indignum ostendens oratorij muneris; præsertim quia ad rem sacram oportuerit purgari, & animam, & linguam; deindè quod recens, ac luctuosus mæror loquellam impediret, demum in calce exordij ab ipsius Basilij anima sancta veniam audaciæ postulat; deinde eius Apotheosim aggreditur.

In Epithaphio Paulæ Romanæ D. Hieronymus incipit à commendatione nobilitatis huius illustris matronæ, laudando nobilissimum Gracorum genus. Et pro Nepotiano adolescente exorditur orationem funebrem explicando sui mæroris causam, & laudando ipsum adolescentem, per figuram Reticentiæ, magis augendo illius virtutes præcipuè ex eo, quod in palatio sub clamyde candenti lino corpus eius cilicio tritum sit: & Fabiolæ in Epithaphio incipit dubitando, à qua virtute primū incipere debeat.

Confirmatio tria complecti debet primò commendationem virtutis eius, qui vita functus est: secundo viuorum pacem, & solatium: tertio, documentum superstitum, exponendo defuncti virtutes à posteris imitandas, vndè confirmatio propriè est Panegyrica oratio, qua defuncti gesta, ac virtutes commendantur.

Epilogus æternam precabitur defuncto salutem, ac requiem, vel elicere poterit ab auditoribus lachrymas, quibus acerbam, ac intempestiuam defuncti necem plorent; vel posteros cohortabitur ad imitationem virtutum, quæ mortuum exornarunt.

OECO-

OECONOMIA DEDICATORIAE EPISTOLAE.

Quia ferreo hoc sæculo non minus acuuntur arma in Bellonæ area; quam ingenia, ac linguæ in Palladis lyceis ad pungendum ingeniorum partus, ac mordendum satyrico dente aliena scripta: quasi omnia librorum volumina in lucem produnt sub tutela alicuius Pij Mœcenatis, cuius fauore Catonianos quosque dentes, ac aduncos nasos audacter irrideant; nec immeritò, vbertas enim alterius ingenij: persæpè, vt fæcunditas Liæ parturit in Satyricorum sterilescentibus mentibus, vt fecit in ęmulatrici Lię Rachaele deformem fœtum Inuidiæ; & persæpè isti momi se offendentes in præstantem aliquam Venerem, nobilis, ac argutæ compositionis Apelleam imitantes artem furtim rapiunt, ac suis pingunt in papyris: vel si non rapiunt, non tamen vt Paris ei offerunt aureum pomum debitæ laudis, sed satyrico dente, mordent: quidni etiam Galileum æmulantes tentant maculas detegere in sole alterius compositionis; verùm vtinam propè solem in inscitiæ eclypsim non ruerent, persæpè etiam lydium se credentes lapidem distinguentes aurum ab argento, ac ære perfectæ compositionis, de lidio non virtutem, sed saxeam duritiem dumtaxat habent, quod solum prouenit à mera inuidia, quia vt ait D. Augustinus, *Inuidet par pari, quia ei coæquatur, inuidet inferior maiori, quia ei non coæquatur, inuidet superior inferiori, ne ei coæquetur.*

Oratio igitur dedicatoria tria continet, primò, occasionem dedicandi; secundò, dignitatem personæ, cui dedicamus explicando eius gesta, auitam nobilitatem, virtutes, tum proprias, tum suorum maiorum alludendo ad eius stemmata; tertiò, opportunitatem dedicandi, in qua explicare debemus causas, vel officij, vel dignitatis, vel gratitudinis: dedicatoriæ epistolæ ideam subijcio, quà ego in vltima theologici cursus meta Theses meas inter comitia generalia Romæ in peramplo S. Andreæ de Valle templo dedicaui Eminentiss. ac Reuerendiss. Principi Cælio Piccolomineo S. R. E. Cardinali Amplissimo.

Icarus sane erupi in ausus, Eminentissime Princeps, cum cereis suffultus alis exiguarum Thesium ad dignitatis tuæ purpureum Solem, nimia, vt fatear, anhelantis animi prurigine euolare haud erubui. *Audaces tamen crebrò Fortuna iuuat.* Auitæ nobilitatis tuæ splendore, indorum instar Gymnosophistæ, curioso fruebar intuitu, cum stęmmatis tui gliscentes Lunæ, in spem portus flu-

ctuan-

Quantem sciẽtiarum in pelago animum eroxere meum. Icareum lapsum ausui meo haudquamquam vaticinabuntur, vt olim ex aureo Delphis Tripode, seù Dodonæi Iouis lucu sortita oracula; imò hoc in pelago aureum Theologicæ veritatis vellus, vt enanciscar, non mihi Iasonis sequi vestigia, aut Cholchiden ingruere fas erit, verùm in Iconis tui rutilantes Lunas oculos dumtaxat conijcere, quarum splendore, veluti Cynosuræ duce difficultatum Charybdes elidam, eludam Syllæ vortices. Crucis contexunt effigiem, crederem, vt vbi diuinus Sol necis eclypsim fuit passus, maius recipiant nitoris incrementum, nempe Solis indicantes occasũ non possunt nitidius nõ irradiare. Iurè ad effulgentes tuas accedunt Lunas erepetæ Theses, vt aliquid nitoris exhauriant, vt à Planetarum Principe, qui sui luminis est faber, syderum turbæ suos recipiunt splendores, quibus aereo rutilent in theatro. An redargues, quod nimium audeant? Atqui ea est omnis naturę lex, vt, si quid humili iacet in loco, in sublimiora niti velit: nil fortasse magnete obscurius? Et ad astra se vertit, nil vapore ignobilius? Et Solis radio se immiscens syderum cupit consortium, Et si exiles sunt Theses prouidè ad tuam conscendunt celsitudinem, cui & fœcunda mens tua, & animus ad stuporem ingens, & mentis sublimitas, & os multiscium, & morum amænitas, omniumque virtutum elegans comitatus immortale construunt diadema, Tinniunt adhuc campanulæ, quas Aron Pontifex olim summus interiecto singulis Malopunico suspensas gestabat Pontificij paludamenti in fimbrijs, vt Pastor in grege alliciendo totus foret vocalis, & quos allexisset sapientię fructibus recrearet. Dignitas vero tua, quia non ære tinnienti, sed moribus aureis ad sese gentes trahit dignetur etiam hoc ad se munusculum trahere, quod in maximi affectus argumentum offero. Principis enim est non muneris, sed pij animi magnitudinem respicere, quapropter magnus ille legislator Lycurgus legem sanciuit Dijs parua offerri sacrificia. Censebat enim, Deos non in victimarum præstantiam, sed in religiosos sacrificantium animos oculos conijcere vale, ad Nestoreos annos.

Amæna est etiam, ac elegans subiecta dedicatio ad Eminentiss. Cardinalem Iulium Spinulam, in qua cõmendantur gesta Inuictissimi hominis, & alluditur ad dignitatem, ac spinam, quam spinula domus gerit in stemmatibus. Purpura tua opellæ meæ terrebat

rebat aspectum E. P. vtpotè eius, quæ laceris induta, ad mirum fulgentis muricis reflexum non poterat non erubescere. Immò, & spina tua generoso armata aculeo liberum mihi aditum ad te denegare videbatur: augebat trepidationē fama nominis tui, cuius verè cum Iuliis Iulius, nouisti præclarè gestis omen nominis tui implere; ad Vrbis admirationem, & Orbis exemplum. Nihil refert Proauos, Auosq́; tuos referre; nam vt ait Tragicus, *Qui genus laudat suum aliena laudat:* Hinc Vlysses apud Ouid. 12. Metha. cum illi Aiax obiecisset sanguinis nobilitatem callide respondit; *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi; vix ea nostra voco*, sic tu, quæ ipse non fecisti, vix ea tua putans nouam in veterem gloriam addidisti, testis est patria tua; quam vt peregrinis augeres honoribus peregrinatus es. Vidit Germania sapientiæ tuæ fulgores, & prudentię lumina, quibus te veluti alterum mundi solem venerata est: quin vel ipsa Cæsarea laurus tuum in obsequium cæpit nouo verè virescere: vidit postremò te Roma, & vt præmium Regijs tuis gestis, Regaliq́ue animo congruum propinaret Purpuram imposuit:& par erat, vt demùm ex spina stēmatis tui virenti purpura enasceretur hęc rosa purpureę tuæ dignitatis; sine igitur vt veluti operosa apis à tuæ dignitatis purpureo flore fauos humanitatis decerpam Vale.

OECONOMIA PROLOGII, SEV PRAEFATIONIS.

Præfatio à *Præfando* dicitur est enim id, quod præloquimur ante quam ad rem veniamus: latiùs tamen patet quam ipsum exordium, quia omne id quod prẹloquimur potest dici præfatio, vndè etiam exordia concionum possunt dici præfationes eo quia sint prælocutiones ante concionem, id etiam quod præloquitur ante disputationes siuè Philosophicas, siuè Theologicas dicitur etiam præfatio non exordium. Præfatio igitur tres debet continere partes in prima debemus explicare id, de quo sumus acturi in disputatione, in secunda parte defendens imbecillitatem suam explicabit, ac difficultatem quæstionis, in tertia sibi captabit beneuolentiam auditorum, & fiduciam suam in illorum patrocinijs collocabit dicens, coram tantæ dignitatis splendoribus, ignauiæ, ac fallaciarum tenebras esse fugaturum. Ideam Præfationis hic subijcio.

Nunquam florida telluris facies rideret, illiq́ue arriderēt roscidæ matutini Cæli lachrymæ .N.N., nisi è rigido senescentis anni post-

postliminio, hoc est è Libithinæ tumulo, Lucinæ talamo renascẽtis Phœnicis de more Veris iuuentus rediuiua consurgeret: nec mutata repente scena vernis teporibus Cælum inciperet omne mitescere, ac terra mille aperiret amænitatum theatra, ni gelidis priùs soluta compedibus ab asperis dulcia priùs exoriri didicisset. Nunquam admirationis ille partus Iridis expressus nomine tot characteribus, quot fulget variatus coloribus vltimam procellosi aëris periodum nobis porrigeret perlegendam, ni grauidæ minarum nubes, quasi Gigantes aëreo in campo Phlegrea tanquam in area cælum lacescere, terramque interturbare priùs viderentur; sic Philosophicæ veritatis iubar, nequaquam in hisce dignitatis, ac sapientiæ coronis eluceret, ni illius indagatores scientiarum in Pelago, vt in Erithręo vnionum expiscatores priùs fluctuarent, ac si ipsa veritas nisi ab vndis stillati sudoris, quasi Veneris æmulatrix gaudeat exoriri. Nec mirum aurea non enanciscuntur vellera Iasones, nisi Cholchidem ingruentes monstrorum expugnent exercitum. Adoreæ tamen venaturus choragium aglomerante applausu, haudquaquam hanc conscendi palestram, non enim Bellerophontis est chimeras conterere, terere Philosophicas Theses; tamen imbecillitas mea tot inter difficultatum labyrinthum incolumis perseuerabit, si benignitatis vestræ Ariadnæum ei prestabitis filum.

EXPENSIO QVINTA.

De genere deliberatiuo, & de illius œconomia.

VErnantes in sinu eloquentis Palladis flores epidicticarum orationum vidimus, nunc quasi ex ridentium collium viretis, in fęcundam planitiem descendimus enucleaturi genus deliberatiuum, & est illud quod cum positum sit in consultatione, suasionem, vel dissuasionem complectitur: Materia huius generis est id, de quo potest haberi deliberatio, seù id quod suaderi, vel dissuaderi potest, eius finis est rei vtilitas, vel detrimentum, status est constitutio quæstionis v. c. an res facienda sit, necne &c. Argumenta huius generis licèt possint etiam deduci à locis communibus explicatis in 2. lib. præsertim tamen deducuntur ab Vtili, Honesto, Possibili, Necessario, Iucundo: Vtilitas duas con-

tinet partes; Incolumitatem, & Felicitatem. Orator igitur ab vtili primo proponet malorum fugam, quo argumento maximè afficiuntur auditores: nec vllus est adeò sui negligens, quin statim cogitet quomodo possit emergere ab imminenti periculo. Secundum membrum, nempè Felicitas omnes complectitur Vtilitates, siuè animi, siuè corporis. Locus ab Honesto cōplectitur naturam, leges, & virtutes, quæ cum re coniunctæ sunt; locus à possibili complectitur omnes circumstantias, quæ rem facilem esse probāt; hæ circumstantiæ continentur in illo versiculo, *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*. Locus à necessariò complectitur ea omnia, quæ consequutura sunt ex re facta; vel non facta. Locus à Iucundo continet omne id, quod animum exhilarat, quales sunt descriptiones, explicationes adiunctorum &c.

Oeconomia deliberatiui generis, tres dumtaxat complectitur partes, exordium, contentionem, perorationem; Narratio ab hoc genere excluditur, quia de futuris nemo narrat, deliberatiuū enim genus versatur circa futura, quam sententiam sequitur Fabius l. b. 3. cap. 8. Inquiens *narrationem nunquam exiget priuata deliberatio. eius dumtaxat rei, de qua dicenda est sententia, quia nullus, ignorat id, de quo consulit*. Exordium coalescere debet ex enumeratione beneficiorum acceptorum, ex significatione amoris, ex desiderio benè consulendi, & declaratione praui consilij aduersariorum; sin autem oratio habetur coram principe in exordio captanda est eius beneuolentia, illi gratulando de salute publica procuranda. Confirmatio diuidi solet in suas partes, in quibus orator ostendere debet honestatem, vtilitatem, facilitatem rei, quæ suadetur, vel inutilitatem, impossibilitatem rei, quæ dissuadetur; epilogus deliberatiui generis duo continet, sententiam de re, quæ in deliberationem venit; secundò excitare debet motus amoris, spei, desiderij, in rem persuasam.

OECONOMIA SVASIONIS, ET DISSVASIONIS.

Præcipua deliberatiui generis capita sunt Suasio, & Dissuasio, quibus Regina Eloquentia imperium suum in hominum animos exercet, nam vbi dominari cæpit eloquentia hac arte paulatim mortalium incultam barbariem ad mansuetioris vitæ iura, legesq; traduxit; & veteres oratores tanti eam fecerunt, vt hoc vnum ad regendos, ac flectendos animos præsidium, vel maximum arbitrarentur: ad aliquod suadendum ostendenda est rei Dignitas,

Hone-

Honeſtas, Vtilitas, Facilitas, & Neceſſitas. In eò qui ſuadet duo potiſſimùm requiruntur; auctoritas, quæ inualeſcit ex ſapientia, & virtute, vel opibus, & ætate: ſecundò requiritur amor in res noſtras, cæteroquin difficilè credimus inimicum nobis ſuadere bonum, ac vtile. Inſuper ab argumentis ſuaſionis ſuperflua, ac minuta ſunt amputanda; & ea tantum debent proferri, quæ maioris videntur eſſe ponderis, qualia ſunt diuina. Sicq; apud Ethnicos etiam falſa ſuperſtitione deluſæ mortalium voluntates in omnem partem flexibiles mouebantur: & hac arte Zoroaſtres apud Babylonios, apud Lacedæmonios Lycurgus, apud Athenienſes Minos, apud Romanos Numa multa ſuaſerunt. Suaſionis exordiũ peti poteſt ab ipſis rebus, quas alteri ſuadere intendimus, vel à perſonis eorũ, qui conſilio præſunt; vel ab eorũ perſonis, qui contrarium cenſuerant, beneuolentiam ipſorum ſibi conciliando, vel tandem ab aliqua grauiori ſententia. In calce exordij figenda erit propoſitio quæ ſuadetur; deinde ſequitur probatio, quæ eſt quædam argumentorum ſeries; hæc argumenta potiſſimùm deſumuntur ab honeſtate, dignitate, vtilitate, facilitate, neceſſitate rei, quæ ſuadetur: probationem claudit epilogus, qui totus eſt in mouendis animi affectibus, ſi oratio eſt ſuaſoria mouet affectus deſiderij, amoris, ſpei in rem, quæ ſuadetur; ſecùs ſi oratio eſt diſſuaſoria mouet affectus fugæ, odij, timoris, & deſperationis in rem, quæ diſſuadetur; oratio enim diſſuaſoria opponitur ſuaſoriæ, & eius argumenta ducuntur ab inutili, inhoneſto, arduo, difficili, & à turpitudine rei, quæ diſſuadetur.

OECONOMIA HORTATIONIS, ET DEHORTATIONIS.

Hortatio plurimum habet affinitatis cum ſuaſione, & ſolum differunt ex eo, quia ſuaſio tota ſit in tradendis conſilijs; Hortatio verò magis hæret in mouendis affectibus, in ſuaſione orator docere debet, in exhortatione inflammare nititur; cohortatio non debet eſſe nimis argumentoſa, nec prolixis rationibus affluens; ſunt tamen preſſæ, ac efficaces rationes adducendæ, quibus veluti ſtimulis moueantur audientium animi ad rem ſuſcipiendam, hi autem ſtimuli ſunt; ſpes rei conficiendæ; laudis, ac gloriæ meſſis, quæ ex re colligitur; commemoratio amoris eorum erga nos, pro quibus res ſuſcipienda eſt; contemptus virium hoſtilium; declaratio miſeriarum eius, de quo ſubleuando agitur; expoſitio periculi, quod nobis, aut patriæ imminet. Antequam ad exhorta-

tionem descendat orator rei facilitatem debet proponere; nam si minimè conuinctos, & reluctantes animos conetur calidius exhortari, idem faceret, ac si lignum adhuc viride, & crudum prima aggressione niteretur succendere, paulatim igitur sunt occupandi pressis argumentis auscultantium animi, donec ab ipsis difficultatum nodi non Magni Macedonis ense, sed argumentorum serie discutiantur, soluantur; deindè debet orator ostendere, rem, ad quam hortatur alios, singulos honestatis numeros includere. Demùm orator, qui hortatur plurimum debet habere auctoritatis; quia dignitas ipsa per se potissimum est telum ad flectendos animos, & vt loquitur Cornelius Tacitus, *Suasio, & Exhortatio, ab eo qui iubere potest, vim necessitatis affert*.

Exordium hortationis duci potest à circumstantijs vel rerum, vel locorum, personarum, vel ab expositione rei, de qua agitur; argumenta narrationis peti possunt ab vtilitate, & possibilitate rei, à votis, & desiderijs, ab honestate, vel à fuga dedecoris, & ab hoc capite neruosa est, & morata apud Liuium lib. 39. num. 15. Catonis Consulis oratio, qua Bacchanalia, nocturnosque cœtus virorum, ac mulierum damnat ab illorum fœditate, quæ bonos mores labefactat, & est radix omnium scelerum, & hortatur Quirites, vt tantum virus vlteriùs serpere non sinant.

Dehortationis artificium ex his, quæ dicta sunt facilè dignoscitur, contraria enim ex contrarijs intelliguntur; argumenta ducuntur, à turpi ostendendo rei turpitudinem; à contrario declarando contrariam esse communem sententiam; ab inutili probando nullam resultare vtilitatem ex tali re, ac nihil sperandum esse boni; ab impossibili ostendendo rem fieri non posse; ab ostentione incommodorum resultantium ex tali re. In dehortatione si animi præcedenti hortatione perculsi fuerint, contrarijs rationibus flectendi sunt; in quo plurimùm valent ironiæ, quibus ea, quæ ab hortatoribus fuere allata, quasi ingesta, frigida obruuntur: redargui etiam solet auditorum simplex credulitas, qui se fascinari, & quasi naso duci permittunt.

OECONOMIA CONCILIATIONIS.

Conciliationis artificium plurimum exigit artis, ac eloquentię, imò fatendum est eneruata esse eloquentiæ opera, nisi alijs naturæ præsidijs corroborentur, sicut enim nemò furenti belluæ inermem Suadam obijcit, nec musico concentu tigres emollire, aut

cicures

cicures facere tentat; sic in cōciliandis animis nuda oratio parum obtinet nerui, ac roboris; nisi alium habeat comitatum; in persona igitur reconciliatrice plurimum relucere debet sapientiæ, sanctitatis, amplitudinis, beneuolentiæ, amoris; imò & emicare debent quidam maiestatis radij, quos Deus imprimere solet in eorum frontibus, quos sibi tamquam vicarios in regendis hominum cętibus constituit, & hisce insignitus notis Iulius Cæsar, exercitus seditionem vnico verbo compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum eius detractabant. Augustus solo aspectu, ac vultu graui Actiacas legiones deterruit; & Alexander Seuerus adhuc in primo ætatis flore, sæueritatem, quam gerebat nomine exprimens vultu tumultuantes copias repressit: Tum pietate grauem, & meritis, si fortè virum quem conspexere silent. Fit igitur conciliatio, exhibita quadam maiestate corporis; liberalis, ac fortis animi expressione; amoris, & beneuolentiæ significatione; commendatione virtutis; accommodatione ad indolem, & statum illius, quem nobis conciliare volumus.

OECONOMIA CONSOLATIONIS.

Quia curæ, ac miseriarum cumuli in reciprocantis vitæ æstu hominum cœtus torquent, ideò nil frequentiùs huius orationis consolatoriæ vsu accidere potest; pręmuntur suis malis homines, hunc ad vescendum pane in sudore vultus sui laboriosa egestas vocat: alium intumescens ambitio sollicitat; alium infirmitas torquet: sectatores nempè suos mundus illudit; qui in hoc se probant eius sectatores, quod vix sentiunt se illudi, nec à tam noxio deceptore se surripiunt, & qui illudere mundum deberent, illuduntur à mundo; blanditijs suis mundus suis illecebris Iudæ par est, osculatur vt capiat, & pacis signo hostilem mentem tegit, sicut *Hæredis fletus sub persona risus est*, ità mundi risus sub persona fletus est, quia vt ait Doctor mellifluus, *Nulla verior miseria, quam falsa lætitia*.

Benè homines miseriarum cumulis obsiti egent consolatione, quæ potentissimum est pharmacum aduersus mortis nimis quotidiana vulnera vsurpatum a sapientissimis viris, vt fuit Senecæ ad Polybium, & Plutarchi ad Apollonium consolatio. Exordium Consolatoriæ orationis pro mali varietate, & pro ratione personarum ducetur plerumque à laude fortitudinis aduersantis fortunæ ictus reprimentis; vel à commiseratione, vel à rationibus, quæ

nos

nos impellunt ad consolationem hanc suscipiendam, vt ab affinitate, cognatione, amicitia, officio &c. vel à diuina Prouidentia, cui nemo resistat sine crimine.

Confirmatio peti potest à narratione miseriarum, quæ hominum cætus assiduè vexant iuxtà hanc sententiam, *Omnis vita supplicium est*, ex eo quod nulla vera lætitia mortali in hac vita reperiatur, vndè iure *Lethi*, ac *Læti* magna nominis cognatio est, vt vix discrimines, imò ne vix quidem, si duo hæc nomina audias, non videas; magna etiam est, & rei cohærentia; nam quod in hac vita lætum putas, lethum est, mortem inuehit, quod putabas lætitiæ vehiculum futurum; speciosum est læti nomen, sed ad lethum plures rapuit.

Secundò, probando vtilem esse calamitatem ad morum nostrorum informationem, quia sicut igne purgatur aurum, ità aduersis rebus informantur homines, non modo ad modestiam depressa temeritate, & superbia, sed etiam ad prudentiam, & fortitudinem; & sicut gubernator inter procellas, miles in acie, pugil in arena cognoscitur; sic varijs protrusus ærumnis vir fortis experitur, calamitas enim virtutis est experimentum.

Tertiò, à communi mortalium conditione, eo quod infelix homo omnibus telis fortunæ sæuientis sit expositus, quia ad hoc nati sumus, vt moriamur.

Quartò, tandem probando mortem viris probis transitum esse ad felicem vitam, & nihil esse perpetuum, pauca diuturna.

EXPENSIO DE GENERE IVDICIALI.

Iudiciale genus Cælestis Mineruæ esse domicilium, clypeum innocentiæ, ac virtutis nemò est, qui dubitet: immò perierat innocentia, nisi eam ab hostium telis iudiciale genus defendisset; triumphassent nefarij homines, nisi facultas hæc impetuosos illorum ausus coercuisset: fastigiatis hujus generis telis Demosthenes Aeschinem confodit, & aureum Midam è rep. eiecit, Androtionem perniciosum Ciuem Reip. dignitatibus expoliauit, Aristocratem, ac Timocratem perniciosis legibus Remp. corrumpentes profligauit; hoc genus iudiciale tanti fecit Euphrates Philosophus apud Plinium Iuniorem lib. 1. epist. 10. vt afferat, esse Philosophiæ partem pulcherrimam, agere scilicet negotium publicum, cognoscere, iudicare, & exercere iustitiam, & benè, nullanamque gens, tam barbara, ac inculto ingenio extitit, quæ si ideam

aliquam,

aliquam, seù vmbram Reip. habuerit, statim eam legibus non munierit, & operante iustitia non custodierit: procùl hinc commenta poëtarum, qui asserere audent Astream Iouis, & Themidos filiam, Iustitiæque Antistitam, aureo illo sæculo è cælo in terras migrasse, & tandem mortalium sceleribus offensam, Cælum iterum repetijsse, terrasq; reliquisse: certè non starent Resp. nisi vigeret in terris iustitia.

Politiæ, quæ Iustitià sunt gubernandæ plures sunt, idem est Politia, ac status populorum, & iuxtà Aris. in Rhet. Politia *est principatus, & consuetudo rerum, secundum quam viuere vnum quemque, & conuersari decet*; alia igitur Politia dicitur Monarchia; & est vnius Principatus, seù vt ait Arist. lib. 3. Politiarum est vnius imperium, ad communem vtilitatem spectans: Polybius tamen lib. 6. Monarchiam à Regno distinguit; dicit enim Monarchiam, esse imperium viribus corporis, & animi vsurpatum, absque voluntario populorum consensu: regnum è conuerso est dominatus Reip. ex consensu omnium vni concessus. Aristocratia est optimorum virorum Imperium, seù vt ait Polybius est Resp. gubernata à iustissimis, ac prudentissimis viris, vt esset Resp. Venetiarũ. Democratia est Imperium populi ad communem vtilitatem spectans. Tyrannis est illegitima Imperij occupatio, quales sunt Imperatores Turcharum, qui totam Greciam vi, ac armis sibi vsurparunt. Olicarchia est Imperium ad vtilitatem paucorum diuitum spectans. Ochlogratia est tenuissimæ plebis principatus, has omnes politiarum species sola iustitia tuetur, sine qua corruerent.

Dicitur genus iudiciale ex eo quod in iudicijs, & causis forensibus versetur, vndè præter artem benè dicendi, complectitur etiã scientiam iuris: hoc genus duplicem habet partem accusationem, ac defensionem, quia quodlibet crimen, vel defenditur, vel accusatur; eius finis in accusatione est punitio, in defensione impunitio; vt tamen benè administretur iustitia; iustitiæ minister sine Genealogia esse debet, hoc est non debet respicere, nec parentes, nec amicos; sed æqualiter in omnes exercere debet iustitiã: hinc Melchisadech, cuius nomen idẽ, ac Rex iustitiæ sonat, sine Genealogia fuisse dicitur, vt minister Iustitiæ etiam obliuisceretur sanguinis proprij: nam cognatorum amor Iustitiam sæpiùs imminuit, & æquitatem euertit, iuris vim obtundit. Hinc Iudices tanto

fuerunt

fuerunt in pretio apud omnes, vt Theodoreto teste sacræ literæ, Deos non vereantur appellare. Olim etiam Reges ipsi, fungebantur munere iudicum, de quibus ait Petrus Blessensis, *Qui dat Regibus diuitias terræ ab eis aurum non postulat, & argentum, sed vt audiant causam populi & arguant, pro mansuetis terræ*, vndè Adrianus Imperator, vt ait Dion. cum noluisset audire mulierculam, quæ ab illo ius petebat, ei retorsit, *Si non vis me audire, noli, igitur imperare*, & Persæ Iudices selegebant integerrimæ vitæ, & qui incorruptos seruarēt mores, & quantà à iudicibus integritate vellent Reges iudicia administrari satis testatur Sitannis exemplum, qui conuictus, quod in fungendo munere iudicis præmium accepisset, statim Cambyses, detractam ex eius corpore pellem sellæ intendit, & super eam filium eius iudicaturum consedere iussit: vtinam & hisce temporibus auri splendor iudicum mentes non obcæcaret, & ob aurum plumbei non fierent Iudices! *Hodiè enim*, ait Petrus Blessensis, *soli auaritiæ student patroni causarum, atque illud venerabile nomen, & gloriosa Professio notabili venalitate vilescit;* eluceat in iudice primum amor veritatis, nam si ex mendacio aurum cumulet perniciosus est, & cum D. Augustino epis.34. ei posset dici, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, iudicem fefellisti; iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti; quæ verò ad hoc genus pertinent paucis perstringam.

Genus iudiciale multiplex est: aliud dicitur simplex, cum de re vna datur iudicium: aliud Compositum, quando plura crimina accusantur: aliud Anticategoricum, quando est mutua accusatio, vt est genus orationis pro Milone; milo Clodium accusabat, eo quod sibi parasset insidias, & è conuerso aduersarius aiebat paratas esse insidias Clodio à Milone.

Materia circa quam versatur genus iudiciale est omne id, quod sub litem cadit, & de illo potest dari iudicium, & hoc est, vel Capitale, vel Ciuile: Capitale versatur circa crimina, Ciuile verò circa ius, quod defenditur; ad inferendum iudicium circa capitale sunt sedulò considerandæ circumstantiæ comprehensæ in illo carmine sæpè repetito, *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*, ad circumstantiam, *quis* referuntur natura conditio, patria, natio, parentum mores, indoles ipsius hominis, qui accusatur, vel defenditur: ad circumstantiam *quid* pertinet criminis

minis natura: ad circumſtantiam *vbi* refertur opportunitas loci: ad circumſtantiam *quibus auxilijs* pertinent inſtrumenta, vires, arma, conatus, ſatellitium, vel è contra ſi defenditur: ad circumſtantiam *cur* pertinent cauſæ, quæ mouere potuerunt ad crimen perpetrandum, vt eſſet vindictæ cupiditas, ſpes vtilitatis, odium, ira; ad circumſtantiam *quomodo* pertinet modus rei perpetratæ: ad circumſtantiam *quando* pertinent temporis opportunitates.

Oeconomia Iudicialis generis hæc eſt: in accuſationibus exordium plenum erit ſeueritatis: quia vt ait Princeps Romanæ eloquentiæ; oratores in alijs orationibus poſſunt ludere; in orationibus verò, quæ pertinent ad genus iudiciale debent feriò agere. In defenſione verò exordium erit plenum manſuetudinis, & clementiæ, poſt exordium ſequitur narratio rei, de qua dandum eſt iudicium, quæ narratio debet eſſe perſpicua, & probabilis; licèt perſpicuitas ſit cuilibet narrationi communis tamen ſecundum Ariſt. lib.3. Rhet. cap. 10. Iudiciali maximè conuenit; & talis eſt narratio Miloniana, tam artificiosè contexta à Cicerone, vt omnes verè credant Clodium inſidias paraſſe Miloni. Narratio debet eſſe vera, quæ numeret omnes partes diſtinctè; & ſi narratio erit de aliqua re graui, debet eſſe magis concitata, & debet continere varietatem affectuum per figuras Exclamationis, Obiurgationis. Narrationem ſequitur confirmatio, in qua cum ordine ponenda ſunt argumenta deducta à circumſtantijs, authoritatibus, exemplis, fortiora argumenta in prima, & poſtrema parte figantur, debiliora hinc inde per medium conglobentur, deindè claudendus eſt totus diſcurſus epilogo, in quo pro diuerſitate quæſtionis diuerſi ſunt excitandi affectus: vt in accuſatione ſunt excitandi motus iræ, & indignationis, in defenſione motus miſericordiæ, ac pietatis, figuræ ponendæ in peroratione præcipuè ſunt Hypothipoſes, Apoſtrophes, Proſopopeiæ, quæ motus grauiores excitant.

Oeconomia accuſationis hæc eſt, exordium petitur à miſerijs temporis, & à corruptis moribus, vel ab inſolentia perditi hominis, vel ab audacia pernicioſi viri, vel à neceſſitate puniendi reum propter bonum commune, vel à criminis grauitate, vel ab ſcandalo. Narratio concitata debet eſſe, omneſq; circumſtantias, quę crimen augere poſſunt debet ſub graui quadam figura, vel exclamationis, vel obiurgationis recenſere claré, ac diſtinctè; in confirma-

firmatione crimina acritèr expunguntur, damnantur, argumentis, exemplis; inducuntur testes, explicantur facti circumstantiæ; deniq́ue in peroratione excitari debent motus iræ; & odij contra crimen perpetratum.

Apologiæ, seù defensionis œconomia ista est, exordium petitur à circumstantijs locorum, vt facit Cicero pro Cęlio; vel à circumstantijs personarum, vt pro Sextio, & Deiotaro; vel ab officijs collatis, vt pro Plancio; vel à persona, quæ defenditur, vt pro Archia; vel ab erroris confessione, vt pro Rabirio; vel à clementia, & humanitate iudicis, vel à persona illius, qui accusat explicando se mouisse ex odio, vel ira: post exordium sequitur confutatio potissima pars Apologiæ, in qua instituenda, alij ex tota accusatione sumunt tantum quædam suprema capita confutanda, quibus eneruatis tota facilè corruat aduersariorum accusatio, sicut grande incendium diductis, quibus alebatur lignis, facilè extinguitur; alij verò rationes singulas eductas ab aduersariorũ argumentis eneruant exẽplis authoritatibus: deniq́ue peroratio debet exorare Iudices ad condonationem, & tota debet esse supplex, & quæ moueat affectus pietatis, & mansuetudinis.

†



LIBER

LIBER SEPTIMVS DE ELOCVTIONE, SEV DE FIGVRIS.

QVEMADMODVM Planetarum à Principe, qui sui luminis est faber syderum turmæ suos recipiunt splendores, quibus aëreo rutilantes in theatro, vel Argum efficiant cælum tot adapertis oculis, quot variatum syderibus; vel in viridarium construant tot purpureis consitum rosis, quot nitentibus ornatum stellulis. Ità Regina Eloquentia quidquid splendoris, ac dignitatis habet ab elocutionis iubare exhaurit. Displiceant huic rosæ, & balsama; cui non placent ornatus elocutionis, hortus enim est elocutio varijs consitus arboribus, innumerisq; florum distinctus areolis, & quæ tales spirant odores, vt aures mulceant, animosq; alliciant, vincant, & vinciant aureis Gallicani Herculis catenulis: eius riuulus per obliquos decurrens meandros stylus est, totus dulcis, candidus, sine vllis salebris, ac quasi sedatus Amnis fluens; qui in marginalibus amęnæ Floræ partus deosculetur: varietas florum, sunt argutæ, ac amenæ compositiones tot depictæ flosculis, quot variatæ figuris, quæ figurarum amęna varietas quoddam habet iucunditatis aucupium, plurimum suauitatis, qua exhilaratur tota Respublica literalia.

EXPENSIO PRIMA.

De Antiquis Oratoribus, qui Elocutionem Commendarunt.

THemistocles vir ad oratoria decora natus, ornatus omni elegantis eruditionis flore, qui vel puer eo nimirum tempore, quò cæteri inter innocentis ætatulæ blanditias dies terunt;

iam in profundioribus mentis receſſibus accuſationes, defenſioneſque ſociorum prȩſcrutabatur, apud Perſarum Regem dixit orationem varijs, pictiſque ſtragulis eſſe ſimillimam; eo quia varijs figurarum imaginibus picta debeat incedere.

Plato etiam diuinus nuncupatus, eo quia dicendi maieſtate limites humanarum virium prætervolaſſet, in cuius ore mellificarunt apes; ità vt Attica melos perfunderet, in cuius lingua cecinerunt Luſciniȩ, feſtiuauit Suada, imò & vt alij fatentur, ſi Iuppiter Grȩcè loqui voluiſſet Platonis ore fuiſſet loquutus; & vt Iuppiter in Cæli Solio ſedens Deos, Deaſque omnes è catena aurea pendentes ad ſe nullo negotio, vel reluctantes pertrahit: ità Plato cȩterorum Oratorum turmam dicendi ſuauitate, ac aureo eloquentiæ flumine, doctrinȩque redolentia antecelluit. Is igitur Elocutionis pompam commendans, viridario, in quo ridenti Aprili omnia florum genera luxuriarent apprimè comparauit: quid aliud ſunt ornamenta elocutionis, quam ridentes vernantis aprilis flores, vbique ſuauitatem ſpirantes.

Iſochrates blandula illa in eloquentiæ mari ſyrenula, qui tibiarum fabri filius Palladis fiſtulas armonico eloquentiæ ſonitu taliter edidicit animare, vt eius nomen hiſce etiam temporibus ſuauitatem, ac delicias perſonet; cuius facundia, dictio dulcis, ac amæna Veneribus perpluens, flumen lacteum videtur, fluere ſine murmure, ac in intima pectora inundare; qui propter vocis gracilitatem, frontiſque mollitiem à Forenſi ſtrepitu ad priuatos gymnaſij penates ſe tranſtulit, vbi eam gloriam aluit, quam nemo poſtea eſt cōſecutus; cuius Lycȩum à Cicerone dictum fuit equus Troianus, è quo principes omni eloquentiæ genere ornati prodierunt, qui primus philoſophiæ dogmata cæpit elucidare, ac orationem delicatiſſimis intexere floribus, quibus ad eloquentiæ apicem ingenti gloria appulit. hic inquam elocutionem commendans; varijs redimitæ coloribus Iridi æquiparauit, quia ſicut in Iride varij affulgent colores, qui & animos alliciant, & recreēt: ità elocutio figurarum varietate animos trahit, & allicit.

Ariſtoteles ingens illud caput omnium bonarum artium capax, ingenium velox, ac plane igneum, cuius prudentia admixta affabilitate dignum Imperio hominem faciebat, qui in diſquirenda rerum omnium natura mentis ſubtilitate, Cælum, terramque penetrauit, qui in Ethicis, Politicis, Oeconomicis ſcribendis auream

adhi-

adhibuit opulentiam, etiam elocutionem in aureis suis Rethoricorum libris commendans super sydera euehit.

Demosthenes totius Græciæ ornamentum, eloquentiæ munimen, sapientiæ decus, Palladis fulmen, flumen eloquentiæ, quæ deterrebat, demulcebat, alliciebat; cuius facundiam admirata Græcia, ac dicendi libertatem, eiusq; perorandi vim, terroremq; timuit: fulmen enim ferre dicebatur in lingua, & certè in orationibus tonabat, fulminabat, demulcebat, permiscebat omnia; Atticos omnes aliorum oratorum flores sublimitate, impetu, cultuque superauit: Nihil enim Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutijs, & acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini; is inquam elocutionem syderibus similem fecit, non enim plus splendoris, ac ornamenti, Cælum à syderibus latè lucentibus excipit, quam speciem, & pompam ab elocutionis figuris, & ornamentis regina eloquentia.

Theophrastus, cui nomen dedit loquendi diuinitas, cum antea Tyrtamus vocaretur, qui in sinu Palladis educatus veræ eloquentiæ amæniores flores legit, & à Cicerone Philosophorum eruditissimus, ac elegantissimus fuit appellatus, qui in extremis vitæ constitutus ad suos conuersus discipulos aurea hac sententia elegans os vità clausit, dixit enim vir sapiens; in vita plus esse vanitatis, quam vtilitatis, amore autem gloriæ nihil esse inanius; atque hisce prolatis verbis animam exhalauit: is inquam tanti elocutionem fecit, vt benè consito comparauerit hortulo omnium florum varietate, perpetuò ridenti.

Caius Gracchus vir præstantissimi ingenij, qui dum ad populum cōcionabatur nulli in dicendi copia Secundus fuit, quis enim illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in sententijs argutior, in docendo subtilior, subijciam fragmentum ex dirutis antiquitatis ruderibus intactum seruatum in illa aperia, ac querela, quam aureus vir habuit ad populum, verba sunt hæc. *Quo me miser conferam? in capitolium ne? at fratris sanguine redundat? an domum; matrem ne, vt videam lamentantem, ac abiectam?* is igitur vir ad omne eloquentiæ ornamentum natus summis etiam laudibus elocutionem commendauit.

Marcus Tull. Romanæ eloquentiæ ille Princeps, in quo omnium ingeniorum virtutes in vnum collectæ cernebantur: cuius orationes nectare, & ambrosia diffluunt, cuius vis in dicendo Ro-

mana

mana pectora confodiebat, cuius suauitas animos demulcebat, quibus inquam encomijs in sua Rhetorica elocutionem non excepit, illam enim docuit, illa vsus est, illam vsq; ad sydera euehit, vbi & nos inter Numina illam relinquimus.

EXPENSIO SECVNDA.

De Ornatu Eloquutionis.

Regio paludamento omniq́ue elocutionis flore, veluti holoserica veste multò fulgente auro, argentoue est induenda oratio: dedecet enim eloquentiæ maiestatem vestis plebeia, ornatu carens: sicuti enim animus noster est hortus excolendus, ne veluti tabula rasa sterilescat, cuius cultura est eruditio, Coloni præceptores, luxuriantes flores scientiæ, & immortalitatis fructus virtutum lumina, sic pari pacto imaginari debemus; primum orationis partum nudum esse campum, qui ornandus sit & figurarum flore, & eruditionum fructu, hoc enim pacto ad eloquentiæ apicem facilè ascendet oratio.

Ornatus verò elocutionis non situs est, vt alij ineptè putant in exquisita quadam verborum elegantia, vocumq́ue concinnitate; sicut enim orationem, campo comparaui; sic apprimè Quintil. ad rem meam ait lib. 8. cap. 13. *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, & violas, & amœnos fontes surgentes; quam vbi plena messis, aut graues fructus, vites erunt: steriles platanos, tortasq́ue myrtos, quam maritatas vlmos, & vberes oleas præoptarem?* præcipuus igitur elocutionis ornatus ne dum sistit in verborum concinnitate, sed etiam in optima rerum structura, ac in concinnitate candidæ periodi: hinc D. Leo Magnus virtute, ac sanctitate; ac maximus dignitate resilientium vocum amænitate suas construit hæroicas periodos, vt videre est in singulis suis concionibus; & præcipuè in præclaro illo panegyrico duorum luminum Ecclesiæ, vbi sic ait: Omnium quidem Sanctarum sollemnitatum dilectissimi totus mundus est particeps: & vnius fidei pietas exigit, vt quidquid pro salute vniuersorum recolitur communibus vbiq; gaudijs celebretur, veruntamen hodierna festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum Orbe promeruit: speciali & propria nostræ Vrbis exultatione veneranda est:

vt

vt vbi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die martyrij eorum ſit lætitiæ principatus: iſti enim ſunt viri, per quos tibi Euangelium Roma reſplenduit: & quæ fueras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis.

Harmonia igitur verborum requiritur, & in concinnitate periodorum, & ornatu elocutionis: voces enim debent eſſe ſonantes compactæ ex vocalibus, a, e, o, u, ſi fieri poterit, quia hæ vocales quandam maiorem concinnitatem præbent vocibus, & poſſunt eſſe, vel promiſcuæ, vel vniformes, exempla vocalium vniformarum ſunt, *Tartara*, *Barbara*, exempla promiſcuarum ſunt, *Per Iouem tonantem, pharetratum militem*, exemplum harum vocalium poteſt eſſe hoc aliud *Pallidi fauces Auerni*. Vndè ſi res benè perpendatur maieſtas illa loquendi Reginæ Iunonis ab alio originem non trahit, quam à concinnitate vocalium; audi illam loquentem in Tragico Seneca,

Soror tonantis hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum eſt: ſemper alienum Iouem;
Et templa ſummi vidua deſerui Aetheris,
Locumque Cælo pulſa pellicibus dedi.

Inſuper in elocutione verba humilia, ac ſordida ſunt omninò reijcienda: caueat etiam orator ne ob nimium luxum; mollis, & effęminata reddatur oratio, vbi fortis, ac neruoſa eſſe debet; ſordida etiam, quibus offendi poſſunt caſtę audientium aures fugienda omninò ſunt; humilia etiam ſunt reijcienda, vel ſaltem per ſynonymiam debent grandeſcere, vt ſunt illa verba, *Abijt*, *exceſſit*, *erupit*, *euaſit*, vel per Hyperbolem *currit*, *euolat*, *amor ignis*: ſunt etiam euitanda verba priſca, & vetuſta, quæ noſtris temporibus ferè in obliuionem abiere, vt latinè, *Auerumcaſſo*, *leuaſſo*, pro auerto, leuo.

Animaduertendum eſt etiam, quod periodum Armonicam claudere debet vox aliqua prolixior, quæ tamen non ſit abtruſa, ſed iucunda, ac ſuauitate plena, ſic nos docet Terentianus inquiens,

Plurimùm orantes decuit, quando pede in vltimo
Obtinet ſedem beatam, terminet, vt clauſulam;

quod præceptum apprimè ſeruauit Princeps Romanæ eloquentiæ, vt inter alias eſt ſubiecta periodus: *Non iſta quidem erunt meliora, ſed certè, condita iucundius; etiam in veteris fortunæ diſcrimen*

ſcrimen adducitur, dolores quærelaſque cognoſcite, periodi etiam vt meliùs currant pedes ſuos debent habere: In quarum ſtructura non parum debet inſudare Orator, præcipuè in dactilis cum ſpōdeis iungendis: ſic plenum maieſtate, ac ſuauitate cenſetur illud carmen Claudiani, eo quia conſtet ex tribus dactilis, & tribus ſpondeis,

Hæc largo matura die ſaturataque vernis;

Suauiores tamen ſunt voces illę, quæ ordine Alphabetico promiſcuas vocales ſeruāt, vt eſſet vox iſta *Alebricoſus*, vel *acerrimorum hoſtium furor*, vel *quam bellicoſus Imperator*, eſt tamen obſeruandum ne nimia ſyllabarum ſimilitudo faciat, vt orator erumpat in ſordidum illum ſonitum, tam affectatum, qui ab oratoribus Gręcis cacophonia vocatur. Vndè Virg. ad hunc effugiendum ingratum ſonitum ſimilium ſyllabarum, ſic eſt imitatus carmen illud Heroicum Ennij, in quo Ennius ſic ſonitum bellicæ tubæ exprimebat,

At tuba terribili ſonitu tarantara *dixit*

Virg. verò ne illam vocem *Tarantara* ex ſimilibus ſyllabis compactam cacophonià repeteret, ſic dixit;

A tuba terribilem ſonitum procul Aere canoro
Increpuit.

EXPENSIO TERTIA.

De Tropis, quid, & quotuplex ſit Tropus.

TRopus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio, vt cum dico, *ſydera nocturno tempore luctuoſis induta veſtibus in ſqualore iacent, ac roſcidis lachrymis Soli parentant*, vbi ſumo *Luctum*, proprium hominis, ac rei ſenſitiuæ, & illum transfero ad ſydera inanimata.

Bifariàm autem Tropi diuiduntur, nempè in tropos verborum, & tropos ſententiarum, tropus verbi eſt mutatio propriæ ſignificationis illius in minus propriam; Inſuper Tropi verborum ſunt ſeptem Methaphora, Synedoche, Metonymia, Antonomaſia, Hònomotopæia, Catachreſis, & Metalepſis, Tropus ſententiarum ſunt quatuor, Allegoria, Periphraſis, Hyperboton, Hyperbole.

Me-

Methaphora vox est Græca, quæ latinè idem est, ac translatio, vndè methaphora est translatio propriæ significationis vocabuli in aliam minus propriam propter similitudinem, vt est ista, *Sol radios suos per totam tellurem* DISSEMINAT, vbi transfero ad ipsum Solem verbum *seminandi*, proprium dumtaxat Agricolæ: tritæ sũt etiam, & in omnium puerorum oribus resonant methaphoræ illæ, *prata rident, gemmant vites, læta segetes*.

Obitèr hic aduerto, quod istę methaphoræ aliquando conuertuntur, & sicut dicendo, *prata rident*, transfero ad prata *risum*, proprium hominis; sic è conuerso possum transferre ad hominem, quod pratorum est proprium, Vt, *ille Iuuenis est in flore suæ ætatis*, florescit *in vere suæ iuuentutis*: non tamen semper conuertuntur methaphoræ: nam licuit Poëtæ *radicem* montis, *pedem* appellare; at hominis *pedem* non decet *radicem* dicere.

In definitione methaphoræ dixi, propter similitudinem, quia tutior est methaphora, & iucundior, quæ fit per similitudinem; quod Platoni, & Xenophonti familiare est, & in hoc sensu pulchra est illa methaphora de vibrata sagitta ab arcu, qua dicimus, *Tela in aduersam aciem* INVOLARE, volucres enim, & sagittæ dicunt similitudinem in motus velocitate, & de his intelligendus est M. Tullius, cùm dixit, *Ex omni genere frequentatissimæ translationes erunt, quæ propter similitudinem fiunt*. Hæ methaphoræ per similitudinem fiunt cum plura conueniunt simul, vel in quantitate, vel in qualitate, vt *Niues, lilia, canities, lac, sputum*, conueniunt simul in qualitate, scilicet in colore albo, & propter similitudinem possum appellare *niues* montium, venerãdam anni *canitiem*, ad exprimendam eius senectutem, vel *frigida alpium lilia*, sic etiã è conuerso canitiem hominis possum appellare NIVES, & dicere, *In frigida cadentis Decembris hyeme versatur homo ille; hoc indicant niues, quibus caput candicat*; & de lilijs possum dicere, quod sint *animatæ hortorum niues*; sic hyemali tẽpore, *cadentia niuium vellera*, vel boreæ, vel nubium *sputa esse*, possum asserere.

Quemadmodum methaphoræ per similitudinem factæ plurimum habent aucupij, ac amænitatis; ità è conuerso methaphora dissimilitudinis vitiosa censetur, vt est illa ferè ab omnibus aducta *Cæli Fornices*, cui hanc aliam addo de Ephæbo, cuius mentum vix quatuor pili incipiunt tingere, si quis illi diceret, *Barba tua*

iam tota syluescit, hæc methaphora esset vitiosa peccaret enim in nimia dissimilitudine.

Methaphoræ aliquando rem augent, aliquando minuunt, vt cum dicimus, *Cælum canere tuba, cùm tonat*, rem magnam tenui methaphora deprimimus, sunt enim tonitrua omni tubarum clangore vehementiora: Methaphora augens rem est illa Xenophontis, qua magnificè dixit, *Vndare exercitum, vel vndantia vexilla Mauortis*. Insuper methaphora vtimur ob necessitatem; quando enim non est verbum proprium vsurpamus translatum; est etiam methaphorarum magistra ipsa consuetudo, qua videmus ferè omnia iam dici methaphoricè, vt *Acutum ingenium, acer homo, duri mores*, vnde cum ipsa consuetudo per se methaphoricè iam loquatur, nisi moderatè sunt adhibendæ methaphoræ extra consuetudinem; nam si feruentior fuerit methaphora Dithyrambos potiùs scribemus, quam orationes.

Quatuor modis pro nunc fieri possunt methaphoræ; infrà cum de argutijs meliùs perscrutabor omnes methaphorarum species. Primò, quando transfertur nomen à rebus animatis ad res animatas, vt est illa Cynici Diogenis, qui ob censuram, quà hominum mores arguebat *allatrator*, dicebatur, *latrare* enim quod est proprium canis sensitiuè animati, transfertur ad hominem *rationaliter* animatum, vt est etiam illa Psalmi, *Quare fremuerunt gentes.*

Secundò, quando transfertur nomen à rebus inanimatis, ad res inanimatas, vt si appello *Naues, Neptuni errantes arces*, facio transitum de re inanimata ad inanimatam, quia tam *arces*, quam *naues* sunt inanimatæ: trita est etiam illa alia methaphora tam decantata in Scholis, *Concentu virtutum nihil est suauius*.

Tertiò, quando transfertur nomen à rebus animatis ad res inanimatas, vt *In nece Christi Domini pauida tellus tota tremuit*, in qua methaphora transfero *timorem* proprium hominis, ad ipsam terram inanimatam, vt est etiam illud Prophetæ, qui vt signum daret Natiuitatis Christi, dixit hanc pulcherrimam methaphoram, *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum, & omnes colles*, vbi transfertur verbum *exultandi* proprium hominis animati, ad colles inanimatos.

Quartò, quando transfertur nomen à rebus inanimatis ad animatas, vt cum dico de SS. purpuratis Martyribus, *Quod adamantina*

tina pectora obijecerint carnificum immanitati, vel cum dico *scrupulosus est homo*, transfero proprietatem terræ, ad hominem:terra enim inanimata ob minutos lapillos, dicitur *Scrupulosa:* sicque homo animatus, qui minuta quæque diutiùs, quam necessitas postulet prescrutatur, *scrupulosus* dicitur facta trãslatione à proprietate terræ inanimatæ ad hominem animatum. Pulchra est etiam in hoc genere illa methaphora, qua vsus est Deus ad indicandum, quod daturus esset diuinam suam gratiam hominibus, dixit enim *auferam à vobis cor lapideum*.

EXPENSIO QVARTA.

De Synedoche.

HIC Tropus plurimum habet amænitatis, & fons amænus est omnis Veneris, ac Salis: Synodoche enim est vox græca, quæ Latine idem est, ac *conceptio*, vel *intellectio:* Hic Tropus octo modis potest fieri. Primò, sumendo partem pro toto, vt *capitolium* pro Roma, *carinam* pro Naui, vt est illud Virg. lib. 2. *Non anni domuere ducem non mille carinæ:* vel illud Cic. sumentis tecta pro tota æde philip. 2. num. 104. *O tecta ipsa misera, quam dispari domino tenebantur*, vel illud aliud Philip. num. 6. in quo sumit *mucronem* pro ense: *Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superauit nomine hostis carebit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, & dubitare vtrum in ciue, an in hoste figantur:* & hoc pacto sumuntur etiam flumina pro Prouincijs, per quas d fluunt, vt *Nilus* pro Aegypto, *Padus* prò Italia.

Secundò, cum sumitur totum pro parte, vt flumen pro aqua eiusdem fluminis Virg. lib. 1. Aeneid.

Pabula gustassent Troiæ Xanthumque bibissent;

vel cum dico ad exprimenda gallica, & Hispanica bella, *Europam totam effuso adbuc fumare cruore, totam horrere armis, ac nisi mortis cupressus nudatos enses ressecare.*

Tertiò, est cum singularis numerus sumitur pro plurali, vt illud Virg. 2. Aeneid.

- - - - - - - vtrumque armato milite complent:

vt illud Psalmi 77. *Misit in eos Cœnomyam, ac comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.*

Quartò, vel è conuerso sumitur pluralis pro singulari, vt cum dico Pompeios, Annibales, Scipiones, in plurali; vbi deberem dicere Pompeium, Annibalem, Scipionem, quo pacto possum dicere: *Et quales erant triumphi, quales acclamationes, qualia victoriarum monumenta, cum Titi, Vespasiani, Constantini, solenni pompa portabantur victores in vrbem? ibant autem ante currum depresso collo, subactis ceruicibus victi simul, & vincti Aegyptij, Persæ, qui famulari iugo coniuncti sonanti compede currum trahebant.*

Quintò, sumitur genus pro specie, vt apud Ouid. *fera* pro *Vrsa*, lib. 4. Tristium Elegia 3.

Magna minorque fera quarum regit altera Graias
Altera Sidonias vtraque sicca rates;

vt etiam in sacris literis est illud Patriarchæ Iacob, fera pessima deuorauit filium meum Ioseph, vbi sumitur fera in genere pro specie, vel Lupo, vel Leone, vel Vrso.

Sextò, è conuerso sumitur species pro genere, vt *Ver aduenit, quia lilia in pratis nostris florent*, sumitur enim *lilium* in specie pro flore in genere; verno enim tempore omnes flores, è terra erumpunt, habetur etiam illud mei conciuis Iuglaris super Virginem Martio mense à caduceatore Gabriele annunciatam, *Mensis idem & terris bellorum, & cælo fœderum est, Martio Martis nomen adimite, ex quo finem eius nostræ pacis initia consecrarunt; deputentur Aprili dies; quibus tam ingens facta cælorum apertio est.* Virga *Iesse, vel in miraculis naturam obseruans datura fructum in hyeme, florem concepit in vere*; nempè Iesum, qui in sacris literis dicitur lilium conuallium, vel lilium inter spinas sumit enim *florem* in genere, pro *lilio* in specie.

Septimò, sumitur materia pro re conflata ex illa, vt *lignum* pro nauibus compactis ex ipso, *ligna nostra secundis ventis per æquoris sinum cursitant*, vel cum sumitur *ferrum* pro ense, vt *dimicantis Bellona in area nudatum ferrum hominum pectora scindit, membra resecat*, habemus etiam illud Virg. Aeneid. 6.

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu;

scilicet pro tuba.

Octauò, cum ex antecedentibus consequentia intelliguntur, vt est illud Virg. Eclo. 2.

Aspice aratra iugo referunt suspensa Iuuenci,
Et iam summa procul villarum culmina fumant;

vel

vel illud Eclog. 1. *Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ*, ad indicandum, quod iam aduesperascit, at si res benè perpendatur, hic octauus modus non est rigorosè Tropus, quia Tropus est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio; sed quando ex antecedentibus intelliguntur consequentia, vel è conuerso ex consequentibus antecedentia, nulla fit vocis mutatio à propria significatione ad aliam, vt clarè videndum est in exemplis allatis, quæ enim mutatio fit cum dico, *Maiores cadunt altis de montibus vmbræ*: ergo rigorosè non est Tropus.

EXPENSIO QVINTA.

De Metonymia.

Metonymia, quæ & Hypallage dici solet est Tropi genus, quo res vna ponitur, & alia intelligitur, vt *sine Cerere, & Baccho friget Venus*: latinè transnominatio dicitur; & fieri solet sex modis.

Primò, cum sumimus causam pro effectu, vt *Solem* pro *luce*, *dignitatem* pro *honore*, vel cum dicimus, *Christus est redemptio nostra*, idest causa nostræ redemptionis.

Secundò, vel è conuerso cum sumitur effectus pro causa, vt *scelus* pro *scelerato*, vel quod Poëtis est frequentissimum, cùm id quod proprium est effectus, tribuitur causæ, vnde quia effectus mortis est *pallor* potest hic effectus tribui morti, vt *pallida mors*, & Horatius *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres*, & Virg. 6. Aeneid.

Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus;

in hoc genere est etiam illud 1. Reg. 15. *Siccine separat amara mors?*

Tertiò, quando sumitur continens pro contento, vt est illud Isaiæ 6. *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum*, loquendo de ortu diuini Solis Christi: sumitur *Hierusalem*, idest cōtinens pro habitatoribus, ac ciuibus, qui continentur in ipsa vrbe; hic locus plurimum habet amænitatis, si ne dum sumatur cōtinens pro contento; verùm si animetur ipsum continens, *Vt lætabatur Roma, ac ingenti plausu triumphantes excipiebat Cæsares suos, ac Epinicia hilari vultu decantabat suis triumphis*; vndè sumo,

cædes, quid facta Tyranni, apud Theologos *Doctor Angelicus* pro D. Thoma, *Doctor Subtilis* pro Scoto, *Doctor Solemnis* pro Henrico Gandauensi, apud Physicos *Medicinæ parens* pro Hippocrate, *Philosophus* pro Aristotele, apud milites *Euersor Carthaginis, & Numantiæ* pro Scipione: multipliciter etiam fit hæc pronominatio: Primò, ponendo appellatiuum pro substantiuo, vt *Principem Apostolorum* pro D. Petro: Secundò, ponendo proprium nomen pro appellatione, vt *Sardanapalum* pro viro luxurioso, *Smindiridem* pro viro molli, *Crassum* pro diuite, *Vlyssem* pro callido: Tertiò, ponendo nomina gentium; pro illarum attributis, & moribus; vt *Græcum*, vel *Cretensem* pro fallaci, ac mendaci, *Tartarum* pro crudeli, *Scytham* pro inhumano: Quartò, ponendo possessiua pro nomine, vt *Cythæredum* pro Orpheo, *Cythæredam* pro Venere, *Caduceatorem* pro Mercurio.

Ad hunc locum spectant etiam Epitheta præsertim, quæ emphasim habent, vt *Ob scelus abominandum! ob deformem libidinem! ob cupiditatem effrenatam!* Cic. etiam in Miloniana dixit, *Cæcam noctem, mutam solitudinem*, & Seneca vocauit pisces *æquoris cæruleum gregẽ Nereidum*, & Lucretius squamigeros greges: Homerus, qui corpus dedit Auroræ, dixit, *Roscidos auroræ digitos*: Ouid. etiam appellauit arborum ramos *Nemorum membra*, & frondes *Virides Comas*: apud Horatium etiam habetur *Candide Iudex*: apud Virg. *Cana fides*: apud Valerium Max. *libidinosam liberalitatem debiti nomine colorauit*: apud Plinium *Pallidi murmurantesque ignes, tempestatum nuncij sentiuntur*: sic à gustu dicimus *acerbum casum: amaram cogitationem; dulcem recordationem, sermonem insulsum: insipidam orationem*: à tactu *tractabile ingenium, palpabilem errorem, tangibilem ignorantiam*: ab olfactu *fætidos mores, fragantem virtutem*: ab auditu *inaudibilem orationem*, scilicet pro malè composita oratione, à frigore *Algentem virtutem, frigidam orationem, tepẽtem amorem*: a mollitie *molle ingenium, teneram ætatem*; à duritie *saxeum pectus, duram mentem, solidam rationem*; à gladio *acutum ingenium, retusam mentem*.

Licet Epitheton inseruiat pro ornatu, & amplificatione orationis, eius tamen vsus debet esse moderatus: nam si oratio multis repletur epithetis non ornatur, sed oneratur, vt satis prolixe ad rem nostram obseruant Aristoteles 3. Rhet. cap. 3. Quintilianus

lib. 6.

lib.6. cap.6. deindè adhibenda est prudentia, vt substantiua benè concordentur cum adiectiuis; ne labatur in æquiuocum, vt est illud Virg. *dare classibus austros*, sumendo vnum ventum pro alio, scilicet Austrum pro Aquilone, qui efflat è Thracia in Delum.

DE CATACHRESI.

Catachresis latinè *abusio*, est tropus, in quo rebus non habentibus nomen, accommodatur aliquod nomen, quod ipsis conuenit, vt cum dicimus *Parricidam* pro eo, qui patrem interfecit, *Minutum animum* pro paruulo, *virum mollem* pro illecebris dedito. Catachresis differt à methaphora; nam illa ex re omninò diuersa, cum similitudine transfert nomen, *Vt prata rident*, *sydera roscidis lachrymis lugent occasum solis:* Catachresis verò ex re proxima, ità nomen accommodat, vt non multum à sua significatione distet, vt *grandis oratio* pro benè probata, *florida elocutio* pro compositione varijs intexta veneribus. Duplici ex causa vtimur Catachresi: primò, ratione necessitatis, vt *Parricida* pro occisore Sororis, eo quia deficiat sororicida: Secundò, ad conficiendum carmen, quod sæpè præter necessitatem fit vt Virgil. *promisi vltorem* pro minatus sum.

DE METALEPSI.

Metalepsis, hoc est transumptio rarus est tropus, & ad Poëtas magis, quam ad Oratores spectans, fitque cum per gradus à distanti quodam nomine, ad propriam eius significationem deuenimus, & in re significata est gradatio quædam sic Ouid. 5. Trist. Elegia 11.

Vt sumus in Ponto ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter vnda maris.

vbi ister concretus pro gelu, gelu pro hyeme, hyems pro anno, sumitur: hinc est illud Virg. 2. Eclog. 2.

Post aliquot mea Regna videns mirabor aristas;

vbi gradatim ab aristis ad spicas, à spicis ad segetes, à segetibus ad æstatem, ab æstate ad annum acceditur.

DE ONOMOTOPOEIA.

Onomotopœia est fictio nominis per vocabulum rei, vel effectus, exprimitur effectus & res; hic autem tropus vix latinis permittitur Tull. enim ad Brutum non vult noua nomina fingi, è cōtra apud Græcos satis viguit, & alios; qui primi sermoni initia

dedere

dedere aptantes effectibus nomen, vt murmur, ac susurrum pro apum tumultu intelligimus; vagitum pro quærelis infantium, sic habemus nitritum equi, rugitum Leonis, quæ voces exprimunt effectum vocis equi, & leonis.

Nouantur autem verba apud Latinos quatuor modis, *Similitudine*, *Imitatione*, *Inflectione*, *& Adiunctione*. Primò modo innouantur, quando ad similitudinem vnius aliud inuenimus, vt *Græcizzo*, *latinizzo*, *latinismus*, *Græcismus*, hæc autem verba per similitudinem nouata sunt quatruplicia, primò, quando vox desinit in *vrio*, vt *esurio*, *dormiturio*, vnde, & *Syllaturit*, idest vult esse alter Sylla: secundò, cum desinit in *sco*, vt *duresco*, *mollesco*, *lentesco*; tertiò, cum desinit in *Izo*, vt *Iudaizat*, *Hebraizat*, hoc est imitatur Iudęos: quartò, cum desinit in *vr*, vt *rusticatur*, *Græcatur*: Imitatione nouantur verba, cùm ipso nomine exprimimus naturam rei, vt sunt *Mugitus bouis*, *clangor tubarum*: Inflectione, quando ex vna dictione aliam deducimus, & fit per coniugata; sic à *pænula pænulatum* dicimus, ab *ocrea ocreatum*: adiunctione, quando ex diuersis aliud componitur, vt cum dicimus *versutiloquum* pro eo, qui versutè loquitur: in innouandis autem verbis Orator non sit audax, ne tædium, ac stomachum pariat in auditorum animis.

EXPENSIO SEPTIMA.

De Tropis, qui fiunt in Oratione.

DE Tropis verborum satis dixi, iam descendo ad Tropos sententiarum, qui sunt quinque, Allegoria, Aenigma, Periphrasis, Hyperboton, & Hyperbole: alij addunt etiam sextum, scilicet Antiphrasim, estque sermo per contrarium intelligendus, vt cum dicitur *lucus*, quia minime *luceat*, inexorabilis Parca, quia nemini parcat. Dicuntur tropi sententiarum, quia fiunt in pluribus verbis continuatis, vndè definitur tropus sententiarum; est mutatio propriæ significationis sententiæ in minus propriam.

Allegoria, quæ latinè inuersio dicitur est *alieniloquium*, seù continuata quædam Methaphora, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit; vt cum Reip. tumultum prolixa similitudine nauis ab vndis agitatæ exprimimus; & populum cum fluctibus, seditiones

cum procellis, Magiſtratus cum Nautis componimus: inter cæteras allegorias inſignis eſt illa Horatij lib. 1. ode 14.

O Nauis, referent in mare te noui
Fluctus. ò quid agis? fortiter occupa
Portum non ne vides, vt
Nudum remigio latus?

Vbi Horatius nauim pro Rep., fluctuum tempeſtates pro ciuilibus bellis, portum pro pace, atque concordia poſuit: hic autem dicendi modus per Allegoriam eſt vſitatiſſimus in ſacris litteris, vt eſt illa allegoria Pſalmi 79. *Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eiecisti gentes, & plantaſti eam; extendit Palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius:* vbi Propheta de Iſraelitico populo loquitur: apud Poëtas præcipuè eſt in vſu allegoria hinc habetur illud;

Claudite iam riuos pueri ſat prata biberunt;

hoc eſt deſinite iam plura canere, quia ſatis audiuimus.

In Allegorijs eſt animaduertendum, quod Orator quo genere tranſlationis cæperit, eodem deſinat, vt ſi tumultuãtem populum fluctui hùc, illucque ventorum flatibus agitato comparauerit debet eadem allegoria tempeſtatis deſinere: inter cæteras amęniores ſunt illę Allegoriæ, quæ cadunt ſub ſenſum viſus, quales ſunt *ſplendor generis, claritas familiæ, lumen Re p. Ciuitatis ornamentum*. Epitheta etiam non parum tranſlationes, ac allegorias ornant, ſi tamen rebus; & nominibus accomodata fuerint; vt cum dicimus *furentem concupiſcentiam, inflammatam voluntatem*.

DE AENIGMATE.

Aenigma eſt oratio obſcura rem totam ambagibus tegens, vnde ſi obſcurior erit allegoria vertitur in Aenigma; hoc eſt in ſermonem tranſlatum, nodoſum, & inuolucrum. Aenigmatum originem tangit D. Ambroſius, quia in conuiuijs homines benè poti, ait ipſe, didaciùs loqui ſolent, ac intemperantiùs alienum honorem lædere, famamque temerare; quæ res in iurgia frequenter, & rixas erumpit, quod ne fieret graues homines Aenigmata proponere ſolebant, colloquijs periculoſis omiſſis; vndè ad rem ſunt ſubiecta carmina;

Lancibus, & patinis cuh parta licentia peſteș,
Accerſit? quid enim diſtento abdomine Bacchi
Muneribus, dapibuſque acres dum ſurgat in iras?

Laſciuit

Lasciuit natura, Iocos, & noxia versat;
Scommota salmarios, & si non suscitat ignes:
Plusquam Thessalicis instaurat prælia mentis;
Et ciet inuisos Lapitharum more furores;
Aut certè æffrenis iactat conuiuia linguæ,
Rectius ad leporum lances inferre lepores
Argutesque sales priscos sapientia ritu,
Præcipit obscuri, necnon problemmata sensus.

Species Aenigmatum plures sunt, alia sunt Aenigmata, quæ consistunt in litteris Alphabeticis sic de Augusto, cuius prima littera est A, hoc habetur: *Proximus hunc Princeps sequitur, quem littera signat prima elementorum.*

Sic etiam in stemmatibus Regiæ domus celsissimorum Ducum Sabaudiæ, quorum capita omnium bonarum artium capacia, quà Apollinea, & Martiali lauru semper visa sunt coronata, hoc nobile inuentum reperitur nempè, F. E. R. T. In quo Sabaudiæ Ducum commendatur inuicta magnanimitas, & inconcussa fortitudo; prima enim littera est *fortitudo;* secunda *eorum;* tertia *Rhodum;* quarta *tenuit,* scilicet *Fert, Fortitudo, eorum, Rhodum, tenuit,* hinc habetur illud aliud Rhodulphi Imperatoris, cuius ad pedes Aquila sagittam proiecit, cui Imperator subiecit, *Adsit,* quod nonnulli sic explicarunt *adiuuante, domino, superabo, Imperatorem, Turcharum.*

Secũda species Aenigmatis sita est in syllabis, dum in eodem nomine multa significata excogitamus, siuè illud retrogradè legamus, siuè diuidamus in syllabas, vt *Roma* retrogradè legitur *Amor,* miscendo autem litteras, *Mora: Aura, Arua: Omen, Nemo: laudator, adulator: logica, caligo,* eo quia nouitate terminorum verè caliginosa, ac obscura videatur Tyronibus: hæc autem Aenigmata propriùs dicuntur Anagrammata, vt sunt illa Ioann: Baptistæ Agnensis Cyrnei Caluensis, qui lucis vsura orbatus in tenebris meliùs vidit Virginis Conceptæ Immaculatum candorem, nempè obcęcata luscinia castiùs cecinit purissimis Anagrammatibus depromptis à verbis salutationis Angelicæ,

AVE MARIA GRATIA PLENA DOMINVS TECVM;
Quibus probat Immaculatam Virginis Conceptionem,

ANAGRAMMATA PVRA:

Do Reginam puram, & sine macula auita.

Io Regina pura munda, & Immaculata es.
Sat pura è malo Adami Increatum genui.
En Virgo, en Deipara sum, at Immaculata.
Casta Mater, pura, diua, anguem, elimino.
Tota sine macula Adam purè germinaui.
Viuam Deo integra, Immaculata, parens.
Deipara inuenta sum, ergo Immaculata.
Eua secunda malum ignorat primæ? ita.
Virgo ne semper munda à macula? ita, ita.
Regina nata euadens luctum amari pomi.
Tanta Virgo merè immunis à culpa Adæ.
Iram, maculamue Adæ prorsus ignorat.
Regina mirè tuta à lapsu communi Adæ.
Lapsum, ac reatum Adam niuea ignoret.
Iam munda es à culpa Virgo intemerata.
Adam Euam in macula purè ignorasti.
Tu vera primo genita sine macula Adam.
Virgo à macula Adae patenter immunis.
Virgo an deturpata es à macula? minimè.
Pura vadam, longè sit à me Ataui crimen.
Ignorauit Adae culpam, nam Mater Iesu.
En Virgo sane tuta è macula primi Adam?
Ostendi te Reginam puram à macula aui.
Viue, regna, ac impera tota munda malis.
Virgo, i, munda patens, mater amica vale.

plurimum etiam amænitatis habet hoc aliud anagramma *Roma*, *Mora*, quo alluditur ad Annibalẽ, qui propter moram inter Capuanas delicias Romam proprio non subiugauit imperio;

Annibal in paucas Fortunam distulit horas,
Non benè Romanas præmeditatus opes.
Vincere cum sciret, fortunâ nesciјt vti,
Pœnus homo quamuis Afer *eoque* vafer,
Heù, quantum Annibali nocuit differre parato?
Seruata est minima, maxima Roma Mora.

Amæniora fortasse sunt illa, quæ in regressu significant oppositum, vt si pius fidei cultor dicit,

Patrum dicta probo, nec sacris belligerabo,

Hæreticus sic inuertit.

Belli-

Belligerabo ſacris, nec probo dicta patrum.

Tertia ſpecies Aenigmatum fit, quando demitur aliqua littera ex nomine: hinc lepidum eſt illud Comici fortunam ſuam ridentis, ſic ſe mendicum proponit Aenigmaticè auferendo literam, n, ſic dicendo, *Sum ego vna littera pluſquam medicus*, ſcilicet mendicus; litera etiam, vel poteſt demi in principio, vt *menſis enſis*, *Ieſus eſus*, *Magnus agnus*, vndè *Magnus Ieſus* in Euchariſtia eſt *Agnus eſus; color olor; nauis auis*, quaſi volitet per equora nauis, *raptus aptus*, quia quod rapitur aptum ſemper eſt ad neceſſitatem rapientis; *fluctus luctus*, quia facilè luget, ac illachrymatur, qui à fluctibus agitatur; *Cæſar Aeſar*, quia Etruſca lingua Deus eſt: *Parcus arcus*, quia temperantia, ac parcitas eſt arcus, ac bellicum inſtrumentum, quo titillantem Venerem ferimus, ac rebellem carnem cruciamus: poſſunt etiam demi plures literæ, vt *Diuitÿs vitÿs*, quaſi vitia oriantur à diuitijs, vel quia raro reperiatur diues ſine vitio.

Aliquando litera demitur in medio, vt *auarum* ſi mediam literam aufers dices *aurum*, quia auarus idem eſt cum auro, in quo animam, & cor ſuum poſuit iuxtà illud, *Vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit*, ſi demis mediam literam *Mars mas*, quia mares ſunt bellicoſiores fœminis, *Magnus magus*, quia Magnati, ac Principes debent eſſe magis verſuti, ac ſcire mores omnes ſubditorum, *Vita via*, quia teſtante Apoſtolo in hac vita in via ſumus, qua peregrinamur ad Dominum noſtra enim patria in Cælis eſt, *Viſcus viſus*, quia ſicuti auiculæ aucupantur viſco, ità viſu captantur incauti iuuenes: ſic Dauid viſa Berſabea incidit in laqueum concupiſcentiæ, ac peccati: ſic Senes viſa Suſanna irretiti manent prophano amore, & libidine fiunt Iuuenes, ac animatę Aetnæ ſub canitiei, ac capitis niuibus, impuræ Veneris flammas fouentes, concupiſcentiæ igne animam exurunt, vbi per oculorum intuitum elegantem faciem, ac venuſtam formam attigerint virginis; explicat hoc totum ſimilitudine D. Ioannes Chryſoſthomus Homil. de verbis Iſaiæ, *Vt ignis, vbi fœnum aliquod arripuerit nihil moratur, ſed ſimul vt attigit materiam, lucidam accēdit flammam: itidem, & ignis concupiſcentiæ; qua eſt in nobis ſimul atque per oculorum intuitum elegantem, atque venuſtam attigerit formam protinus exurit animam*: vndè viſcus eſt viſus: *Decus Deus* eſt enim ipſa gloria, honor, atque decus, ipſe ſummus Deus; quod ſit De-

cus,

cus, ac gloria noſtra patet ex eo, quia noſtra beatitudo ſita ſit in clara, ac intuitiua viſione diuinæ eſſentiæ, qua Deum contemplamur in patria; licet mihi magis arrideat ponere beatitudinem formaliter in actu voluntatis, ſeù fruitionis, & radicaliter ſolùm, ac cauſaliter in actu intellectus, vt explico in Tractatu de Beatitudine, quia Beatitudo debet eſſe vltimum ſatiatiuum, & expletiuum appetitus rationalis, quod ſatiatiuum vltimum ſolùm habetur per actum voluntatis: nam dato actu intellectus, ac viſionis intuitiuè præſcindendo à quocunque alio actu; certè appetitus rationalis non eſt vltimatè expletus, quia adhùc poteſt expleri per actum fruitionis, in quo formaliter pono Beatitudinem.

Demi etiam poteſt litera in fine, vt *muſa mus*, quaſi paruulorum ſit dare operam muſis, non grandium animarum; ſic luſciniæ, cardueles tantùm canunt, non Aquilæ, *Roſa Ros*, quia vt ros citò cadit, ac euaneſcit; *Sagax Saga*, quia inſtar mulieris verſutæ, ac ſuperſtitioſæ, ſeù maleficæ, vir ſagax eſt, *menſa mens*, quia cibi, potuſque ſuperfluitate obcæcatur mens, *ferax fera*, *limax lima*, *Iubbar Iubba*.

Anagrammatiſmus ludus ſiſtit etiam in ſeparatione ſyllabarum ab eadem voce, vt dixi olim de quodam iuuene pudicitiæ læſionem extimeſcente, ac mortem, non minus timuit *ſepulchrum*, quam *ſe-pulchrum*; timebat enim ne propria pulchritudo turpitudinis eſſet cauſa. Ex hac ſyllabarum ſeparatione orta etiam fuit illa æquiuocatio Sacerdotis Ammonij, qui feſtiuè volens vocare Alexandrum *PAEDIOS*, ideſt filium, ac puerum; poſt expreſſionem primæ ſyllabæ *PAE* dixit poſtea *DIOS*; hoc eſt filium Iouis: Hinc ſuperbiens Alexander propriam matrem vocauit adulteram, ac ſe manifeſtauit ſpurium, ac notum; & vt Deum ſe faceret, brutum non horruit ſe declarare. Non diſſimile etiam fuit ſomnium, quod Alexandro promiſit victoriam Tyrij; ei in quiete rappræſentando quendam *Satyrum*, quod ſomnium interprætatum fuit ſeparatione primæ ſyllabæ, ideſt *SA*, *TYROS*, hoc eſt tua Tyrus: è conuerſo, ſomnianti Conſtantino in ipſo pugnæ choragio, ſe Theſſalonichin inuadere; diuiſione nominis in tres ſyllabas ſiniſtrum ei fuit Augurium *THES*, *ALLO*, *NICHIN*, ideſt linque alteri victoriam. Nec minorem habuit amænitatem illud cuiuſdam ſculptoris, qui vocatus ab equite parum prudente, ac mente capto, vt ſuper caminum, vbi calefaciebat ſe

bat se sculperet hæc verba, *In memoria æterna erit*, diuisit primam syllabam illius vocis MEMORIA, & sculpsit *IN ME, MORIA AETERNA ERIT*, scilicet in me erit æterna stultitia, vel hoc fecisset fortuitò sculptor, vel vt equitem pungeret, diuisio non poterat meliùs esse ad rem.

Aliquando ex syllabarum, vel litterarum obtruncatione satyrica nascuntur scommata, vt est illud festiuum *Gotardi Naselli*, qui dotrantalibus litteris insculptum volens proprium nomen, scilicet Gotardus Nasellus, quia hic testudineo gradu suis progrediebatur in negotijs; alij deleuerunt primam litteram nominis, & primam cognominis, sic *TArdus ASELLVS*. Aliquando ex additione syllabarum argutè luditur, vt videre est in epitaphio Didij Orcelli Terraconensis, epitaphium hoc erat: *Hic situs est Didius Orcellus, Nobili Familia Natus, qui Ciuili bello, Laudem in Arce, & Castris Meritus Obijt Anno Aetatis Quinquagesimo quinto:* In quo Epitaphio Hæredes affectantes laconismum scripturæ, sic prædictum Epitaphium Insculpserunt: HIC SIT. EST DID. ORCELL. NOB. FAM. NAT. QVI CIVIL. BELL. LAVD. IN ARC. ET CASTR. MER. OBIIT AN. AET. LV. quæ laudes in Satyricas significationes verterunt alij: HIC paraSIT: EST forDID. pORCELL. igNOB. inFAM. damNAT. QVI inCIVIL. BELLua cLAVDi. IN cARCE. ET CASTRari MERuit malè OBIIT: ANimal fAETidum: LVtuosum.

Anagrammata festiua apud Græcos sunt etiam illa *Ptolomei*, & *Arsinoæ* eius coniugis, ille commendatus ob dulcedinem suauis facundiæ, illa laudata ob florem raræ pulchritudinis *Ptolemaios* Anag. *Apo*, *Melitos*, hoc est dulce sicut mel, & *Arsinoi* anag. *Iras*, *Ion*, quod apud Græcos delicatiorem veris florem nempè violam significat. Furum Anagramma fuit etiam illud, quod veluti propheticum oraculum præsagiuit vulnera, quæ Matri Ecclesiæ Martinus Luterus erat infigendus nostri temporis crudelior Nero, qui propriam non exhorruit sçuire in Matrem Anagramma erat istud *Martinus Luterus*, *TER MATRIS VVLNVS*, quod scitè explicatum fuit in illo disticho,

Et ferro, & lingua, & calamo fera vipera Luter
Ecclesiæ Matris ter graue vulnus eris.

Nec minori laude à Recensioribus fuit exceptum Anagramma numeri-

numericum, opus certè longe laboriosius, quod videtur in se includere quandam Kabalisticam fatalitatem, vbi numerantur litteræ Alphabeticæ à prima littera, A, vsque ad litteram; I, numeris simplicibus, vt, A, 1, B, 2, C, 3, D, 4, à littera, K, vsque ad litteram, S, decennarijs numeris vt, K, 10, L, 20, M, 30 &c. à littera T, vsque ad Z; centenarijs numeris vt, T, 100, V, 200 &c. quæ species Anagrammatum nonnunquam mirabiles enucleat prophetias, tale est illud Anagramma numericum super Martinum Luterum Ioannis Ostulfij, qui ad enucleandam illam prophetiam Apocalipsis, in qua significatur, quod monstrosa bellua contaminabit Ecclesiam, & hæc Bellua erit homo, cuius nomen numerabit numerum 666, & qui habebit ingenium sciet prædictum numerum numerare, Martinus enim Luterus scriptus in proprio Idiomate per Anagramma numericum continet eundem numerum 666.

M	30	L	20	
a	1	a	1	
r	80	u	200	Qui numeri omnes
t	100	t	100	vnitim sumpti fa-
i	9	e	5	ciunt numerum
n	40	r	80	666.

In quo Anagrammate explicatur Luterum extitisse Immanem illam Belluam Apocalipsis visam à Diuo Ioanne Euangelista, eius enim nomen includit numerum 666.

Quarta species ęnigmatum consistit in contradictorio, vt *vir non vir* de Eunuco, *ales non ales* de Vespertilione; alia consistunt in significatione, vt est istud *Mater me genuit, quæ rursum gignitur ex me*, quod de niue interpretatur, quæ fit ex aqua concreta frigore, & in eandem resoluitur: de anno pariter, & eius partibus hoc habetur ęnigma, *Est genitor natos, qui bis sex procreat, vnicuique eorum nati triginta dispari forma, quidam sunt nigri, quidam sunt vultibus albi; sunt immortales moriuntur, & omnes*.

Ironia est simulatio, aut illusio, quà aliud in pectore reclusum est, & aliud in lingua promptum habemus, hoc enim tropo aliud verbis significamus, & aliud corde sentimus, fit Ironia, vel pronunciatione, vel persona, vel rei natura; pronunciatione cum ipso vocis tono irridentis animum ostendimus, vt cùm indoctum sapientem appellamus; rei natura cum ex ipsa re contrarium

omninò

omninò cognoſcimus, aliquando Ironia eſt breuis, ac faceta; ſic Lamia deformem puerum ironicè pungens, dixit, *Audiamus pulchellum puerum*: at ille bellè retorſit, *Non potui formam ipſe fingere, ingenium potui*, ſic habetur etiam illud Heliæ 3. Regum *Clamate voce maiori Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit*.

Periphraſis eſt circumlocutio, quà pluribus explicamus verbis, quod vno, vel paucioribus explicari poteſt, vel ad euitandam fœditatem, vel ad comparandum ornatum orationis, hic tropus frequentior eſt poëtis, quam oratoribus, ſic ad exprimendam primam noctis partem Virg. dixit 2. Aeneid.

Eſt tempus, quo prima quies mortalibus ægris incipit,

& Ouid. ad exprimendam mediam noctem lib. 1. triſt. Eleg. 3.

Iamque quieſcebant voces hominumque canumque,
Lunaque nocturnos alta regebat equos.

hinc habetur etiam illud Sapientiæ 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet*.

Hyperbole alijs ſchema, alijs tropus videtur, ſed lis de nomine ſit apud Criticos, dico Hyperbolem fieri, vel augendo, vel minuendo aliquid ſupra veritatem, non quidem vt mentiatur; ſed vt magnificetur: ſic D. Augu. Hyperbolem putat illud Ioan. cap. vltimo, *neque mundus caperet, qui ſcribendi ſunt libri*, habetur etiam illud Virg.

Qui candore niues anteirent curſibus auram.

Tripliciter fit Hyperbole; primò, quando plus facto dicimus, vt *it clamor ad aſtra*: ſecundò, per ſimilitudinem, & comparationem vt *pulcher vt Sol*: tertio, per tranſlationem, ſic Pericles ab Ariſtophane Poëta dictus eſt *fulgurare, tonare*.

Hyperbaton verborum carnifex, ac Tyrannus ſcindit verba illorumque partes ſeparat, dicitur etiam tranſgreſſio, quia verborum perturbat ordinem, Virg. lib. 6. *Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta*, ſcilicet *hactenus*.

EXPENSIO OCTAVA.

De Figuris Orationis.

Ornamenta orationis, ac lumina eſſe figuras nemo eſt, qui dubitet: per figuras enim ornatur, & illuſtratur oratio; imò figu-

figurarum inter flores; veluti Pindi inter vireta iocatur eloquentiæ maiestas, quibus si spolietur statim in squalore iacens languescit. Figura definitur ab Alexandro Rhetore, *Mutatio orationis in melius*, hoc est ornatior quædam forma dicendi, ab alijs verò, definitur conformatio quædam verborum, & sententiarum à cōmuni ratione loquēdi remota, vndè duplex est genus figurarum, aliæ sunt figuræ verborum; aliæ sententiarum, differt figura à tropo, vt ait Alexander Rhetor, quia tropus est virtus in vno dumtaxat verbo; figuræ verò ornatus, sistit in pluribus verbis; deindè tropus fit mutatis à propria significatione verbis, secùs figura propriam retinet rei significationem.

Figuræ verborum tribus modis fiunt per *Adiectionem, Detractionem, ac Similitudinem*, per Adiectionem fiunt subiectæ Figuræ, prima est *Repetitio*, fitque cum eadem verba pluries repetuntur: quæ repetitio maiorem vim, ac impressionem in auditorum animis facit, sic Cic. in Catilinam ait, *Nihil agis? nihil moliris? nihil cogitas?* ex quo euenit, quod ego non modo audiam, sed etiam videam sententiam, hæc Repetitio dupliciter fieri potest in principio, vel fine sententiæ, cùm repetitio fit in fine tantum, rigorosè non est repetitio, sed *Conuersio*, vt Cic. in Antonium Philippica 2. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius: desideratis clarissimos Ciues? eos quoque eripuit Antonius: authoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius?* insuper quando Repetitio fit in principio, & fine, dicitur *Complexio*, vt *qui sunt? qui sæpiùs fœdera ruperunt? Carthaginenses? qui sunt? qui crudele bellum in Italia gesserunt? Chartaginenses? Qui sunt, qui sanguinem fuderunt, artusq; humanos trucidarunt? Chartaginenses? Qui sunt, qui occisorum cadauera vbique horrescente tellure dissem inarunt? Chartaginenses? Qui sunt, qui tot cupressus inmani gladio resecarunt, vt Orbem totum funestarent? Chartaginenses?* & Cic. pro lege Agraria, *Quis legem tulit? Rullus: Quis conuitijs præfuit? Rullus:* Per eandem complexionem habetur etiam integer Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius: qui fecit Cælos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius: qui firmauit terras super aquas, quoniam in æternum misericordia eius.*

Anadiplosis est congeminatio dictionis, quæ præcedentem versum claudit. Hæc tamen figurarum species rara est apud Oratores,

res, Poëtæ verò hanc figuram frequentius vſurpant apud Virgil. Ecloga 10.

Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas,

& illud aliud;

O Corydon Corydon, quæ te dementia cepit,

eſt etiam illud aliud;

Me, me adſum, quid feci? in me conuertite ferrum;
O Rutuli;

Epanalepſis eſt figura, quæ fieri ſolet cùm id quod dictum eſt ſemel,& iterũ repetitur, vt cum eiuſdem verſus idem eſt principium, ac finis: vnde clauſula ijſdem verbis, quibus incipit, deſinit fateor tamen hanc figuram magis arridere Poëtis, quam Oratoribus; ſic per eandem figurã in ſubiectis carminibus dico, radicem totam Dominicæ Paſſionis fuiſſe amorem tali pacto;

Quis niſi ſolus amor Præclara traxit ab arce,
Aeterni natum? Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor pura de Virgine naſci,
Compulit immenſum, quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor tormentis corpora Chriſti
Inſane afflixit: Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor pungenti tempora ſerto
Præcinxit circum; Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor ſublimi brachia ligno,
Atque pedes fixit, Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor fodit vno cuſpidis ictu,
Et latus, & matrem, quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor conſcidit pectoris artus
Cor nobis tradens; quis niſi ſolus amor?

Extat etiam eruditi Poëtæ carmen in Martyrem Ignatium charitate æſtuantem;

Ignis erat dabat ore rogos, dabat ore fauillas
Frigora depulerat mentibus ignis erat.
Ignis erat, quamuis liquidis equitaret in vndis
Demerſuſque Freto creſceret, ignis erat.
Ignis erat, fugit obiectum leo territus ignem,
Quem tetigiſſe negat, dentibus, ignis erat.
Ignis erat, tandem feras accendit in ignem

Puluere in exiguo desijt, ignis erat.

Per *Epanalepsim* habetur etiam illud Virg. 1. Aeneid.

Multa super Priamo rogitas, super Hectore multa.

Differt *Epanalepsis* à *Palilogia*, quod in illa vna pars orationis bis repetitur tum coniunctim, tum interposito vno, aut altero verbo, quo vehementior elocutio videtur fieri; at in hac ex plurium verborum continuatione repetita idem quæritur.

Conduplicatio fit cum idem verbum nulla alia interiecta voce geminatur vt est illud Matthæi 23. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos.*

Traductio fit cum pluribus verbis ferè idem significantibus explicamus id, quod paucioribus dici posset, vt est illud ad Ephesios 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.*

Synonimia etiam parùm distat à præcedenti figura fitque; cùm verba idem significantia copulamus ad eandem sententiam maiori emphasi exprimendam, vt est illud Cic. contra Catilinam: *Perge quò cœpisti, egredere aliquando ab vrbe, patent portæ, proficiscere.* Synonima sunt illa verba Psalmi, *Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* In Synonimis tamen Orator sobrius sit, ne auditores tædio afficiat; circuitus inde verborum idem exprimentes sunt omninò vitiosi, nauseamque excitant.

Polysyntheton Schema est, quod efficitur, quandò sententiæ multorum articulorum conuenienti copia continentur: seù est oratio multis nexa coniunctionibus, vt est illud Psal. 40. *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Hinc habetur etiam illud Diarchi *Partim nostri silebant, partim autem ingentem clamorem excitabant: at hi socij præclara nostra auxilia neutrum poterant, neque enim constanti silentio, neque forti clamore, strenuè quid agere conabantur, huc accedebat ignauus tubæ strepitus, qui nihil eorum mentes ad virtutem excitabat.*

Climax figura est, quæ à latinis *Gradatio* dicitur: hæc figura à Demosthene commẽdatur, licèt vt ait Hermogenes lib. 1. De Formis *bis tantum in omnibus Demosthenis orationibus reperiatur vsus huius figuræ*; est autem *scomma*, in quo postremùm quodque verbum in priori membro, aut parte aliqua elocutionis positum, in inferiorem rursus assumptum inijcitur, vt est illud ad Romanos 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio*

probatio verò spem, spes autem non confundit: huc spectat etiam illud Virg. Ecloga 2,

Torua leæna lupum sequitur: lupus ipse capellam,
Florentem Cytbisum sequitur lasciua capella;

vbi repetimus vltima verba, & ad alia quasi per gradus quosdam ascendimus.

Diezeugmenon scomma est, quod ita ornat, & amplificat orationem, vt diuersis reditionibus verborum membra disiungat, ac separet, vnde à latinis dicitur disiunctio eo, quod disiungat, ac separet membra orationis, & vnicuique membro, verbum apponat, cùm satis vnum esset omnibus vt Cic. pro Archia, *Homerum Colophonij ciuem dicunt esse suum, Chij suum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verè suum esse dicunt.*

EXPENSIO NONA.

De figuris, quæ fiunt per Detractionem.

PRincipem locum in hisce figuris occupat *Aposiopesis*, quæ à latinis dicitur Reticentia, fitq; cùm intra nos supprimimus ea, quæ dicturi videmur, quæ aut turpia, aut inuidiosa, aut alioquin nobis grauia sunt dictu, vt est illud Iunonis apud Virg. lib. 1. Aeneid. *Quos ego! sed motos præstat componere fluctus;* vnde hæc figura plus auget silendo, quam si loqueretur.

Dissolutio est figura detractionis, quà reticetur particula coniunctiua, redditurque oratio concitatior, vt est illud Cic. 7. de orat. *Secutus es, vulnerasti, inte fecisti tuum hostem*, & illud pro Archia *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant: secundas res amant aduersis perfugium præbent.*

Adiunctio est quà ad vnum verbum plures sententiæ referuntur, siuè in principio, siuè in medio, siuè in fine: exemplum de verbo posito in principio ad quod omnia referantur potest esse hoc, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, gaudium tristitia, amorem odium, spem desperatio, rationem amentia, virtutem vitiū;* Exemplum verbi positi in fine habetur apud Virg. 3. Aeneid.

Troiugena interpres diuùm, qui nomina Phœbi,
Qui tripodas Clarij lauros, qui sydera sentis.

Synæciosis scomma est, seù figura, in qua duæ res diuersæ ad vnicum

cum referuntur verbum, vt *tam deest auaro, quod habet; quam quod non habet*, vbi quod habet, quod non habet referuntur ad vnicum verbum *deest*, sunt etiam aliæ figuræ detractionis, vt videre est apud Cic. Quintil. sed quia vel parum amænitatis habent, vel parum vtilitatis; ideò eas hic non subijcio, quia vt ait D. Augustinus 2. de Doctrina Christ. cap. 87. *Multitudine præceptorum magis obruitur mens, quam adiuuetur.*

EXPENSIO DECIMA.

De Figuris, quæ fiunt per Similitudinem.

Licèt genus hoc figurarum parum videatur esse in vsu apud Quintil. quia magis videtur prodesse memoriæ, quam concinnitati, & amænitati orationis; tamen quia in Elogijs texendis, ac inscriptionibus aliquid videtur habere salis, ac Veneris; ideò opere pretium duxi has figuras hic subijcere.

Paronomasia, quæ apud nostros latinos *agnominatio* dicitur, est verborum similitudo, & quædam quasi collusio, in dissimili sententia, hæc autem figura tripliciter fieri potest: Primò modo, quando detrahitur à nomine prima litera; vt *amore fecit hoc non more*, quæ figura videtur etiam echo, possunt etiam auferri plures litteræ, vt feci olim in quodam elogio, *Adesdùm, qui dubio adhuc fluctuas doctrinarum in Pelago, agitatam mentem in spem erige portus: en noua tibi lucet Cynosura, quà Charybdis eluuiem, elides, eludes Scylla vortices: hac igitur scientiarum repercussa echo rimare mare.*

Secunda *Agnominatio* fit additione alicuius litteræ, vel vocis vt *audendum est, non audiendum* præsens figura frequens etiam est apud mellifluum Bernard. ait, *Monachi hoc in* cellis *agant, quod Angeli in* cælis, & alibi cella *sit tibi* cælum, habetur etiam illud festiuum Martialis lib. 1. epig. 66.

Litigat, & podraga Diodorus, Flacce laborat,
Sed nil patrono porrigit hæc chiraga est.

Tertiò, fit cum ponitur vna vox pro alia, vt *Oportet Iuuenem reprimi, non opprimi:* D. Ioanni Chrysostomo eloquentiæ flumini, Lumini sapientiæ per Paronomasiam has dedico laudes. *Licèt constantia ferreus fuerit, aureum tamen eius ab ore fluxit flumen,*

men, ac lumen eloquentiæ, ſapientiæ, quod aduerſus corruptos mores effluxit, effulſit, quia eruditione claret caret inſulſis ſalebris, eius conciones vix typis natæ, nactæ gloriæ apicem veræ ſapientiæ habent flumina, ac lumina; quibus Atthica melos prophana elocutionis eludit, elidit vitia omnia: ſtruxit olim in Argileto Iano, hoc eſt pacis, belliſque Numini Fanum Vrbis Numa, Orbis Numen; at Chryſoſthomus, & pacem virtuti, & bellum indixit vitio; nam etiam paruis prauis eſt minatus gehennæ cruciatus, præſertim Ario, qui ab infantia paruus, & prauus nihil candidi vnquam habuit præter ſyndonem; de fabula Gallicani Hercul s triumphatum os aureum aureis eloquentiæ catenulis, & animos ſibi ſciuit vincire, ac vincere: vtinam oratores tantum virum imitarentur non diceret Quintilianus plures Oratores eſſe aratores.

Non incongruum mihi videtur figere hic quamdam inſcriptionem in commendationem amæniſſimi ruris textam à Theſauro per prædictam paronomaſiam. *Huc ex Vrbe in Suburbium, viator* de via deuia: *vbi* vera, & mera, & *pia volupia colonos colit. Varia hic ſpectacula, vt ſpectantes* recreet, *natura* creat. *Hinc* rapidus, & rabidus; torrens, *iucundè* terens; *pari* ruina, *ac* rapina; *ſaxa* diruit, *dum* ruit; *vt credas in gelidum* fulmen, *mutari* flumen! *Illinc lacteus latex, è gelido gelu* fluens refluens, *flores* educat; *quos* educit. *Hic* fragra fragrant: *ſerpyllum ſerpit: roſa ridet: Gratiſque grata* violaria *nullæ* violant *niues. Atq; vt Flora flores; ſic pomaria Pomona pingit: nam, coloris artifice colore optimorum malorum omnigena genera, ramos* ornant, *quos* onerant. *Neque hic meridianus* Apollo pollet: *nam ſine* luce lucus, *ex vetuſtate venuſtatem adeptus*, abditis adytis, *quos* tegit protegit: *ſilentique vmbra mæſtis læta. teſtatur adeſſe* Numen, *vbi nullum eſt* lumen. *Hic perſonata perſonans Echo, mortua viuit, elinguis loquitur: per* auras *ludens* aures *illudit*.

Omæpteton figura eſt, quæ latinè vocatur ſimiliter cadens, fitq; quando plura verba licèt diſſimilia ſimiliter tamen cadunt in eadem tempora, vel nomina, in eoſdem caſus, exemplum de verbis habetur apud Ezecchielem 18. *Qui virum non contriſtauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem ſuum excutienti dederit; & nudum operuerit veſtimento.* Exemplum de nominibus habetur apud Tull. vt *Furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem &c.*

Simi-

Similiter Desinens differt à similiter cadenti, quod similiter cadens, vbique admittat similitudines vocum: similiter verò desinens tantùm in fine, exemplum similiter desinentis est istud, *Si fecerit, si dixerit, si damnatus fuerit.*

Isocolon figura est, quæ ad concinnitatem periodi plurimum valet, à latinis dicitur *Compar*, eo quia per hanc figuram omnia orationis membra sint paria, vt est hæc periodus. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, latèq; dispersum Gneius Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte verè suscepit; media æstate confecit;* ad hanc figuram refertur etiam Tricolon; quæ est figura, quæ constat ex tribus membris, vt *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Antitheton. seù contrapositum figura est, in quà singula singulis opponuntur, vt *Profligauit temperantia, ebrietatem, trucidauit humilitate, superbiam, repræssit timore audaciam:*

Antimetabole figura est, quæ à latinis commutatio dicitur, fitq; quando duæ sententiæ inter se discrepantes, ità exprimuntur, vt à priori posterior contraria proficiscatur, vt est illa *Non vt edam viuo, sed vt viuam edo.*

Correctio est figura, qua per repetitionem verbum corrigimus quod diximus, vt *Catilina Romanus ciuis, si tamen Ciuis Romanus est, qui Reip. perniciem intendit.*

EXPENSIO VNDECIMA.

De figuris Sententiarum.

AMæniores elocutionis flores carpendos subijcio, nempè figuras sententiarum; quæ in oratione veluti flores in campo debent assiduè vernare, nam sicuti prata floribus viduata hyberno tempore, gelido compede, altoque sub gelu in squalore iacent, ac rigent; sic orationes; sine hisce figuris, veluti spoliatæ ornamentis, ac defloratæ syluescunt: figuræ sententiarum sunt, quæ nō in verbis, sed in ipsis rebus quandam habent dignitatem, inter quas Principem occupat locum *Interrogatio*, quà alios interrogamus, vel sciscitandi, vel increpandi, vel monendi, gratia, quapropter multifariè fieri potest hæc figura; Primò, quando interrogamus, ad percipiendum, quod ignoratur, vt si ignorans me inter-

interrogaret, in quo consistat beatitudo nostra in patria, illi responderem radicaliter, seù causaliter in actu intellectus, quo intuitiuè diuinam videmus essentiam; formalitèr verò in actu voluntatis, quo fruimur Deo: secundò, quando interrogamus non sciscitandi gratia, sed instandi vt est illud Cic. *Quousque abuteris patientia nostra Catilina*. tertiò, cum orator interrogat auditores extorquendi gratia consensum, dum putat auditores nescire, quod notissimum esse supponit, vt. & quis ignorat tot crimina sordidè patrata à Mario? quartò, cum interrogamus causa admirationis pariendæ, vt apud Virg. 2. Aeneid. *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames*. quintò, quando perplexi interrogamus, vt *Quid faciam? aut quò me vertam? vbique laquei latent, vbique mundus insidias tendit:* sextò, cum interrogamus per admonitionem, ac ad incutiendũ terrorem sic D. Ambrosius monet animam deuotam; vt mundi illecebras fugiat, hominumque consortium deuitet inquiens ad Virg. cap. 1. *Quid tibi cum mortalibus? quid in illis desideras, ac requiris castimoniam, quam non habent? quid? fidem, quam non inueniunt? doctrinam, quam non sequuntur?* nisi sæculi sapientiam? Ieiunium, quod oderunt? abstinentiam, quam reijciunt? humilitatem, quam opprimunt? sobrietatem, quam negligunt? sinceram mentem, quam non habent? verecundiam, quam à se proijciunt.

Responsio est figura qua interroganti respondemus, vt est illud 2. Regum 18. *est ne pax puero Absolon?* & Chusi respondit Regi Dauid, *Fiant sicut puer inimici, Domini mei Regis*.

Per interrogationem, & responsionem simul de Deucalione saxa vertente in homines, & de Perseo homines è converso in saxa mutante, ait Poëta;

Saxea Deucalion terris dùm semina mandat,
Mollia de saxis surgere membra iubet.
Perseus, at contra, vibrat dum Gorgonis ora,
In lapides molles cogit abire viros.
Tu quem nunc dices, meliori viuere sorte?
Scilicet hic homines perdit, at ille facit;
Ille viros sceleri exponit, sed subtrahit iste;
Ille malis homines obijcit, iste rapit;
Sed quis ne subeat, tam multa pericula vitæ;
Non cuperet potiùs Gorgonis esse lapis.

Subiectio fit cum Orator interrogat seipsum, & respondet sibi, vt est illud Cic. pro Cælio, *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabas? at egebas:* sic etiam habetur illud D. Pauli ad Romanos 7. *Infelix homo? quis me liberabit de corpore mortis huius* sibi respondet, *gratia Dei per Iesum Christum*.

Prolepsis, seù *Anteoccupatio* fit, cùm quod arbitramur esse in aduersarij causa, aut in Iudicis opinione, contrarium nobis præoccupamus dicere, & cum ratione dissoluere, vt est illud Lysiæ, *Hac oratione sæpiùs apud me vtebatur, & orabat, vt suarum erumnarum misererer, inopiaque subuenirem, quid multa? commotus humanis precibus deprecantis, quod petebat dedi, solus soli, quò minus nota calamitas hominis esset: sed vt paratus venisse videatur; iam se negabit accepisse, & flens vos orabit, vt se à calumniatoribus eripiatis. Vos autem cum sic agentem videritis facitote, vt & illius & mei memineritis.*

Correctio figura est, in qua dictam sententiam alia magis idonea corrigimus, quale est illud epithaphium de puero apud Petrarcham;

Vix mundi nouus hospes eram, vitaq; volantis
Obuia mors, fallor, obuia vita fuit.

Dubitatio est, qua quærimus, vndè incipiendum, vel desinendum, vel quid sit meliùs loqui, vel silere: vt est illud Virg. lib. 3. Aeneid.

Eloquar? an sileam gemitus lachrymabilis imo;
Auditur tumulo.

Hypotyposis est figura, qua sic ad viuum rem exprimimus, ac si gereretur sub aspectum, vt est illa descriptio equi apud S. Iob, *Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus, feruens, & fumans, sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit: vah procùl odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.*

Hac figura præsertim vtuntur pictores, rerum imagines, sic ad viuum delineantes, vt illis aliud non desit, nisi anima; vt moueantur: sic præ cæteris Duredus pictor non obscurus profundi, atq; cogitantis animi motus, qui malencholici dicuntur, & causantur, vt aiunt Physici ab atra bili, sic eos delineauit. *Pinxit mulierem sedentem demisso capite, manuque cubito nixa, genu suffulto, vultu seuero,*

seuero, quasi in magna consideratione, qui nusquam aspicit, sed palpebris deiectis humum intuetur: omnia autem sunt circa illam obscura, ipsa claues appensas habet lateri, capillo est neglectiori, ac diffuso, cirum per latera visuntur artium instrumenta, libri, regulæ, circini, normæ, etiam ferramenta, & lignea quædam opera: quo pacto videtur ad viuum expressa Melancholia.

Apostrophe est figura, in qua orationem nostram ad aliquos conuertimus, multipliciter autem fieri contingit. Primò, ad inuocationem, vt *ò Deus Creator Cæli, ac terræ adiuua me in hoc imminenti periculo, erue me à laqueo venantium:* secundò fit per increpationem, vt *quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?* tertiò, per implorationem, vt *ò leges sacræ quomodo siletis in tanto facinore?* quartò fit ad irrisionem, vt est illud inter SS. Machabeos Protomartyris Eleazari apud Thesaurũ. *Eamus Tyrannè nemò me trahet, omnes antecedam: mortem apparabene mihi est, non possum totus mori; virgas expedi: solùm puluerem excutient; & hunc reparabilem, quate, seca, reseca, vulnera ipsa vulnera solum animæ carcerem perrumpes, quidni patebunt fores ad libertatem euolabo; Remp. fulcire integer nequeo, fractus petere: valete amici aliquando laudabitis, quod timetis.*

De D. Magdalena properante ad pedes Christi per apostrophen hæc habentur;

Magdala ne cesses Veneris iactata procellis
Quærere quassatæ littora tuta rati;
In mare nam gemitus, cordis spirantibus austris
Pes Domini fidus mox tibi portus erit.

Per Apostrophen habetur etiam subiectum Epigramma super Mariam Stuardam Scotiæ Reginam, quæ ab Elisabetha Angliæ Regina capite plectitur.

Sors rgum infelix! quorum crudelia fata,
Flere satis tragico carmine nemo potest.
Tu Maria heu testis Regum miserabilis vxor,
Sed viduata viris, quam miseranda magis?
Scotia cui Regnum, Sponsum, cui Gallia Regem,
Anglia sanguineum, cui diadema dedit.
Scilicet elapsis bis denis carceris annis
Fœmineo tandem victa furore cadis,
Sacri facta trucis lacrimabilis ipsa sacerdos,

 Ipsa

Ipsa tibi templum, victima, & ara simul,
Vt referat solos fama execrata Britannos,
Ense coronatum posse secare caput.

Exclamatio, est figura, quæ aliquem exprimit affectum, animique motum per particulas, *O, vba, heu, proh*, vt est illud; *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis, sicut dolor meus*; apud Cic. plures habentur exclamationes, vt in Catil. *O tempora, ò mores, Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamen viuit?* Philipp. in Anto. *O me miserum consumptus enim lachrymis, infixus tamen pectori haret dolor* contra Rull. *O perturbatam rationem, ò libidinem refrenandam, ò consilia dissoluta, atq; perdita.*

Ethopæia est imitatio vitæ, ac morum alienorum, quando fingimus, quidnam alij dixerint, vel fecerint; vt est illud Eleazari Machabei apud Thesaurum, qui ab Antioco conabatur porcinas mandere carnes, sic ille senex amicos increpabat; à quibus rogabatur, vt ficto obsequio mortem fugeret, aiebat senex: *Quod suadetis amici, etiam hostes suadent: ego hoc ore leges violem, quo leges docui? absit: ne sim dignus Bruto apponi, quod mihi apponitur, moriar: quidni? necessarium vtrique malum minatur, annosus Tortor: soluendum semel hoc vita pensum, quod qui perendinat, morti fæneratur, non æstimat annorum meorum pondus, qui morte me leuiarem putat, nonaginta me illaqueant anni, hanc effugere, nec possum velle, nec velim posse, sine fruge hanc frontem arauit tempus, nisi laureolam metam; moriar Tyranni iugulatus ferro: non onerat nouitas meum casum; iam dudum in hoc sum initiatus: Sacerdos sum, mei muneris est sanguinem fundere, neque semper ferinum: quousque minoribus victimis operor? ignauus myster, si de alieno sanguine tantum pius; tot hostias feci, vt semel hostia fieri discerem.*

Neruosa est etiam illa Ethopæia apud Dicen, qua introducitur eloquentia increpans suos corruptores. Si me luctu, & squalore deformatam (parens optima) non agnoscis, saltem ex eo, inimicorum meorum crudelitatem agnosces, qui me venustissima specie virginem ad eam malorum acerbitatem redegerunt, vt ipsis parentibus penè videar ignota.

Ego illa sum (me miseram!) quid dico! non sum, sed fui, Regina terrarum eloquentia; haustus de tuo fonte riuulus, imago tuæ mentis, simulacrum gloriæ, portio diuinitatis. Ego illa sum, quæ

tuis

tuis imperijs, ex cælesti beatorum domicilio in terrā, veni, vt hominum subleuarem miserias, & non modò necessarijs ad salutem tuendam præsidijs instruerem, sed etiam cęlestibus ad conciliandam dignitatem, vestirem ornamentis. Feci, quod iusseras mortales inueni turpes, hispidos, longa macie torridos, qui sub quercu glandem ructabant, belluis omninò, quàm viris similiores, cępi ego veniam miserorum tenere, sensus intimos delibare, affari blandissima oratione, consolari, illustrare, hortari, animare; ad summum agrestia ingenia, ita dedolaui; vt ab hac morum barbarie paulatim ad elegantiora defluerent; agros excolerent, vrbes sepirent menibus, & sanctam inter se colerent societatem: Per me constitutæ sunt ciuitates, leges natæ, & adultæ, firmata militiæ præsidijs oppida, sexcentarumque artium, & scientiarum amænitate colustrata, penè ad ipsius cęli gloriam efflorueruut. Non tot prata floribus, non tot margaritis fulget Erythræum mare, non tot micantium stellarum ignibus tuus ille princeps orbium æther est vermiculatus, quot ciuitatibus viris, academijs, virtutibus, per me mundus colluxit, heu! vbi illa tempora, quibus ego curru aureo niueoque candore fulgentibus quadrigis inuecta triumphabam? vbi tot Reges, qui me mearum virtutum stupore perculsi admirabantur? vbi illa fęcunda summis ingenijs fęcula, quorum nomina nec appellare quidem audeo.

Exciderunt Demosthenes, Lysiæ, Hyperides, Cicerones mei, natum est hominum genus audax, amens, impudens, qui me deformarent plagis, & veluti in Cruce distorquerent; anni fermè mille sunt, & sexcenti, ex quibus quotidie distrahor, improborum fabula, & ludus: alij me sufflant, alij macie enecant, alij concidunt, alij eneruant, alij Hecubam faciunt, alij Helenam, alij vnam ex furijs. Dici non potest quot formas induo in omnibus tamen informis: iam (mihi credite) Protheus ille fabula non erit, siquidem poëtarum figmentis meæ fidem dederunt miseriæ. At quod in multis acerbitatibus acerbius est, virtutis nomen vitium occupauit, & quod antea turpitudinis erat, totum est gloriæ, vt ea lenocinante, ad facinus deprauatæ mentis cupiditas quemque prolectet. Postquam ventosa illa loquacitas iuuenum animos ad magna surgentes, veluti pestilenti quodam sydere afflauit, dulce fuit omnibus desipere; puduit etiam aliquos non insanire, & eo deuenerunt amentiæ, vt nescio cujus asini sordes

purpuras

purpuras esse suas dicerent. O tempora! ò mores! nunquam licebit vna, & nobili plaga defungi? quid opus est enim, vt viuam? an vt lugeam, & inter quotidianas vulturum lacerationes centies moriar, ne semel interream? tu me saltem in extremam barbariem relega, ne conscios habeam oculos calamitatis meæ. Graue est torqueri, sed grauius à suis in patria, & in eo ipso loco vbi antea cum honore vixeris, grauissimum. Me quidem dicentem vires, ac latera deficiunt, & aduersariorum non mediocriter conturbat audacia, qui hanc fori lucem, hunc grauissimorum iudicum consessum audent sustinere, nec impudentiæ suæ saltem pudentem exitum quærunt. Vos eorum latratus si lubet, audietis, ego nec audire, nec sustinere possum. Dido apud Virgilium lib.4. Aeneid. moriens sic patheticè per ethopeiã vltima extremæ vitæ profert;

Incubuitque toro, dixitque nouissima verba.
Dulces exuuiæ, dum fata, Deusque sinebant,
Accipite hanc animam, meque his exoluite curis.
Vixi, & quem dederat cursum Fortuna peregi,
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem præclaram statui; mea mænia vidi:
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix heù nimium felix: si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Execratio est qua malum alicui imprecamur, vt est illud Iob execrans diem natiuitatis suæ Iob 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum fuit conceptus est homo; dies illa vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper &c.* & illud apud Terentium, *percutiat te paries dealbate.*

Deprecatio fit, cùm opem alicuius imploramus, vt est illud Psal. *Exurge, quare obdormis Domine, exurge; & ne repellas in finem.*

Optatio est quæ voti alicuius, & desiderij præbet significationem, vt est illud Iob 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me; donec pertranseat furor tuus.*

Epiphonema est acclamatio quædam exhibita ad rem narratam, vel approbatam, vt est illud *Tantæ molis erat Romanam condere gentem;* quæ figura est veluti corolarium, vt aiunt, quod, quæ admirationem habent complectitur; vt est illud Cant. 7. post quam sponsæ pulchritudo descripta est, *Quam pulchra es; & quam decora charissima in delicijs.*

Prosopopeia est cum rebus mutis, ac inanimatis animam, & vocem tribuimus, easq; inducimus loquentes, vt est illud Prouerbiorum 8. *Sapientia clamitat,& prudentia dat vocem suam dicens: ò viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: intelligite paruuli astutiam:* vndè hac figura introducimus loquentia, quæ non loquuntur; mortuique ad loquendum excitantur. Sic est illustris illa lamentatio Romæ,sic inquit ipsa. Quousque hoc Maximiane patiar me quati, te quiescere? an quod D. Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta Imperij annos non licuit, tam citò licuit tibi? Ideò ne te mihi, ille, cuius tot aras, tot templa, tot nomina colo. Hercules dedit, vt tu in suburbano otiosus sedens vsum dicatæ mihi virtutis amitteres! redde te tabernaculis meis, & quoniam tranquillo mari portum intrare non properasti; vade per fluctus, mei quidam amore sollicitus, sed tua maiestate securus, & tamen per te tibi steterit, iniuriam in mei restitutione patieris; imperasti pridem rogatus à fratre, rursus impera iussus à matre.

Nec minorem habet elegantiam Prosopopæia plorantis Mantuæ, Germanorum vallatæ obsidione has dirumpentis fractis oculis in voces. Excipe sinuosis cælorum anfractibus echo ferales eiulatus meos, & me olim inuiolabilem labilem nunc fractis oculis lamentabili ore pronuncia, illa ego Mantua sum quondam celebris illibata: nunc cladibus vigens, euersa spiritu, laxata curis, deflorata, deplorata; compressi cordis effundo reliquias, & excidium sanguinolentum fractis oculis ingemisco, proh dolor! meum discurrit per sinum nudum ferrum, me violat, cruorem fundit, integras frangit leges, armatus dissipat, ac temerat omnia, sacra, prophana: Innocentiæ candorem virginei cruoris purpura maculat, collimata tela non ampliùs ab indignantis Iouis dextera, verùm ab eius ministra bicipiti rostro voraci meorum viscerum claustra nefandè lacerant, & manus meæ assuetæ sceptro nunc post terga torpent, collumque meum Alemanico iugo premitur, nec apum susurrus mollire, nec Galli cantus mouere, nec Leonis fremor, Aquilam terrere potuit, quin Germanica iuga transuolans, frigidasq; inter niues furoris succendens ignes meam volaret in perniciem, vnguilisque suis me raperet, at si lachrymis grauidata mea lumina, veluti nimio naufraga in pelago fatis lugere tantam nequeunt cladem, reuiuiscat saltem suis è cineribus poëta-

poëtarum phœnix vates meus, & qui olim vbertate ingenij inter Parnassi vireta iocantis, Eclogis inter pastores ridebat, ac grauiori fistula collapsæ Troiæ, canebat excidium, lugeat nunc heroico gemitu Troiæ recensioris stragem: Vlissem dederunt Alpes, Liguria Achillem, Forum Iulij Aiacem, Helenam ego ipsa, dum libertatem meam quotidiè in deteriùs declinare cadere, ruere, video.

Emphasis figura est, quæ rem magis exprimit, quam per se significet, & duæ sunt species huius figuræ, altera cùm ipsis ex verbis latens aliquid intelligitur, vt est illud Virg. lib. 2. Aeneid. *Demissum lapsi per funem*, ex quo quanta esset equi altitudo colligitur: vel illud aliud 3. Aeneid. de Cyclope, *Iacuitque per antrum immensum*, vbi proceram illam corporis magnitudinem è loci spatio intelligimus. Secunda species Emphasis posita est in voce, quæ aliquando omninò, vel supprimitur, vel etiam abscinditur vt Cic. pro Ligario, *Quod si in tanta fortuna bonitas intacta non esset, quam tu, per te inquam obtines; intelligo, quid loquar:* tacuit enim illud, *non deesse homines, qui Cæsarem ad crudelitatem impellerent.*

Sustentatio est, qua diù suspenduntur auditorum animi, nec clarè mens aperitur, & aliquid postea, vel grauius, vel in aspectatum subiungitur, vt cum dico; *Cui ex floribus assimilabo te lilio? sed candidior floret puritas tua: Rosæ? sed ardentius purpurascit charitas: violæ? sed pulchrius impallescit humilitas tua, omnibus igitur assimilabor te floribus.* Habetur etiam illud Iob: quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei, quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, ac plumbi lamina, vel celte scribantur in silice. Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; arguta est etiam illa sustentatio Martialis lib. 6. epig. 51.

Quòd conuiuaris sine me tam sæpè Luperce:
Inueni, noceam, qua ratione tibi,
Irascar, licèt vsque voces, mittasque rogesque,
Quid facies? inquis, quid faciam? veniam.

Prætermissio, seù Reticentia Græcè Apophosis dicitur, estque figura, in qua maximè dicimus ea, quæ nolle nos dicere fingimus, vt est illud D. Pauli Hæb. 1. qui post longam exemplorum inductionem

ctionem sequitur, *Et quid adhuc dicam? deficiet mihi tempus enarrandi de Gedeon, Barach, Sampson, Iephte, Dauid, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna.*

Concessio est figura, in qua aliquid concedimus, ac affirmamus, vt est illud Cic. 7. in Verrem, *Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum, vitiorumque omnium princeps, at est bonus Imperator*, aliquando fit per simplicem affirmationem, vt est illud Ezechiellis, qui post enarrata plurima flagitia, ac maxima, quasi nulla essent, vel exigua addit Ezechiel. 16. *Et accidis post omnem malitiam tuam (va va tibi, ait dominus Deus) & ędificasti tibi lupanar; & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.*

Parenthesis figura est, in qua breuiter deflectimus à proposito, vt est illud, *Videte iudices qualem (nolo enim grauiori appellatione vti) accusatorem in medium adduxerim.*

Aposiopesis figura est, in qua orationem nostram interrumpimus, vt affectum aliquem significemus, vt est illud Iunonis apud Virgilium.

Quos ego? sed motos praestat componere fluctus.

Reiectio est figura, quà multa dicimus, quæ postea reijcimus, vt Si tibi liberum esset domicilium eligere, quale velles habitare, an illa Scytharum Mapalia medijs in montibus, turpi luto, palleaq;, & frondibus temerè congestis dumtaxàt compacta, spinisq; horrentibus, ac dumetis inaccessa deligeres? at hæc tuguria prorsus reijce, & domicilia sint dissipatorum hominum sine lege, sine more viuentium: an cauernas saxis asperas arborumque corticibus opacatas, spinisque circumseptas? at hæc tuguria ferarum sint non hominum.

Desiderium est figura exprimens voluntatis inclinationem, vt. Vellem ego palatium magnificis operibus constructum, parietes eleganti marmore decoratos, commisuras cubiculorum ad oculorum delectationem filis aureis obductas, vellem aulam marmoreis syluescentem simulacris, aut Polycletis, aut Phydiæ, vel Praxitelis, quæ tantopere commendauit antiquitas, vellem parietes ornatos imaginibus Xeuxidis arte, Apellis ingenio, Thymantis industria, elaboratis; vellem pauimenta calcare Asarota figuris.

Antithesis multum habet venustatis, plurimumque grauitatis est enim figura, in qua verba verbis, vel sententiæ sententijs op-

positæ referuntur, inter quæ opposita magis elucescit eloquentia, sic per Antithesim Tertullianus Traianum Impe. pungit, qui edicto vetuerat in christianos inquiri, oblatos tamen puniri volebat, sic ille, *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos, vt innocentes, & mandat puniri vt nocentes; parcit, & saeuit; dissimulat, & animaduertit.*

D Hieronymus magnanimus ille Leo Bethlemitici antri habitator, sic floridè, ac amænè procliuem ad Gehēnam peccatorum viam, arduamque salutis iustorum per Antitheses commendabat epist. 14. ad Cela: Vide quanta sit inter has vias separatio, quantumque discrimen; illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illa celebratur, & teritur à multis, hæc vix inuenitur à paucis; Illa enim vitijs per consuetudinem quasi declinior, & mollior, & veluti quibusdam amæna floribus voluptatum facilè ad se rapit commeantium multitudinem: hæc verò insueto calle tristior, atq; horridior ab his tantum eligitur, quibus non tam declinatio itineris cordi est, quam vtilitas mansionis.

Valet etiam præsens figura ad iocum, ac facetias; vndè amænum est illud pauperis superbi, qui fictitias ostentabat gemmas, quas alij vocarunt, *Gemmarum grandinem*, ipsumque sic lingua vulnerarunt lepidè: *Hoc ipso fame peris, quod gemmis famem tegis, tam enim crebra gemmarum grando vineas tibi, ac segetes omnes decussit*; & alij vocantes fumum superbiam dixerunt, *Mirum sane est, quod cum domi tibi foculus non ardeat egrediaris tamen domo; sic fumosus? quid in tanta humilitate humilis esse nescis? at peccat superbiam, qui maximam appellat tuam, tugurio tota cum lateat breui: non esse maior hospes hospitio potest. Dicam tamen verū*

Pauper diuitias tibi fingis Zoile: Veram
Pauperiem faciunt hæ tibi diuitiæ;

Nec minorem festiuitatem loquendi per antitheses prebet Maria Magdalena, quæ amoris flamma æstuans lachrymis rigabat pedes Magistri. Credebam Aetnam vnicum iocantis naturæ prodigium cum vidi ibi colludentes cum flammis intactas niues: ast prodigiorum phœnicem Aetnam negant Magdalenæ oculi: si erumpunt in lachrymarum aquas; huius aquæ mater amoris est flamma; fateor naturæ prodigium in Aetna dum impunita cum niuibus iocantur incendia: verùm maius prodigium contemplandum porrigunt Magdalenæ oculi, ibi ignis aquam, aqua ignem parturit:

rit: quæ fuerat vitiorum horrida ſylua, vndiq́ue vitiorum oppleta monſtris; virtutum ſit viridarium, benè oculi erumpunt in lachrymas, fluere debebant hoc in viridario riuuli, quibus charitatis roſæ alerentur: aqua, & flamma; diſcordes olim riuales ſocordes modo contubernales in Magdalenæ oculis maritali vinculo perpetui fœderis colligatæ conuiuunt: nimia erat amaſiæ flamma, ac nimia lachrymarum pluuia; magiſtri plantas merſiſſet, ni flammæ vndas coercuiſſent, accendiſſet ignis niſi vnda temperaſſet incendium; ne mireris illachrymantem Magdalenam; iurè lachrymas dare incipit, quæ renaſcitur; antea vitio mortua erat, iam candida nubes propè Solem pluit fęcundatura cordis ſolum: quid ni? in iridem cito vertitur nubes non fictis, ſed veris condecorata coloribus: Iam rubrum charitatis, viridem ſpei, candorem ſinceritatis in ea videò: mirari volueram, ſi tales poſt pluuias ſubſequutura non erat nouæ vitæ tranquillitas, in qua grato ſpectaculo Iudegent cum flammis vndæ, at ò crudelis amoris barbariem è quæ oculos gemino ſupplicio ignis, & aquæ diſcrucias?

Oppoſitio etiam, quæ parum diſtat ab antitheſi multum habet amænitatis, ac leporis eſt igitur figura, quæ plura in vnum copulat oppoſita, vt eſt illud de Nerone apud Theſaurum. Neronis Claudij Cæſaris execrabilem Hiſtoriam calamo perſequar; par enim eſt calamis traijciatur, quos gladio acuit: hic inter priuatos *optimus*, inter principes *peſſimus*, ab accepto Imperio repentè puriſſimam virtutem pudenda labe maculauit; *depreſſit* illum fortuna dum *erexit*, regno planè dignum, niſi regnaſſet: ſuauiſſimis antea moribus, ad omnem poſtmodum crudelitatem concaluit, vt corallium induruit dum purpura rubuit; ante *victor*, ac *triumphalis*; tùm *marcidus*, & *ſolutus* ingentem gloriam bellorum otio confecit: itaq́ue dum laurum *acquiſiuit* Regiam, palmam *amiſit* popularem; quin etiam perſpicaciſſimi, ac prouidi vir ingenij ſub honoribus Imperij obſtupidus iacuit, & inſanus Regiam vittam meruit, vt malè ſanum caput alligaret: quod iniecto diademate fortuna fregit: ſola in amplificandis ædibus, ac pomarijs occupata maieſtas eſt, itaq́ue domum *auguſtam* fecit, *anguſtam* vrbem: at ò Cęſareę familiæ infelix pudor? exigua, ſcilicet clade cruentum gladium exſaturauerat; niſi eundem maternis in viſceribus mergeret: Vipera erat matris vterum rupit, nec ſatisfactus ſanguine egregiam vrbem patriam, orbis terrarum caput ingeſtis

 flammis

flammis *adoleuit*, vt *aboleret*. Decorè nimirum matri parentaturus pro rogo patriam subiecit; at ecce tantorum scelerum cursus, quò tandem erupit, suo se ferro occidit, hoc vno iustus, quod iniustas cædes è suo soluit.

Per opposita, arguté potest describi Phœnicis mors. E *morte immortalem* nasci Phœnicem audi, ex libithinæ *vmbris* ad *lucis* prodire vsuram; auis licèt *Virgo* tamen est *fœcundissima*, quia sui *genitrix*, & *soboles*, *altrix*, & *alumna*; hæc *vitalis interitus*, lætissimique lethi cupiditate capta; delicias è funere, *cunabula* è *sepulchro* exhaurit; vbi rediuiui cadaueris sui *Præfica*, & *Pronuba*; odoratum *thalamum* in *tumulo*, iucundis myrrhæ lachrymis perfusum parat: tum *funereas* à *viuaci* Sole mutuata faces, alarum flabro diuentilans; se *parit* dum *perit*; simul *fœta*, & *adulta*: *Prisca* & *recens*, *extremam* sibi diem celebrat, & *natalem*, *epinicia* sibi canit, & *epicædia*; eadem sibi *Clotho*, & *Atropos* æternum vitæ stamen *incidendo redorditur*, e *frigidæ* mortis cineribus vitæ *calorem* extrahens, *morte immortalitatem* sibi comparat.

Festiuè etiam per intexta opposita exponitur gestum illud Callimaci militis Atheniensis, qui Maratonia in pugna strenue dimicans tandem occisus fuit, at quod est preter naturam mortuus non cecidit, sed sic stetit, ac si adhuc viueret, introducitur Callimaci Pater in hæc verba erumpens. Factum retroactis sæculis insolens attendite Athenienses, Ferrum non *perdidit* filium meum, sed *peperit* immortalitati; ideò *viuet*, quia taliter *est mortuus*: miramini inconcussam fortitudinem, quæ mortis ictu percussa cadere non potuit; pugnando sic stetit, vt dubitem, an *moriendo vicerit*, an *vincendo sit mortuus* Libithina certè non interrupit victoriam; sed continuauit. Bis vicit semel Xersem, iterum naturam, Mors ipsa *iactura* non fuit, sed *triumphus*, & *atræ cupressus* in *hilares palmas* abierunt; *mortuus est*, & simul *stetit*, quod potuit mori, culpa est naturæ; quod non cecidit laus est illius fortitudinis: primus est, qui naturæ *cessit*, & de natura *triumphauit* mortuus enim non cessit naturæ, quia non cecidit; triumphauit, quia stetit, primus est, qui *mortuus* non *iacuit*. Primus, qui virtutis documenta post obitum dedit: quo honòre dignus vobis Athenienses videtur? quo præmio? Nam si *fortiter cadere* in bello laus est: ille, & fortiter fecit, & non *cecidit*. Inuictæ fortitudini erigenda erat statua, atqui si hæc dicitur à stando, sic post mortem stetit,

vt

vt alia statua non esset opus in fortitudinis simulacrum, quæritis an mortem timuerit? illa adueniente, nec etiam se mouit, sed post *obitum idem*, & *alius*, *casus* non *cessit*, quia non cecidit: non amplius Herculeas super columnas exaretur, *Non plus vltra*, magnanimitatis, sed hanc super fortitudinis statuam. Vtinam loqui post mortem Callimache posses, sicut potuisti vincere? responderes tali pacto. Pro sepulcro Athenienses, memoriam mei mando. Pudet iacere inter reliquos, quorum multi ante mortem, omnes in morte ceciderunt: nemo post mortem stetit. Abstine manum quicunque es, ne crudelior sis ipso hoste, qui occidere potuit, non potuit mouere. Nemo mihi statuam erigat sufficit: mihi hoc cadauer.

EXPENSIO DVODECIMA.

De Periodo, & primò de nomine, ac definitione Periodi.

OPere pretium duxi post expensas figuras de vsu periodi discentem monere; periodus enim maximum est elocutionis ornamentum, & definitur à Cornificio, *Densa, & continens frequentatio verborum, cum absolutione sententiarum*. Primus periodorum inuentor fuit Trasimacus, qui pensilem, ac lenem construens orationem amæniùs, ac gratius, auditorum animos alliciebat, ac varia diuidere in verba incępit orationem, quæ prolixa oratio ab Aristotele comparatur cum Dithyramborum anabolis, hoc est cum prolixis sermonum excursionibus, periodos verò cum strophis, ac Antistrophis lyricorum Pindari æquiparat, hæ periodi dicuntur etiam ab Aristotele supinæ, ait enim Reth. cap. 9. *Periodum supinam appello, quæ vno membro constat*, & hæc membra dicebantur etiam periodi incisæ, quæ per admixtas respirationes, ac morulas distinguebantur ab alijs. Concisæ periodi reflorere postea magis cœpere temporibus Ciceronis, quas Romanæ eloquentiæ princeps sic commendat; *Iucundior est periodus, si est articulis, membrisque distincta; quam si continuata, & producta: quia suas respirationes habet: & mens respirat cum oratione: deindè magis dilucida est, quia faciliùs memoriæ mandatur*.

Has periodos Augustus vocauit Cincinnos Męcenatis, & Aristoteles nuncupauit concinnitates; quippe qui de Leontino Gorgia

gia dixit, cuius in oratione numerum plerumque efficit ipsa concinnitas: secùs de stylo Eschili, ait; in ijs erat admirabilis cursus orationis, & ornata orationis concinnitas non erat, vndè clarè patet Aristotelèm diuidere periodum in rotundam, & concisam.

Periodus igitur, quæ vt patet, debet esse structura orationis sensum prolixum in plura rescindens membra ad orationis spiritum, ac vocem accommodata, alia est rotunda, quasi torno facta vt loquitur Plutarcus de auditione, quæ verborum redundantia, vel vt flumen defluit ab ore, ac grauitèr murmurat ad mulcendas aures: alia est concisa, quæ paucis comprehenditur verbis, ac laconismo magis gaudet, ac plures habet respirationes, quibus mens cum oratore respirat, vt est hæc periodus, *Dum laurum acquisiuit Regiam—Palmam amisit popularem:* vel hæc alia Ciceronis: *Vt vel in negotio sine periculo—vel in otio cum dignitate esse possent;* aliæ periodi nomen trahunt etiam à figuris, quibus exhornantur; alia enim periodus dicitur increpatoria à figura increpationis, alia sententiosa à sententijs.

Necessariæ sunt periodi Reginæ Eloquentiæ, quas si ex omni parte sustuleris, Rhetoricam peditem, humilem, & abiectam facies; cauendum tamen est, ne iustæ periodi explendæ gratia, inania quædam verba inculcemus, ac futiles verborum circuitus in complendis numeris adhibeamus; nihil enim frigidius audiri potest, & à vera germanaque eloquentia magis alienum, hæc enim periodorum verba sunt potiùs verbera, quibus flagellantur auditorum aures, & licèt grandes illæ verborum circumscriptiones probari aliquando possint; tamen periodi contractiores plurimum habent venustatis, vt probant Halicarnassensis, & Aeschines Rhetores.

Præterea aduertendum est orationem aliam esse vinctam, aliam solutam. Vincta propriè dicitur, quæ periodis decurrit, soluta est, quæ licèt suos pedes, ac numeros habeat, non est tamen hisce verborum circulis certa lege recurrentibus illigata, hæcque orationum species plurimum habet aucupij, ac pluribus veneribus abundat.

EXPEN-

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De Pedibus, ac Partibus Periodi.

PEriodi, vt melius currant plures debent habere pedes, ac assimilari Lyricorum strophis. Pes autem definitur, *Est certa quædam, & apta syllabarum comprehensio*; vndè sicut pedes constant ex pluribus syllabis, ità carmina, ac periodi ex pluribus pedibus: vndè versus potest etiam definiri, quod sit *Plurium pedum legitima quædam constitutio*: dicitur etiam à *vertendo*, quasi pluries debeat verti vsque dum componatur secundum propriam suam legem, sicut etiam dicitur carmen à *canendo*, vt metrum à *mensura*, quia constat ex mensuris assignatis. Recensiores plures adinuenere voces vsurpatas à Græcis; sic *Myurus* significat versum claudicantem in fine. *Acephalus* versum claudicantem in principio, *Lagarus* connotat versum in medio claudicantem; quia in Lyricis non omnes strophæ componuntur in vnica carminum specie, sed in eadem stropha plures inueniuntur carminum species, hinc est, quod strophæ pro diuersitate carminum diuersa etiam sibi vsurpent nomina; sic *Dicolos* significat stropham textam ex duplici carminum specie, vt ex Asclepiadeo, & Gliconico, vel ex saphico, & Adonico: *Tricolos* significat stropham compositam ex triplici carminum specie, vt etiam *Tetracolos* ex quatuor, & *Monocolos*, significat compositionem, quæ constet ex vnica specie carminum, vt sunt versus Heroici, ac poëmata Virgiliana. *Distrophos* est illa stropha, quæ constat ex duplici carmine diuersæ speciei, vt est illa Horatij ode, *Sic te diua potens Cypri* &c. & vocatur *Dicolos Distrophos*, quia constat ex *Gliconico*, & *Coriambico*. *Titrophos* constat ex triplici versuum specie, *Tetastrophos* ex quatuor, *Pentastrophos* ex quinque, vndè à diuersitate, vel numero carminum habentur hæc nomina. Sic Epigramma potest constare ex vnico carmine, sed summe perfecto, & dicitur *Monostichon*; & si constat ex duobus dicitur *Distichon*, si ex quatuor *Tetrastichon*, si ex sex, *Sexestichon*, si ex octo, *Octodestichon*, si ex decem, *Decastichon*, si ex duodecim, *Dodecastichon*, si ex quatuordecim, *Decatesschaschon*; carmen etiam Hexametrum sumpsit hoc nomen à numero pedum, ex quibus constat, vt etiam Pentametrum, quia *Hex* Græcè idem est, ac sex,

&

& *Pentas* quinque, quia illud constat ex sex pedibus, hoc ex quinque.

Sicut Lyricorũ pedes multi sunt: ità orationis pedes plures esse asserit Dionysius Alicarnassensis Rhetor præstantissimus: Primus est *Spondeus*, constans ex duabus syllabis longis, dicitur etiam in motu leuis, & piger, vnde ab alijs vocatus etiam fuit *Lentipes*, *Deliacus*, *Gradiuus*: secundus est *Pyrrhichius*, & constat ex duabus breuibus, diciturque à choreis, quia Pyrrhiches apud Lacedemones erat quædam species choreæ, ac saltationum, hic pes est tenuis, & penè demissus: tertius, dicitur *Trochæus* à celeritate rotæ, & per similitudinem fuit etiam dictus *Rotulus*, ac *Choreus*, & hic pes mollior esse solet, ac humilior; vtpotè ex vna longa, & altera breui: quartus est *Iambus*, dictus etiam *Cursor*, *Prapes*, & *Volucripes*, trahit nomen à volubilitate, vel vt alij volunt ab inuentore, & hic pes constat ex vna breui, & altera longa; nec est omninò ignauus, sed aptus sermoni: quintus est *Dactilus*, & est optimus aptusque rebus amplificandis, vtpotè incipiens ab vna longa, ac desinens in duas breues: sextus est *Anapastus*, constans ex duabus breuibus, & vna longa, dictus etiam *Dactilus retroactus*, seù repercutiens Dactylus iuxtà Analogiam græcam, hicque pes est grauis aptusque ad seria, ac affectus exprimendum: septimus est *Tribrachus*, desumit nomen à breuitate temporis, & constat ex tribus breuibus nihilq; habet venustatis: octauus est *Molossus*, à longitudine temporis sic dictus; & constat ex tribus longis, & hi pedes sunt magis vsitati; cæterùm si vellem omnes pedes recensere nimis prolixus essem, quia iuxtà mentem aliquorum excedunt numerum centesimum vigesimum quartum; sed procùl hinc incomposita, ac confusa hęc turba, solùm superaddam quosdam alios, qui cum Lyricis simul ambulant, *Coriambus*, constat ex prima, & vltima syllaba longa, & ex duabus medijs breuibus, *Proceleusmaticus* verò ex quatuor breuibus *Amphibracus* ex duabus breuibus, & media longa: *Bacchius* ex duabus longis, & vltima breui, *Hyperbacchius* ex prima breui, & duabus longis. *Dochimus* constat ex quinque syllabis, quarum prima est breuis, aliæ duæ longę, penultima breuis, vltima longa. *Dichoreus* constat ex duobus *trocheis*, scilicet ex quatuor longis, & est aptissimus ad claudendam periodum, *Pęon* primùs constat ex prima longa, & tribus breuibus: *Pæon* secundùs ex tribus breuibus, & vltima longa:

longa: *Pæon* tertius, ex prima, & ſecunda breui, ex tertia longa, & quarta breui: *Pæon* quartus ex tribus breuibus, & vltima longa. *Ionius minor* ex duabus breuibus, & duabus longis. *Ionius maior*, ex duabus longis, & duabus breuibus, & hi ſunt pedes, quibus currere ſolent orationes.

Quæres quomodo iſti pedes ſint in periodo collocandi, reſpondeo, multum diſcrepare inter ſe oratores, ſed ne in hac labyrinthi perplexitate infructuoſus videar ludere, ex Tulliana obſeruatione dico; periodos eſſe conficiendas ad modum tabulæ metricę; in principio, & medio orator non debet ſic rigoroſè commenſurare pedes, ſed moderatè, cæterum ſi putidiùs diſcutiantur, ſermonis nitor, ac elegantia non mediocriter artis infelicitate corrumpitur; tota diligentia ſolùm debet adhiberi in fine periodi, vbi debet deſinere cum aliqua prolixa voce, in fine igitur, vt cum amænitate claudatur, poterit periodus hiſce pedibus claudi, *Cretico*, & *Dichoræo*, vt facit Cic. cum exercitu, & *victoria conſeratis*, vel choreo, & moloſſo, vt *maximè liberaret*, vel cretico, & dactylo, vt *montibus conſonet*.

Pro complemento huius expenſionis dico, periodi partes eſſe duas, altera vocatur *membrum*, altera dicitur *comma*, ſeù intercisio: *membrum* eſt oratio perfecti ſenſus, ſed ſuſpenſi, quo nõdum totá orationis ſententia percipitur; exemplum ſumatur ex Tullio, *Ante quam Patres conſcripti dicam ea, quæ hoc tempore dicenda arbitror*, vbi vides ſenſum ſuſpenſum, iam ſume reliquam partem, & confice periodum: *Exponam vobis breuiter conſilium profectionis, & euerſionis meæ*.

Comma, ſeù intercisio eſt, cùm vocabula ſingula interpunctionibus diſtinguuntur, oratione, quaſi cæſa in partes minutiores exemplum ſit ex Tullio, *Acrimonia, voce, vultu, aduerſarios perterruiſti*.

EXPENSIO DECIMA QVARTA.

De Aequalitate, Antithesi, ac Paromiosi Periodorum.

AD concinnitatem periodi plurimum prodeſt æqualitas dicta ab Ariſtotile 3. Rhet. cap. 9. *inoaolon*, & eſt cùm æqualia

 mem-

membra sunt, & partes dicunt quandam affinitatem, ac similitudinem in numero, talis est illa Isocratis Periodus, quæ citatur ab Aristotele: *Sæpè numero eos miratus sum, qui festos dies celebrarunt ---- & Agones cymnicos instituerunt ----* vel hæc alia Senecæ loquentis de Socrate coacto ab Atheniensibus ad bibendum Cicutam post plura beneficia collata Reip. *Hunc, qui Remp. liberam fecit ---- Resp. captiuum occidit ---- & qui se inermem armatis obtulit ---- hunc liberum libertas non tulit:* vel hæc alia periodus Ciceronis, *Vt vel in negotio sine periculo ---- vel in otio cum dignitate esse posset;* in quibus periodis vides vnum membrum commensurari ab alio, hæc commensuratio aliquando fit simplicibus verbis, vt est illud Plauti. *Magnus, Crispus, Crassus, Cassius*, aliquando associatione verborum, vt est illa Satyrica Periodus Plinij, qua sic pungit Domitianum: *Superbia in fronte: Ira in oculis; Pallor in corpore; in ore impudentia.* Vel illud decantatum Pharmacum ad curandam pestem, *citò fuge: longè vade: tardè redi:* etiam in responsionibus aliquando seruatur æqualitas verborum; talis fuit illa Agesilai ad illũ Medicum, qui se Iouem ostentabat, scripserat enim Epistolam, cui titulus erat, *Menecrates Iuppiter, Agesilao Regi salutem.* Retorsit Agesilaus. *Agesilaus Rex Menecrati Ioui sanitatem:* hoc est mentis.

Antithesis, quę à latinis contropositio dicitur definitur ab Aris. 3. Rhet. cap. 9. *Antithesis est cum in vtroque membro contrarium est alteri contrario constitutum, vel idem ex contrarijs constat;* vndè *Antithesis* in oppositionibus magis enitescunt, & habent sua acumina, tale est illud gnoma super palmam alligatam, *inclinata resurgo*, tale est, quod de Vrbe Romæ dixit Sabellius; Enim verò populus ille, qui bellando innumeras vicit gentes ab innumeris est demum gentibus victus: nec de vlla mundi parte triumphauit, cui non triumphandi materia responderet, vt difficilè sit iudicare, fuerit ne illi in prosperis indulgentior mater fortuna, an crudelior nouerca in aduersis: amenum est etiam ad rem nostram illud Parallelum Veneris cum Cupidine,

Improbus ille puer; crudelis tu quoque mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille!
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater,

Hinc habetur etiam illud Fedræ apud Senecam: *morere; si casta es; viro: si incesta amori.*

Paromiosi est cum extremæ partes vtriusque membri similes sunt: hæc similitudo sita est in quadam consonantia, ac conuenientia finis cum principiò, quæ consonantia resultat ex similitudine verborum, vel in syllabis, numeris, vel in significatione, vt est illud Cæsaris *veni, vidi, vici*, vel illud lemma super phrenoschema Ludouici Franciæ Regis; qui pinxerat Istricem *eminus, & cominus*, vel hæc alia Scômata, *Sustine, & Abstine. Labore, & constantia. Dum spiro spero*; & illud lemma super pictum fontem in altum prosilientem, *ascendo, quia descendo* ad indicandum, quod mediante humilitate ascendimus ad perfectionem: tale est etiam illud super quosdam milites, qui assueti aratro, nesciebant arma tractare, *Arvis, quàm armis aptiores* habetur etiam illud disticon super Christum, qui mors mortis dicitur;

Mors mortis, morti mortem, nisi morte dedisset,
Cælorum nobis Ianua clausa foret.

In hoc genere nec minorem festiuitatem habent sequentes ludi *Non viuit, sed bibit*, vel hoc lemma super phrenoschema patientiæ in rebus aduersis; *dum flagrat fragat*, hoc est Thus, & illud dictum morale, *Nullum est discrimen, nisi vbi crimen*.

EXPENSIO DECIMAQVINTA.

De Vsu, & Artificio Implendæ Periodi.

OPere pretium est monere Tyronem, quod non semper est necesse orationem certis restringere numeris hoc enim persæpè, & orationem eneruat, & nauseam prouocat, præsertim non est exquirendus numerus periodorum in amplificationibus patheticis, sed solùm numerosa oratio adhibenda est prout naturalis exigit affectus: in orationibus panegyricis, vbi amplificatio plus habet leporis, ac dignitatis sunt admittendi isti numeri: quando verò oratio est acris, ac incitata, tunc orator periodis poterit vti incisis, ac breuibus, in narrationibus verò possumus vti prolixioribus periodis.

Artificium amplificandæ Periodi pluribus modis fieri potest per definitionem, enumerationem partium, per interpretationem, per congeriem, per adiuncta, per Auxexem. Per definitionem amplificatur periodus, quando definimus rem, quam per-

tractamus,vt si diceres,*Vidi Templum detractione murmurantium violari.* A methaphoris conglobatis,sic possum definire templum periodumque amplificare. *Vidi heù horrendum facinus! vidi inquam, sed non siccis oculis domum Dei, Solium Diuinæ Maiestatis, thronum diuinitatis, tabernaculum sanctitatis, aulam cælitum, locum orationis, theatrum diuini misterij, vbi spectatores adsunt ipsi Angelorum Chori, viridarium virtutum, portum salutis prosterni, conculcari, à detractoribus.*

A partium enumeratione festiuè etiam, ac argutè impleri potest periodus. Tu dicis, *In nece Christi Domini natura tristata est:* sic amplifico tuam periodum enumerando partes naturæ. *Immanissimum Christi Reparatoris supplicium funebri veluti pompa, atque apparatu prosequuntur omnia: mærent elementa, dum suis penè sedibus conuulsa, authoris sui obitum proprio ipsorum interitu præcurrere quodammodo nituntur. Tristatur terra quæ crebris, ac profundis concussionibus labefactata tanti criminis immanitatē adeò non substinet, vt ipsa saxorum firmitas confracta soliditate rumpatur; lugent acerbum funus ipsa cæli lumina, quæ tenebris, & squalore obsita Iudæorum facinus cecæ noctis caligine inuoluunt: affli-ctantur etiam ipsis sepulchris inclusi Sanctorum cineres, qui ne sine doloris, ac commiserationis sensu essent, sensum, ac motum, atque adeò vitam auidè repetunt, vt vita auctoris mortem appetentis illachrimari queant epicedrium.*

Per Interpretationem fit,cùm quod vno verbo semel est dictū, idem alijs verbis eiusdem significationis repetitur, vt *An verò Iudices vos soli, ignoratis,* hoc alitèr sic potest dici, *Vos hospites in hac Vrbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neq; in hoc peruagato sermone ciuitatis versantur.*

Per Auxexem fit, cùm multa vocabula, quæ idem significant simùl congeruntur, quæ licet non faciant ad interpretationem, plurimum tamen valent ad amplificandam periodum, vt quando dicitur, *Abijt, excessit, erupit, euasit.* Per adiuncta tandem impletur Periodus, quando enumerantur adiuncta contenta in illo versiculo;

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

EXPEN-

EXPENSIO DECIMASEXTA.

De Noua Arte Inueniendi Venustissima, ac elegantia verba, ac Epitheta pro Periodorum Amplificatione, seù Concinnitate.

QVia ad Orationis perfectionem, ac concinnitatem satis non est periodum amplificare, nisi eadem periodus venusta etiam perpoliatur concinnitate, ideò post protrahendæ periodi rationem, causam venustandæ periodi debemus rimari, quæ in verborum delectu est sita; alij Rhetores hanc periodi concinnitatem collocarunt in vocabulis superlatiuis, eo quod superlatiuus gradus sonum habeat grauiorem, quam positiuus, & nomina verbalia, quam non deriuata; composita, quam simplicia.

Ego verò aliam concinnitatis aurifodinam tibi indico defodiendam; totam venustatem periodi, volo colloces in Epithetis, ac verborum elegantia. Epitheton igitur, vt ait Phauorinus in Lexico, *Est nomen proprijs appellationibus additum laudem, aut dedecus significans*, à Quintiliano dicitur *Appositum*, ab alijs vocatur *adiectiuum*, eo quod substantiuo apponatur; eius vsus triplex est discretionis, proprietatis, & ornatus, primus est necessitatis; vt si dicerem *Bosphorum Thracium, aut Cimmerium*, quia sic distinctionem locorum facio: secundus vsus est in natura rei, vt cum dicimus, *Deum Optimum Maximum*, vel Mariam dicimus *Virginem*; vndè ait Epiphanius, *Quis enim, aut quo sæculo ausus est, quispiam proferre nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem?* tertius vsus est ad ornatum orationis; nam si quis dicat, *Bruti prudentia Tarquinium expulit*, latinè, & eleganter, & amene videretur dixisse, sed elegantius diceretur, si adderentur aliqua Epitheta, & diceretur, *Industriosa Iunij Bruti prudentia, superbissimum, atque crudelissimum Regem Tarquinium ab Vrbe Romana dominio Regio expulit*.

Curiosissimus verò fons exhauriendi epitheta sunt decem Aristotelis prædicamenta, quorum vnumquodque amplissimam epithetorum messem suggerit, à prædicamento Substantiæ erit sumenda vna substantia, & iungenda cum alia, cum qua dicat similitudinem, vt v. c. *lachrymæ*, dicunt similitudinem cum *rore*, iam sume substantiam *roris*, & nomen substãtiuum verte in adiectiuũ,

& iam

& iam dices ROSCIDAS *lacbrymas:* Hoc debes aduertere, quod nomen substantiuum alicuius substantiæ, debes vertere in adiectiuum, vt adijciat alteri substantiæ, sic *lacbrymæ* dicunt similitudinem cum *margaritis*, seù *vnionibus*, seù *gemmis* in substantia, hoc substantiuum *gemma* verte in adiectiuum *Gemmeus, a, um*, & dic GEMMEAS *lacbrymas*: sic Poëtæ vocant *Thura Sabeas* LACHRYMAS, & *lapides* dicuntur *Dura* OSSA Terræ.

Sic à Quantitate dicis VASTVM *ingenium*, ALTVM *animum*, PROLIXVM *Oratorem*, vel BREVEM *spem*, *hominem* QVADRATVM; A Qualitate sumitur vna qualitas pro alia, quæ tamen inuicem dicant similitudinem, à qualitate apud Virg. habetur CANA *fides*, apud Horatium CANDIDE *Iudex*, apud Quintilianum CANDIDVS *sermo*, è conuerso dicuntur NIGRI *mores*, FOEDVS *animus*, INQVINATA *fama*, à sensu odoratus in prædicamento qualitatis dicitur etiam FRAGRANS *virtus*, FÆTIDVM *vitium*. A gustu ACERBVS *casus*, AMARA *recordatio*, *sermo* INSVLSVS. A tactu TRACTABILE *ingenium*, PALPABILIS *error*: ab hyeme FRIGIDA *oratio*, ALGENS *virtus*, TEPENS *amor*; A siccitate ARIDA *spes*, EXANGVIS *oratio*; ab humiditate HVMIDA *regna*, MADENTES *musarum pennæ*: à mollitie TENERA *ætas*: à duritie ADAMANTINVM, SAXEVM *pectus*, SOLIDA *ratio*. A Relatione *somnus*, à Seneca dicitur FRATER *languidæ mortis*, & à Virgilio, CONSANGVINEVS *Lethi sopor*, & Silius Italus vocat Plutonem *Tartareum* IOVEM, eo quia sit frater Iouis. A prædicamento Actionis dicitur OBSTREPENS *conscientia*. A Passione CASTIGATI *mores*. A Situ dicuntur SVPINI *colles*, PRONVS *campus*, PROCVMBENTES *arbores*, & Horatius *Leuia personuere saxa* CVBANTIS *vstice*, qui est collis in Sabinia, sic dicuntur *Horti* PENSILES *Semiramidis*, Stellæ PENSILES. A motu, & primo naturali dicuntur VERNANTES, PVLLVLANTES, GLISCENTES, GEMMANTES, ERVMPENTES *flores*. A motu progressiuo NATANTES *pisces*, VOLITANTES *aues*, & Ouidius dixit *fauillas* VOLITANTES super tecta, sic dicuntur FLVXÆ *opes*, *& gazæ*, FLVENTES super colla comæ, VNDANTIA vexilla Martis in area, à tempore dicuntur INFANTVLI *flores*, DECREPITA *quercus*, & apud Virg. LACTENTIA *frumenta*, dicitur etiam SENESCENS *annus*, ADVESPERASCENS *ætas*.

Ab

Ab habitu dicuntur CLAMYDATI *victores*, VESTITI *vineis campi*, & Plinius etiam dixit, VESTITAM *floribus terram*, dicuntur etiam SPOLIATÆ *frondibus arbores; ingenium* NVDVM *scientijs*, *oratio varijs* VESTITA *argutijs*.

Quamobrem si tu sumis in quocunque prædicamento vnam speciem pro alia fecundissima tibi patebit aurifodina, ex qua elegantissima exhauries epitheta; quomodo autem in quocunque prædicamento sumatur vna species pro alia; dicam diffusius in sequenti libro pro nunc sufficiat tibi, quod pro vnico subiecto plura, ac venustissima potes inuenire epitheta, si cum eodem subiecto omnia prædicamenta percurris, vt vis inuenire epitheta pro lachrymis, à Substantia, quia conueniunt cum vnionibus, & Roribus potes dicere, GEMMEAS ROSCIDAS *lachrymas*. A quantitate GRAVES, LÆVES, RARAS *lachrymas*, à qualitate CANDIDAS, ILLVSTRES, PERSPICVAS, NOBILES, CLARAS, FLVXAS, ARIDAS, GELIDAS *lachrymas*, à relatione *doloris* FILIAS, GENITRICES *puritatis*, SOCIAS *pœnitentiæ*, AMICAS *virtutis*, SIMILES *gemmis*: Ab actione, & passione *sordes animæ* TERGENTES, ENECANTES *peccatum*, MERGENTES *crimina*, *oculos* FACIENTES *in pluuias* ERVMPERE. A loco, & situ *pretiosæ* OCVLORVM *gemmæ*, PVPILLARVM *fluxum argentum*; à motu PROFLVENTES, DECVRRENTES, EMANANTES, ERVMPENTES *lachrymas*: à tempore NOCTVRNAS, DIVRNAS, DIVTVRNAS, VERNANTES, HYEMANTES *lachrymas*; ab habitu GESTATRICES *gratiæ*, ORNATAS *virtutibus*. Sicut feci de lachymis, potes & tu facere, de quocunque alio subiecto; sicut etiam de verbis.

Verba significant operari, ideò elegantiam, ac concinnitatem verborum præcipuè haurire potes à prædicamento actionis, & passionis, & motus, ponendo vnam speciem pro alia, sic à motu progressiuo serpentum dicitur IRREPSIT *semper per hominum mentes error*, ab actione natiuitatis dicitur etiam NASCITVR *discordia*; NASCITVR *mihi hæc occasio*, à floribus *Multæ* VERNANT *amænitates in oratione nostra*, FLORET *adolescentia*, PVLLVLANT *magis vitia*, GEMMANT *vites*, FLORET *Religio*. Ab auibus VOLITANT *naues*, *sagittæ*, *cursores*, & Horatius dixit de vento *Caruleis* EQVITARE *campis*, vides quomodo

modo ponatur vna actio pro alia, dicendo de naui motum proprium auium, scilicet VOLITARE *per æquora naues*.

Ab omnibus officinis potes etiam haurire verba venusta, ac elegantia pro concinnitate periodorum: sic à negotijs ciuilibus dicimus ABDICARE *à se delicias*. NECTERE *commercia cum Cælo. Ingenti pretio fumum* VENDERE, *hoc est dignitatem. Vita mortalibus* COMMODATVR *non* DATVR. A Medicina: *Cura somno* VORANTVR. *Amicitiæ vulnera vix* CICATRICANT. *Epistolarum fomentis animi sensim* CONVALESCVNT. Ab Arte militari, INDICERE *bellum voluptatibus. In Palladis area argumentorum iacula* SAVCIANT, *hostemq; vincunt. Aureis machinis* ARIETATVR *constantia. Fraudum cuniculis* EXPVGNATVR *iustitia. Alieno in gemitu* TRIVMPHAT *inuidia*. Ab arte nautica, *Momento felicitatis* MALACIA *tempestate aduersantis fortuna mutatur; inter factiones ciuiles* FLVITAT *Reip. Nauis. Huius hominis fortuna ad* ANCORAM *stat*. Ab Architectura, *Firma non est fortuna, nec* ADAMANTINA, *sed* VITREA, *quæ facilè frangitur:* LABENTEM *domum coniugio* RESTAVRARE. Ab arte fabrili, DOLARE *orationem. Ad tadium idem* PROCVDERE. *Ad* AMVSSIM *rationis* DIRIGERE *sensuum motus, dissidentes animos* AGLVTINARE. AFFABRE *orationem conficere*. Ab arte textoria, RVPTVM *negotium* REDORDIRI. *Orationem argutam* TEXERE. PHRYGIARE *figuris, Vitia vitijs* INGLOMERARE. A pictura, *Methaphoris sermonem* ADVMBRARE. *Fluido sermone mendacium* COLORARE. *Vltimam* MANVM *imponere negotio. Ver terram* PINGIT. *Sol Iridem* COLORAT. Ab Arithmetica, *Sua crimina ad* CALCVLOS *redigere*, AVARA *mors dum annos* SVPPVTAT, *somnum imputat*. A Musica, *Oratio sic dulciter* ACCINIT, *vt aures* MVLCEAT. *Virtutum* CONSONANTIA GRATISSIMVM SONVM *componit*. Ab Aucupijs, *in hostium* CASSES *incidere. Aureis retibus* EXPISCARI *beneficia. Præstantes vultus insidias* TENDVNT. Ab Agricultura, DISSEMINARE *errores. Tempus rugis* ARAT *frontem. Sunt* AMPVTANDÆ *passiones animi, nec cupiditatum* GRÆGES *debemus* ALERE *deliciarum viretis*.

Demùm si vis elegantias texere, ac festiuè explicare aliquod verbum

verbum perscrutandæ diligenter sunt omnes actiones, quæ fiunt ab Artificibus, & sunt in rerum natura, sumendo vnam actionem pro alia; do exemplum ponatur hæc propositio, *Volo componere eleganter orationem*, sic eam muto. *Taliter est* EXCOLENDA *oratio, donec inter argutiarum flores innocenter* LASCIVIAT. *Sic est* CONCINNANDA *oratio, vt Attica melos* LOQVATVR. *Varijs est* ORDANDA *cincinnis, ac calamistris compositio. Phalerata debet* INCEDERE *oratio.* PROSCRIBENDVM *est ab oratione quidquid elegantiam non sapit.* NECTENDA *est oratio vario argutiarum genere. Oratio varijs argumentorum telis debet hostem* CONFODERE. CONDIENDA *est sale argutiarum oratio, vt nihil insulsum habeat. Inter Parnassi vireta* IOCATVR *amænè oratio. Sermonis redundantia, ac argutiarum varietate* TRIVMPHAT *oratio. Exasperati animi orationis suauitate sunt* DELINIENDI. *Oratio ad ancoram solidæ rationis* STABIT. DOLARE *debemus orationem, ac* ADAMVSSIM *bona Suadæ illam dirigere. Debemus* PECTERE *stylum schemmatum luminibus, & orationem* PHRYGIARE. *In oratione argutiæ argutijs erunt* INGLOMERANDÆ. *Varijs Rhetorum coloribus erit* PINGENDA *Oratio, varijsque erit* DELINEANDA *argutijs. Oratio sic blande* ACCINIT, *vt animos* MVLCEAT. *Oratio varijs acuminum aucupijs auditorum beneuolentiam sibi debet* CAPTARE. DISSEMINANDA *sunt per totam orationem omnia argutiarum genera.*

Hac igitur arte Tyrones facilè illum attingent stylum, qui cælum videtur nocturnis sub vmbris varijs pictum luminibus, & in quo Tertullianus veluti Sol emicuit, & verè eloquentia *Ter Tullius* fuit; quippequi leuiculos orationis flosculos contempsit, sed in orationibus torrentis ingenij vim quandam redundantem, & pondus acerrimæ mentis ostendit, & si aliquando ab heroica illa ingenij austeritate deflectit, frangitque stylum in Rhetorum delicias prędictis potiùs vtitur epithetis, ac verborum delectu, quam alia sermonis leuitate; vt videre facilè potes in descriptione Chamæleontis, & Pauonis: ipsum consule. Huic similis in dicendo est ille nectare, & ambrosia satur D. *Ambrosius* blandum facundiæ nomen, & summus in omnibus artifex, qui orationes suas tanta texuit amænitatum varietate, vt hortus videātur floribus consitus, ac in sinu Floræ assiduè vernans. Similia Eloquentiæ orna-

menta quoque luxuriant in scriptis D. Zenonis Episcopi Veronensis; in ipsis quamquam videatur delineatum acre, ac sublime viri ingenium; florescant crebræ sententiæ, ac neruosus laconismus, & vt in minoribus conchis, quod aiunt, illustriores sunt margaritæ; sic in Zenonis orationibus maiora emicent eloquentiæ lumina; attamen dicendi amænitatem semper excoluit.

Quia hæc sunt verba methaphorica, ac impropria; ideò ne à proprietate verborum videar discedere opere pretium duxi hic subijcere proprias voces tùm animalium, tùm volucrum, quæ maximè valent ad concinnitatem periodi, igitur *Accipiter* pipat, *Acredula* militat, *Anas* tetrinit, *Anguis* sibilat, *Anser* gratilat, *Apis* bombilat, *Aquila* clangit, *Aries* blaterat, *Asellus* oncat, *Asinus* rudit, *Barrus* barrit, *Bos* boat, *Buba* bubulat, *Butio* bubit, *Capra* musit, *Canis* latrat, *Catulus* glaucitat, *Cicada* trinitit, *Ciconia* glotorat, *Columbus* plausitat, *Columba* gemit, *Coruus* crocicat, *Cygnus* drensat, *Coturnix* grylissat, *Equus* hinnit, *Hirundo* trinsat, *Hircus* musit, *Leo* rugit, *Lepores* vagiunt, *Lupus* vlulat, *Luscinia* cantillat, *Lynces* orcant, *Meleagrides* caccillat, *Merula* stridet, *Miluus* lipit, *Mus* mintrit, *Mustella* drinsat, *Noctua* cucubat, *Onager*, & *Ceruus* glocitant, *Ouis* balat, *Palumbus* plausitat, *Panter* caurit, *Pardus* felit, *Paßer* pipit, *Pauo* pupillat, *Perdix* cacabat, *Pica* picat, *Pipiones* minuriunt *Progne* zinzilulat, *Psittacus* loquitur, *Rana* coaxat, *Sorex* destricat, *Sturnus* pisitat, *Sus* grunnit, *Taurus* mugit, *Tigris* raucat, *Turdus* truiillat, *Turtur* gemit, *Verres* quirritit, *Vespertilio* stridet, *Vitulus* mugit, *Vpupa* popissat, *Vrsus* vncat, *Vulpes* gannit.

LIBER

LIBER OCTAVVS DE ARGVTIIS.

PROOEMIVM.

VEnustiores elocutionis flores delibandos argutæ Palladis in viridario non apum aculeis, verùm ingenij acuminibus aggredimur; quorum diuitijs si non mella construunt Oratores, saltem Attica melos loquuntur, & suauitate quadam animos replent, ac mulcent: Argutiæ enim tale dicendi genus exigunt, vt orationem graui illo, & negotioso, seù forensi murmure obstrepentem cicadam, non faciat, sed Apellis instar tot in ea pingat Veneres, quot periodos: gaudet enim argutus stylus acutis incedere munitus sententijs; vtpotè hoc dicendi genus debet esse affluens, pictum, onustum calamistris, plenum margaritarum: cum enim sit ad aurium delicias constructum, ideò flores vndique debet spargere, quæ tamen omnia in ciuili, aut philosophica oratione essent vitiosa, & peccarent contra proprium statum. Memini ad rem nostram ingeniosæ machinulæ chrystallinæ Cosroë potentissimi Persarum Regis, in qua, vt habetur apud Cedrenum, Cęli immensitas, Solis cursus, sphærarum motus, non alia ducti intelligentia, quam humano ingenio, ac æternæ micantium syderum coruscationes cernebantur; Aderant quoque aliæ machinulæ, è quibus vis aquarum exhiliret, quæ modo subirent in imbres, modo rigescerent in grandines, modo serperent in riuulos, modo ruerent in torrentes: sic præsens dicendi genus, veluti pretiosa gemma varia quidem repræsentat, sed omnia amænè, atque ad delicias: Imò Achates est, qui lapillus, tam varij fertur generis esse; vt vnum lapillum esse minimè credas, candidus quippè est rubeus, croceus, cinereus, viridis, niger, ità vt aliarum gemmarum colores illi non videantur sufficere, sic præsens dicendi genus

lucos, prata, animalia, flumina, & arbores mirabili naturæ lasciuientis ludo florescentia exprimit; sed ad deliciarum deliquium; quippequi labitur sine salebris, totumque irrumpit in flores, ac amænitates argutiarum.

EXPENSIO PRIMA.

De Ortu, ac Nomine Argutiarum.

SIrenulæ, ac Veneres argutiarum non ab æstuantis maris reiecta spuma, verùm è defatigatæ mentis stillato sudore oriuntur: quapropter antiquissimam iactant originem; licet sub primis nascentis mundi cunabulis succus, ac sanguis elocutionis corruptus extiterit, tamen Thucydides argutiarum sale insipidas cœpit condire orationes, vnde vt loquitur Tullius vir ingentis spiritus, ac Regiæ planè elocutionis fuit, quippè Regum soboles erat, non minus genere sublimis, quam dictione: Pytheus etiam, qui primus in fano musarum fertur Rhetoricam docuisse, librumque posteris de arte dicendi conscriptum reliquisse ad condimentum orationis; quosdam etiam progenuisse argutiarum sales traditur. Et Themistocles; cuius eloquentiæ palmæ victricibus laureis adhùc efflorescunt, quibusdam etiam leporibus auditorum attentionem sibi conciliabat; sic etiam in carminibus Homeri plures leguntur margaritæ, plura lumina, tàm varia, tàm recondita, vt voluptas sine satietate delectet: hac tamen tempestate hæc lumina, seù istæ argutiæ humanæ videntur attigisse eloquentiæ culmen, & quò progrediatur videtur ampliùs non habere; vbi non salebris, sed sale asperguntur elementa litterarum.

Nomenclatura argutiarum diuersa semper fuit pro diuersitate linguarum, ac dictionum. Eruditissima Græcia facunda, ac fæcunda parens omnium scientiarum, in qua hæc Parnassi vireta cæperunt efflorescere argutias vocauit *Schemmata*, vt habetur apud Aristotelem de Art. Poë. cap. 20. *Circa dictionem vnum quidem speculationis genus de schemmatibus videlicet ipsius*, quæ vox etiam placuit Ciceroni, qui loquens de oratione Callidij, ait, *Erant & verborum, & sententiarum illa lumina, quæ vocant Graij Schemmata, quibus tanquam insignibus distinguebatur omnis oratio.*

tio. Et quamuis hæc vox *Schemma* apud Græcos significet figuram, vt interpretantur Aristotelem expositores, attamen apud Græcos *gestum* significabat, quapropter Tullius etiam vocat argutias orationis *gestus*, ait, *Illam concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci, quasi aliquos gestus orationis schemmata appellant: quod idem nomen in sententiarum ornamenta ab hijs transfertur*, & in alio loco Aristoteles totum genus argutiarum vocauit etiam *Cosmòn*, quod à Latinis *concinnitas* interpretatur, siuè *calamistrum*, siuè *cincinnus*.

Hinc possumus, & nos inuenire altum genus *ornamenti*, & postea sumere omnes species ornamenti pro ipsis argutijs: sumatur igitur hoc altum genus nempè *ornamentum*, deinde in rerum natura consideremus ea omnia, quæ ornant, vel possunt ornare, sic ab ornamentis seu inarum argutiæ possunt vocari *Cincinni, Fuci, Calamistra, Venustates, Gemmæ, Margaritæ, Patagia; Oloserica, Spiræ, Amenta, Segmenta, Monilia*. Ab ornamento equi possunt dici *Phaleræ*, A pratis *Flores, Parnassi vireta*, A Cęlo *Lumina syderа*, A pictura *Colores, Minia, Purpuræ*, A pulchritudine Argutissimus Quintil. *Veneres* vocauit, & in Encomio Isocratis, dicit, *omnes dicendi Veneres secutum fuisse*.

Quia argutiæ etiam alliciunt animos possumus & nos inuenire ea omnia, quæ alliciunt & vocare argutias, *Orationis Blanditias, Sirenulas, Lepores, Illicia, Aucupia, Suauitates, Attica melos, Delicias, Blandimenta, Titillationes, Gratias, Vrbanitates, Lusus, Ludos, Luxuries, Iocos, Sales, Facetias, Affabilitates, Eutrapelias*; Aristoteles grauiori nomenclatura vocauit argutias *Apophtegmata*, ait enim 3. Rhet. cap. 11. *Quin etiam Apophtegmata ex eo sunt vrbana, quod aliud significant, quam verba dicant*; & hoc nomen taliter Plutarco placuit, vt dicta arguta, ac sententiosa illustrium virorum Apophtegmata appellarit, & extat liber eiusdem Plutarchi Apophtegmatum; quem augusto dedicarat. Trapezunzius verò interpretatus est illam vocem Apophtegma, & dicit, significare dicta commoda, quoniam *Compsos* Græcè, Latinè idem sonat, ac facetus, & *Comus* Numen fingebatur facetiarum, ac iocorum, hinc plautus exclamauit: *O Iuppiter! quam parui estis homines Commodi*, hoc est *Comes*, & faceti; alij etiam latinè easdem argutias vocarunt *dulcia dicta, Attica mella*, & Plautus *Mulsa dicta*, Martialis *dulces nugas*; Macrobius tamen meliùs eas appellauit

pellauit *dicteria*, ex quo oritur, quod homines arguti dicantur etiam dicaces, quia vt plurimũ alios pungunt;sic Auguſtus vtraq; coronatus lauro Apollinea, ac Martiali vbi inaudiuit Galbam egregium oratorem à quo cũ interrogaretur; an benè peroraſſet, et ſi quid mali cõmiſſum eſſet corrigeret hoc reſpondit acumen: *Monere quidem poſſum Galbam;corrigere non poſſum.* Præeminenti enim gibbo deformis erat, totum acumen in æquiuoco reſidet, ſcilicet in illo verbo *corrigere* defectum naturæ, & defectum orationis. Sic Cicero contra Caninium Diurnum Conſulem, ingenium, & linguam acuit; *Eſt grande prodigium Patres conſcripti Caninio conſule, nec pruina, nec ver, nec æſtas, nec autumnus, nec nox fuit,* hoc ſchemma ortum ſumit à breuitate huius conſulatus, & à tempore, quo non fuit conſul. Virgilius etiam accuſatus, quod Homerum lectitaret, & ex Homero illos legeret flores, quibus Heroicum ſuum Poëma coronauit ſapienter dixit, *Magnarum eſſe virium auferre clauam de manu Herculis*, qui conceptus oritur à comparatione, & à methaphora attributionis. Primùm enim à magnitudine ſapientiæ Homerus comparatur cum Hercule; deinde eiuſdem Homeri Carmina cum claua Herculea. Non vulgaris etiam eſt argutia Lucij Mallij *Pictoris* haud obſcuri, hic cum deformes haberet filios, formoſiſſimas autem pingeret imagines interrogatus, cur non ſimiles haberet ſuis operibus filios acutè reſpondit, *Mirum non ſit, quia in tenebris pingo, in luce pingo.*

EXPENSIO SECVNDA.

De Cauſa efficienti Argutiarum.

SIcuti à Planetarum Principe, qui ſui luminis eſt faber ſuos recipiunt ſplendores ſyderum turmæ, quibus Cælum verus Argus tot aperiat nocturno tempore oculos, quot fulgent ſydera; ſic omnes humanæ Argutiæ, quæ orationis etiam dicuntur ſtellulæ ſua exhauriunt lumina à mente, quæ vtpotè cæterarum potentiarum Sol, ac caput, ait Plato apud Dionyſium Longinum, *Nunc cupiditatum Gynecæa diſpenſat; nunc acrimoniæ Andronem regit, nunc deſideria veluti volitantes Prodromos emittit, nunc furiales irarum exercitus è caſtris educit, nunc ſerena luce circum-*

ſepta

septa suauius renidet. Nam mens est, quæ si extendit alas in çetera vincit Prometheum; si extendit per aëra pennas superat Dedalum; pergit cum Sole nec Phaëthontis timet casus; volat quasi pennigera, nec Icari expauescit ruinas: hæc licèt breui vnius capitis periodo contenta, momento tamen per omnia immensitatis spatia spatiatur; & quamuis captiua in capite, nullis retineatur vinculis; angusto clausa carcere libertate potitur augusta; immota procùl extra Orbis confinia peregrinatur; nempè auet etiam in patria peregrina videri, ipsa vno simùl moratur in loco, simùl moratur in alio, hic est præsens, vbi absens; maximè distat, cum proximè adest; terras excolit, incolit cælum; mare sicco tranat vestigio.

Hæc igitur mens duas habet facultates præstantissimas, intellectum, & voluntatem, hàc in amorem fertur, & odium; illo vera decernit à falsis, inuestigat, cognoscit; & hæc potentia dicitur ingenium, quòd est vera causa efficiens argutiarum, nihilque aliud est, quam quædam mirabilis vis intellectus: insuper aliud est ingenium perspicax, aliud versatile; ingenium perspicax dicitur illud, quod perscrutatur, ac penetrat omnes passiones, causas, circumstantias obiecti. Ingenium versatile est, quod simùl vnit, vel diuidit circumstantias, passiones, seù accidentia obiecti cogniti, ac inuicem vnit. Dò exemplum ingenium perspicax apprehendit Diuam Magdalenam illachrymantem ad pedes Christi, illam considerat succensam amore diuino; modò ingenium versatile vniendo flammas cum lachrymis efficit argutias; & considerando diuinum amorem causam lachrymarum, dicit, *Quale prodigium est hoc flamma aquam parturit? Olim insani ignis Dea ab aqua maris oriebatur, nunc Magdalena, vt fiat castior Venus, non ab aqua tantum sanctioris vitæ cursum incipit, verum etiam ab igne; forsan, quia multis temerata maculis criminum voluit purgari igne, & aqua; quidni confundantur iterum elementa ignis; & aquæ? in Magdalena amor iterum cahos effecit:* vides qualitèr argutia sit partus ingenij versatilis, quod ad conficiendam argutiam dumtaxat vnit simùl plures species diuersas; sic nectendo semifęminam super piscem efformat *sirenulam* symbolum Adulationis, vel illecebrarum, & alludendo ad fabulam dicit homines ad effugiendas illecebrarum sirenulas debere imitari Vlyssem, quia si hic arbori nauis alligatus incolumis euasit; pari pacto homines debent

debent arbori Crucis inhærere, ac sæpè Christi patientis meditari supplicia; quia vt loquitur D. Augustinus contra Veneris illicia nullum tam efficax Pharmacum est, quam meditatio Dominicæ Passionis. Huius ingenij ope pictores argutias etiam suas delinearunt; sic ingeniosus vocabatur Thimantes, quia argutias pingebat,& vt loquitur Plinius secundus, *In omnibus suis operibus plus est, quod intelligitur, quam quod pictum inspicitur; & quamquam ars summa sit: ingenium tamen super artem est.* Huius ingenij ope Archimedes etiam onustam nauim, quam hominum turbæ mouere haud poterant, solus traxit quò voluit, & in angusto vitro augustas Cæli spheras, planetas, epiciclos, perstrinxit, non sine artis prodigio. Archytas Tharentinus, volitantem columbulam fabricauit; alius in Achate nouem musas cum Apolline impressit; Myrmecides quadrigam eburneam sic delicatè elaborauit, ac subtiliter, vt vnica muscæ ala eam posset tegere, Albertus etiam Magnus ingenij acumine loquellam tradidit statuæ, quæ,vt Diuo Thomæ fassus est; fuit opus triginta annorum. In Horologijs etiam maximè nituit hominis ingenium; vbi vt melius iret in triumphum, & currum, & rotas sibi fabricauit.

EXPENSIO TERTIA.

De Materia circa quam, & ex qua Argutiarum.

MAteria circa quā est omne id, circa quod aliquod versatur, sic quia Rethorica versatur circa propositiones, omnis propositio, siuè Thesis, siuè Hypethesis est materia circa quam ipsius Rhetoricæ; ità pari pacto materia, circa quam argutiarum erit id, circa quod versantur ipsæ argutiæ. Et quia omnis argutia est oratio suasoria, ideò necessariò reducitur ad aliquod ex tribus generibus, quæ amplectuntur totam Rhetoricam; vel enim argutiæ commendant honestatem, ac virtutem; vel vituperant inhonestatem, ac vitium; & sic versantur circa genus Demostratiuum: vel persuadent hominibus bonum: & dissuadent malum, & versantur circa genus Deliberatiuum; vel arguunt, vel defendunt crimen, & versantur circa genus Iudiciale; ex quo nascitur, quod materia, circa quam versantur argutiæ sint illa tria genera, in quibus veluti in tribus columnis suffulta, ac innixa iacet tota

Rheto-

Rhetorica. In genere demostratiuo argutà est illa conclusio Martialis, in qua commendatur optimus Imperator Nerua illum æquiparando Catoni nempè rigidissimo illi morum censori, ac corruptæ vitæ restauratori; qui, ne in re mala obtemperaret Iulio Cæsari maluit se occidere, ait Martialis;

Ipse quoque infernis reuocatus Ditis ab vmbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

In genere deliberatiuo ab inaspectato lepidum est consilium, quod dedit quidam vir Causidico, qui tristabatur, quod non haberet causas defendendas;

Si res, & causæ desunt, agis Attale mulas.
Attale ne quid agas, desit, agas animam. hoc est morere.

In genere iudiciali elegans est illa argutia Martialis, qua accusat Posthumum, eo quia ad tegendum fœtorem bonum adhiberet oderem.

Hoc mihi suspectum est, quod oles benè Posthume semper,
Non bene semper olet, qui benè semper olet.

Materia ex qua est illa, ex qua aliquid constat & componitur, sic quia compositum physicum coalescit ex materia prima, & forma substantiali; materia, ex qua compositi physici erit materia, & forma: materia igitur, *ex qua* argutiarum erit id, ex quo componuntur ipsæ argutiæ, & quia istæ componuntur ex methaphoris ideò methaphora erit materia, ex qua argutiarum, quæ ex Arist. 2. Rhet. cap. 25. *Sunt assignationes non causæ pro causa*; do exemplum, moritur Pontifex dum pluit per Methaphoram similitudinis voco pluuias Cæli *lachrymas*, & dico, *Immaturam Pontificis necem etiam Cæli ipsi illachrymantur.* Hæc est simplex methaphora à re animata ad rem inanimatam, quia transfero *lachrimas* proprias hominis ad Cælos inanimatos: modò quia dixi methaphoram esse materiam, *ex qua* argutiarum ex ipsa possum conficere veram argutiam assignando non causam pro causa huius luctus tali pacto, *Acerbum funus Pontificis elementa ipsa lugent, ac Cæli atrati tristantur, iacentque in squalore, vt emortuo Pontifici parentent:* assignatio non causæ pro causa est illud, *Vt emortuo Pontifici parentent:* vndè quia tellus fecundissima, quæ omnes argutiarum flores producit est methaphora, siuè translatio, quam coacta necessitas propter verborum inopiam genuit; ideò viden-

Nn dum

dum est, quid sit hæc metaphora, quæ licet habeat paupertatem pro matre; tamen ipsa filia egestatis omni gaza ditior, nisi purpuras, ac gemmas argutiarum induit.

EXPENSIO QVARTA.

Quid sit simplex Metaphora, & quare non sit Argutia.

SImplex metaphora definitur ab Aristotele 3. Rhet. cap. 20. *Translatio nominis alieni, vel à specie ad speciem, vel secundum aliquid, quod proportione respondeat*: vt si voco dentes *vniones*, seu *margarita*, eo quia tam dentes, quam vniones sint albi: facio translationem à specie ad speciem sub genere *Albedinis*, pari pacto si voco labia *coralia*. Canitiem capitis, senectutis *niues*: ad conficiendas verò facilius has simplices metaphoras debemus priùs inuenire abstractum rei concretæ, vt lilium est *album* incõcreto; abstractum huius albi est *albedo* in genere, quæ prædicatur de omnibus concretis albis, vt de *Niue, lilio, spuma maris, dentibus, osse, carne, ebure, canitie, vnione. adamante, lacte, luce, argento*, quæ concreta sunt species albedinis sumptæ loco generis: modò quia iuxtà principium illud philosophicum, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & quia omnes species, vel omnia subiecta alba sunt idem inter se in albedine, ideò inuento abstracto, seù genere, fiat translatio nominis alieni à specie ad speciem, & multiplices conficientur metaphoræ *sic* niues *montium* potes vocare *canitiem anni*, sic è conuerso CANITIEM *hominis*, NIVES *senectutis*, sic *vireta*, & *herbuscula* vocantur *animati* SMARAGDI hoc est gemmæ virides sumendo vnum subiectum viride, pro alio; hoc est vnam speciem in genere *viriditatis* pro alia; vt etiam sumẽdo vnam speciem pro alia specie sub genere Albedinis, *Murmurantes aquarum riuuli* dicuntur *liquida, ac fluxa* CHRISTALLA: Virgilius etiam vocauit LAMPADAS *Cæli* illa duo maiora luminaria *Solem*, & *Lunam*, vt etiam IGNES *inextinguibiles*: Amasij etiam vocant frontis oculos *gemina* SYDERA, quasi illorum Paradisum collocent in obiecto amato, vbi sua figunt sydera; per hanc translationem nominum à specie ad speciem Thesaurus vocat niues *frigida* LILIA *Alpium*, & è cõuerso lilia *animatas hortorum* NIVES.

Hæ

Hæ autem metaphoræ non sunt argutiæ, quia solùm versantur circa primam operationem intellectus; vndè dicuntur simplices, quia sunt simpliciter apprehensæ à prima operatione intellectus, vt quando pro canitie concipitur *nix senectutis*, vel quando concipitur *lilium* ARGENTEVM est simplex apprehensio, quia nihil iudico de lilio argenteo: sin autem concipitur lilium, & postea inferatur hoc iudicium, *lilium fouet in sinu* ARGENTVM, hæc est eadem metaphora continuata, & secunda operatio intellectus; quæ tamen metaphora non est vera, ac perfecta argutia, quæ secundum Aristotelem *est illatio explicans non causam pro causa*, & versatur circa tertiam operationem intellectus, vt esset, si quærendo non causam pro causa, cur lilium sit argenteum, sic dicerem. *Lilium florum Rex argenteo se cooperit paludamento, vt dignitatem suam, ac diuitias super cæteros flores iactet, decet enim Regem diuitias ostentare suas*, hæc est perfecta argutia, quia in illis verbis, vt *dignitatem suam, ac diuitias iactet* assigno non causam pro causa.

EXPENSIO QVINTA.

Quale sit formale constitutiuum Argutiarum.

Vidimus supra argutias propriè non consistere in simplici metaphora, nec versari circa primam, ac secundam operationem potentiæ intellectiuæ, sed solùm circa tertiam, vndè dicendum est formale constitutiuum argutiarum cum Aristotele esse *Assignationem non causæ pro causa*, ac propriè esse discursum; est tamen animaduertendum, quod licèt argutia sit discursus, non tamen omnis discursus est argutia, sed argutiæ sunt *argumenta vrbana, ac festiuè fallacia*; vnde ab Aristotele vocantur *Apparentium Enthymematum loci*, quia illatio horum enthymematum debet esse aliquod figmentum intellectus, in quo resplendeat aliqua perspicacia, ac lumen ingenij, nam si ego peterem à te *Cur grandines solùm æstiuo tempore cadant*, & tu responderes mihi; quia tertia aëris regio per anthyperistesim æstiuo tempore est frigidior, quàm hyemali, atque adeò æstiuo tempore humorem aqueum in illa aëris regione à circumambiente frigore constipari in grandines; esset hæc optima responsio metheorologica; sed

non esset arguta, quia argumentum non est fallax, nec ibi assignatur non causa pro causa; imò assignatur vera causa, cur grandines æstiuo tempore tantum cadant.

Necesse itaque est, quod argumentum argutum habeat suum acumen per vim, ac lumen ingenij; hoc est per aliquod figmentum amænum, ac festiuum, vt est conclusio huius enthimematis, in qua festiuè assignatur non causa pro causa, cur mare bibat omnia flumina,

Salsa sitim pariunt: nihil æquore salsius: ergo
Quid mirum dulces si bibat æquor aquas;

Quapropter Seneca definiuit argutias, quod sint *Conclusiunculæ Vafræ, & callidæ*. Atqui posset quis obijcere; ergo omnes fallaciæ erunt Argutiæ? Respondeo negatiuè, quia argutia solum est iuxtà Aristotelem Enthimema vrbanum, seù fallacia arguta; nam si diceres hanc fallaciam, *Omne viuens est sensitiuum; aliqua arbor est viuens; ergo est sensitiua*, forma huius argumenti est fallax, quia extrema non perfectè identificantur cum medio termino; & tamen non est argutia, quia nulla ibi elucet vrbanitas; vel si peteres, cur omnes ingeniosi siuè sint Philosophi, siuè Poëtæ, siuè alij artifices sint melancholici, & Matthæus Dresserus in lib. de partibus humani corporis, & animæ potentijs pag. 58. responderet tibi: quia humor melancholicus cùm firmus sit, efficit etiam spiritus, ac motus animi firmiores, ac acriores, vel ardentiores, & Ioannes Caramuel in sua Logica obliqua pag. 471. hoc probaret subiecto syllogismo: *Spiritus firmior, & ardentior gignit sensum acriorem: sed melancholicus humor gignit spiritum firmiorem, & ardentiorem: ergo melancholicus bonor gignit sensum acriorem*; in hoc syllogismo nulla relucet argutia, quia ibi nulla latet fallacia. Propono tibi aliud argumentum verum, cuius conclusio, quamuis sit vera attamen propter duo opposita videtur habere aliquid amænitatis, ac salis argumentum est sorites.

Omnes natura instinctu abundantiam potiùs quam penuriam expetunt.
Quidquid autem vehementer expetitur, id diligenter quæritur.
Quod verò diligenter quæritur, laboriosè obtinetur.
Quod laboriosè obtinetur, iucundè possidetur.
Quod iucundè possidetur dolentèr amittitur.
Quod dolenter amittitur indesinenter deploratur.

Ergo

Ergo omnes natura instinctu (etiam cùm, GAVDIA, *ac* BEATITVDINEM *terrenam se ambire putant) expetunt indesinenter* DEPLORARE. Sin verò æquiuocãdo vocares Christum Diuinum Solem, & faceres hoc argumentum, *Vbi Sol est, dies est: sed Diuinus Sol media nocte erat in Caula Bethleemitica, ergo in ipsa nocte dies erat;* hoc argumentum esset argutia, quia est enthymema vrbanum. Non tamen in argutijs est dicendum enthymema hoc modo cum distinctione propositionum, sed magis laconicè; ità vt illatio, & propositiones simul connexæ non appareant, vndè eadem prorsus argutia, sic elegantius exprimitur.

Fallimur in media natum, qui nocte putamus;
Nam secum nobis nascitur ipsa dies.

Vbi sumitur dies pro effectu Solis; supponitur enim vna cum die ortus Diuinus Sol CHRISTVS. Sic quærendo non causam pro causa cur Christus natus sit in Præsepe, quia non erat locus in diuersorio, dicere potes; hominem inhumaniorem fuisse ipsis feris dum ipsum Deum reiecit, quem in stabulo receperunt belluæ ipsę humaniores hominibus;

Brutum factus homo est: homo brutum: quando Tonantem
Excipit hospitio bestia, pellit homo.

Christus Dominus nascitur; cùm tota terra vallatur, & velatur caligine, præscrutando non causam pro causa, dicere potes terram fuisse obuolutam caligine; quia tunc *Diuinus Sol* CHRISTVS, & *Aurora* MATER latebant Bethleemitico in Præsepe;

Nulla debent toto splendescere lumina mundo.
In stabulo postquam Cynthia, solque latent.

Bellè à non causa pro causa concluditur illud heroicum gestum Virginis Thebanæ, quæ à milite violata; illum dormientem, & se ipsam postea interemit.

Dum gemit ereptum Virgo Thebana pudorem,
Sopitum iugulat vindice morte procum.
Tum sibi læta manus, ipsa se fortior infert,
Gaudet, & amissa virginitate mori.
Viuere non potuit Virgo sine flore pudoris.
SPIRITVS EST VITÆ *Virginis ipse pudor.*

De genuflexione hominis, & mulieris;

Cum defertur honos, demisso poplite, quare
Vnum vir, mulier torquet vtrumque genu?

VIR

VIR SEMEL: AT MVLIER *bis serua creata videtur,*
Paret enim patri Virgo, marita viro;
vel hoc aliud de prudentia mulierum;
Cur minor vxorum est, Marium prudentia maior?
Eua fuit COSTÆ FILIA *non capitis;*
à non causa pro causa, si quæris, cur vita hominis sit breuis, ac diutiùs viuat expressus in statua, quam viuus in corpore, responderi potest iuxtà aphorismum, *ars longa, vita breuis,* statuæ enim fiunt arte,
Vita breuis Dominis: Statuis longissima: quare?
Ars quoniam longa est, ipsaque vita breuis.
Non causa pro causa melius potest assignari inuestigando, cur Tibris Romam ingressus non rectè fluat;
Cur celeri cursu fluitans per mænia Romæ
Tibris non recto tramite signat iter?
Flectitur, vt septem colles curuatus adoret:
Flectitur, vt longas nectat in vrbe moras.
Populus est vox æquiuoca, significans arborem, & turbam gentium; bellè hac voce æquiuocatur in commendationem cinerum Augusti, qui in Mausoleo conditi sub vmbroso nemore Populorum iacebant humati;
Populea positus iacuisti, Auguste sub vmbra,
Siccaque frondosum condidit ossa nemus,
Sapè tibi zephyris mota ceruice supremum,
Insonuit tremulo murmure sylua, vale,
Aut amet, aut metuat POPVLVS *tua busta necessè est,*
Vilis amet POPVLVS, POPVLVS *alta tremat.*
Diua Cæcilia Nobilis Virgo Romana, inter nuptiarum solemnia, lacero collo, effusoque cruore pubescētem fidem viuificauit, dùm ipsa mortem subiuit pro fide, mox ad eius sepulcrum multæ ardent lampades, si quæris non causam pro causa;
Cur tot Cecilia post funera lampades ardent?
Coniunxere faces, MORS, HYMENEVS, AMOR.
D. Io: Baptista Christi Prodromus, in Aula Herodis, Capite plectitur, idest à non causa pro causa, *Turpia ne videat, non habet iste caput:*
à non causa pro causa argutè quæritur à Bargioccho; cur Christus ante Passionem Sanguine sudauerit?

San-

Sanguineus tepidis sudor fluit vndique riuis;
Dum languet nimio victus amore Deus.
An quia non oculis satis est fleuisse gemellis:
Purpureo toto è corpore rore gemit?
An sponte, vt lignum, felicia balsama sudat
Quæ iam certa meis sint medicina malis?
An mage, qualis atrox Elephas obsessus ab hoste,
Fortior hoc viso sanguine in arma ruat?

Et de S. Hieronymo dum saxo pectus tunderet;

Quid tundis generose senex tua pectora saxo?
Excutere an flamma semina corde cupis?
Extrahere an tentas rugoso è cortice gemmam?
Nam concha est pectus, gemma cor alba tuum.
Effodere an speras vena de pectoris aurum,
Quo mercator emas aurea regna poli?
Non ita, sed validis exploras ictibus, an sint
Corda adamas, vinci nescia verberibus.

Iulius Cęsar per mare innatans cum suis commentarijs, si quęris, cur non mergatur sic satiricè à non causa pro causa tibi respondet Scitus Poëta.

Ipse natans sibi securum promittere portum
Audet, vterque mergi nescit, inanis erat.

Festiuus est etiam ludus ille super Cæsarem multiplici confossum vulnere, non causa pro causa est, quia dicebatur plures, & habuisse, & fouisse animos; fas erat, vt cuilibet animo peculiaris pateret ianua, è qua exiret è carcere corporis, vndè loquitur de spiritu, vt de corpore, ac homine;

Ingentes fouisse animos in pectore Cæsar
Dicitur; & vero consona fama fuit.
Nam quo spiritibus par tantis exitus esset.
Prepandit latas plaga iterata vias.

Arguta est etiam illa conclusio satyrica in Cæsarem Augustum, cui adhuc puero Aquila dicitur panem arripuisse, tota non causa pro causa consistit in argumento à minori ad maius tali pacto, si Iuppiter mandat Aquilam ministram, vt illi panem arripiat; à fortiori si iudicat Cæsarem indignum pane; iudicat etiam indignum vitæ, ac Imperij contra illud Mart. *Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.*

Augusto

Augusto propriùs Cælo demissa per auras,
Abripuit Cererem, fida ministra Iouis.
Iuppiter indigno mandat vi pabula vitæ
Auferri, dignum quis putet Imperio?

Nec minorem amænitatem habet hæc alia Satyrica argutia, à non causa pro causa in eundem Augustum, quo imperante fertur tres Soles illuxisse: argutia, seù non causa pro causa est ista, quia Cæsar vitiorum turba Orbem totum obscurauerat; ideò tres illuxerunt Soles, quia ad vincendas, ac fugandas hasce tenebras vnicus Sol non erat satis; vndè fit transitus à caligine morali, ad vmbras physicas;

Tres paritèr visi Cæli de vertice Soles
Lustrarunt terram Cæsaris Imperio.
Merserat obscura terras caligine Cæsar.
Vnus non poterat vincere Sol tenebras.

Ab æquiuocis etiam argutiæ possunt exoriri sumendo vnum significatum pro alio sub eodem nomine, sic nox illa atra Imperatorum *Nero*, qui candorem nequidem in nomine admisit, & qui paruus ità fuit prauus, vt nihil habuerit candidi præter Sindonem; dum in propriæ matris sanguine manus temerauit, sic æquiuocè pungitur, ac simùl absoluitur à tanto scelere.

Te absolue Nero meritas à ventre reposcis
Pœnas, qui tantum noxia monstra tulit.

vbi monstra noxia dicuntur æquiuocè; significat enim vox monstri, & monstrum physicum, hoc est Brutum, & morale, scilicet hominem vitiosum. Argutè etiam iocatur super eiusdem Neronis necem; hic enim sui tortor seipsum dilacerauit;

Ipse sui tortor, traiècit viscera ferro,
Nullum nobilius dextra peregit opus.

Nonnunquam argutia consistit etiam in quadam comparatione, sic Caligula, quia triginta vulneribus à milite trucidatur festiue comparatur cum sue Virgilij;

Triginta tibi cur infligit vulnera miles,
Et plaga ad mortem non fuit vna satis?
Nouerat esse suem malam, ast dubitabat an esset
Triginta capitum Virgiliana sues.

Festiuè igitur fiunt argutiæ transeundo de sensu physico ad moralem, vt videre est in præcedenti conclusione, quà Caligula dicitur

dicitur ſues, eo quod inuolutus in omni vitiorum ſcintina animal potiùs eſſet, quam homo. Poteſt etiam fieri tranſitus à ſenſu morali ad phyſicum: ſic in ſenſu morali dicitur in ſcriptura, *Vir, & Vxor ſunt duo in carne vna*, at quidam logicus tranſeundo ad ſenſum phyſicum, ſic punxit quendam ſponſum ignorãtem deducendo ex illo ſuperiori hanc illationem: ergo tu, qui eras *Bipes* tunc es *Quadrupes*; hoc eſt *Brutum*. Per comparationem à contrario Theſaurus Neronem pungit; qui dum ardebat Roma citharam percutiebat, illum æquiparando cum Amphione, à contrario, quia ſi iſte pulſando Lyram, vt poëtarum fatentur commenta Thebarum mœnia erexit; hic Citharæ ſono Romam deſtruxit;

Non Patriæ Cæſar lacbrymis, non igne mouetur,
Amittunt vires ignis, & vnda ſuas.
Dum video ambuſtum patriæ fumare cadauer,
Exequias hilari ſoluit honore lyræ
Vincere Thebani tentat miracula Fabri,
Condidit ille Vrbem, deſtruit iſte Lyra.

Per comparationem à ſimili idem Theſaurus argutè comparat inſanæ Veneris illicia mundique illecebras cum roſa, quæ perit durante ſpina: ſic voluptas Venerea cito tranſit, ſed peccatum diù conſcientiam pungit;

Auroræ ſoboles auræ pulcherrima rore
Paſcitur, atque perit cum genitrice roſa.
Spina; ſed in lungum ridens felicior æuum,
Hæres deciduæ viuit acerba roſæ.
Hoc natura licet ſpinam ſeruare nocentem,
Atque hilarem ſubita plectere morte roſam:
Eſt Roſa flos Veneris, Veneriſque ſimillima flori,
Quod cruciat longum eſt, quod placet exiguum.

Per comparationem à contrario quoddam amænum ingenium iocosè comparauit Larium fontèm cum Clario; fons enim Larius dicebatur etiam Plinianus à loco poſſeſſoris, quia eſſet in villula Plinij propè Larium lacum, qui nunc dicitur Nouocomi, & villula poſſidetur à Vicecomitibus, huius fontis ſcaturigo de ſcopulo murmurantibus deſultibus prorumpens per illa arua floſculis marginata ſinuoſis anfractibus decurrit, per integrum ſex horarum ſpatium, quo elapſo vſque ad minimum quadrantem, ſtatim

Ooo ceſſat,

cessat, & amplius fons in ipso fonte non reperitur: moxque elapsis alijs sex horis incipit iterum è scopulo ingenti murmure, ac magna aquarum redundantia erumpere per alias sex horas; & sic successiuè senarium horarum numerum modo silentio, modo aquarum strepitu adamussim metitur; quapropter hunc super fontem sculptis characteribus alius scripsit hoc lemma, alludendo ad vices temporis, *Constantia incostans:* alij *Gratæ vices;* alij magis argutè *nil præpes perpes*, comparatio verò est ista.

Clarior hac nulla est; nulla est obscurior vnda,
Abdita dum refugæ causa latescit aquæ.
Attonitas hebetant docta hæc miracula mentes,
Et linguam gelido lympha stupore ligat.
Larius heù Clario quam discrepat Amnis ab Amne?
Ille loqui musas, iste tacere facit.

Licèt omnes istæ comparationes dicantur argutiæ: tamen amæniores sunt illæ, quæ fiunt quærendo non causam pro causa; vt facit Martialis in laudatissimo illo Epigrammate de ape mortua in succino;

Et latet, & lucet Phaëtonthide condita gutta:
Vt videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est, ipsam, sic voluisse mori.

vbi adducendo non causam pro causa loquitur de ape, vt de homine perfecta ratione prædito.

EXPENSIO SEXTA.

Quotuplex sit Metaphora, ex qua componi possit Argutia.

INnui supra materiam ex qua argutiarum esse Metaphoram, modò operę pretium duxi enucleare hic quot, & quid sint istæ metaphoræ, quæ valent ad argutias conficiendas: metaphora definitur ab Aristotele 3. Rhet. cap. 120. *Est translatio nominis alieni, vel à specie ad speciem, vel secundum aliquid, quod proportione respondeat:* vt docui supra.

Hæc autem metaphora veluti genus in octo diuiditur species, scilicet in metaphoram Similitudinis, Attributionis, Aequiuoci, Hypothiposis, Hyperbolis, Oppositionis, Laconismi, & Deceptionis.

tionis. Metaphora ſimilitudinis; quæ inter cæteras principem occupat locum, *Eſt tranſlatio nominis de vna ſpecie ad aliam ſub eodem genere*; do exemplum Calamus Angelici Doctoris fuit oblongus, ſunt conſideranda ea omnia, quæ ſunt oblonga in rerum natura, & ſic transferre nomen de vna ſpecie ad aliam, & dicere Angelici Doctoris *calamum*, fuiſſe perſpicuum argentei aratri *vomerem*, quo hic BOS MVTVS Eccleſiæ campum bene coluit, ſic potes tu diceres fuiſſe Apellis PENICILLVM, quo non inſanam Venerem, ſed Theologicam Veritatem in papyro pinxit; formidandum *Cometam*, quo excidium hereſi præſagiuit: Armonicam *Tubam*, quæ ſuauiter fidei orthodoxæ genethliacon cecinit; *clauum* Eccleſiaſticæ nauis; *virgam* Aaronis in flores elegantiæ, ac fructus ſcientiarum ſimul erumpentem. Sic alij ſumendo vnam ſpeciem rotunditatis pro alia vocauerunt *pateram*, ſeù *craterem* CLYPEVM Bacchi, quia tam *crater*, quam *clypeus* conueniunt in *rotunditate*: alij etiam *vinum* dixerunt *ſanguinem* Bacchi, quia conueniunt in colore, & fluxibilitate.

Secunda Metaphora dicitur attributionis, & eſt tranſlatio nominis à ſpecie ad genus: vel à genere ad ſpeciem: ſic Homerus, vt diceret *Multa beneficia Vlyſſes contulit Græcis*, ſumpſit ſpeciem pro genere, & dixit, *Decem millia beneficiorum contulit Vlyſſes*: vbi vides quod *multum* eſt genus, & *quinquaginta, centum, mille, decem millia*, ſunt ſpecies. Horatius vt explicaret non conuenire ſimùl *vinum, & ferrum* ſumpſit vnam ſpeciem armorum pro genere, & dixit *Quantum diſcrepat vino Medus* ACINACIS, è conuerſo aliquando ponitur genus pro ſpecie, vt ſi tu dicis ENSES *in bello feriunt* accipe genus, vel materiam, & dic *nudatum* FERRVM, *in bello ſanguinem ſitit, artuſque militum diſrumpit*, ſic Virg. vt exprimeret equum Troianum, qui erat bellica machina, ſumpſit machinam in genere, & dixit, *ſcandit fatalis* MACHINA *muros*. Hæc metaphora etiam ſumit partem pro toto, vel effectum pro cauſa, vel ſignum pro reſignata, vt eſt illud *cedant arma* TOGÆ, vel illud aliud Plinij irridentis timidum Domitianum. *Timidè nauigantem Romanæ* AQVILÆ *ſpectabant* vbi ſumuntur *Aquilæ* pro Romano exercitu.

Tertia ſpecies dicitur æquiuocatio: æquiuoca definiuntur à Logicis, quod ſint *Illa, quorum nomina ſint idem, rationes verò ſignificatæ per nomen diuerſa*, vt hæc vox *Canis* ſignificans *Sydus*

Caleste, & animal terrestre, & piscem in mari, sic per æquiuocum de Saturno proprios vorante filios dicitur EDIT *quos* EDIT, vel illud aliud super eunucum militem TELA *te decet, non* TELA: aliquando æquiuocatio fit inter rem moralem, & physicam, sic Christus moraliter dicitur *Agnus*, modò æquiuocando cum significato physico de Christo nato in præsepe potest dici;

Plaudite Pastores, vestra est hæc gloria, Christus
In stabulo nasci debuit AGNVS *erat*;

Nonnunquam æquiuocatio sita est in additione alicuius literæ, vt est illud super iudicem ignarum, qui tristabatur, eo quia populus eum honoribus non prosequeretur, *Quando regnat onos, deperit omnis* HONOS; *Onos* sine aspiratione significat Asinum, cum aspiratione Honorem; aliquando æquiuocatio sistit in mutatione literæ, vt est illud lemma Thuris ardentis FLAGRAT, *dum* FRAGRAT; aliquando consistit in variatione literarum, vt *nil prapes perpes*.

Quarta Metaphora est Hypothiposis, & definitur ab Arist. 3. Rhet. cap. 10. *Est ea, quæ præ oculis rem ponit, quasi agatur:* vndè hæc metaphora tota sistit in expressione rei, quæ taliter repræsentatur, vt videatur geri sub oculis; & quia actiones sunt *illæ*, quę viuificant res, ideò magis arguta erunt illa nomina, quæ expriment aliquam actionem, vel motũ, vt est illud Ouidij, *Bella gerunt venti fretaque indignantia* MISCENT, vbi bella gerere, quod est proprium hominum per hypothiposim dicitur de ventis, & Virgilius *Pontem* INDIGNATVS *Araxes;* indignatio est motus animi, & applicatur rei inanimatæ.

Quinta species est Hyperbole, quæ latinè superlatio dicitur, quia est *Augendi minuendiue causa:* cuius Metaphoræ Cic. 3. lib. n. 101. duas assignat species, vnam ad augendum quæsitam, alteram ad minuendum excogitatam. Hyperbole augens, est illa Virgilij, *Saxa* FREMVNT VOLAT, *atri turbinis instar, exitium dirum hasta ferens*; sic de Xerse dictum fuit, *vir* MONTIS *instar*, & Virgilius, vt exprimeret altum equum per Hyperbolem, dixit, *Instar* MONTIS *equum;* sic apud Claudianum habetur, *& Telis* VMBRASSE *diem*. Hyperbole diminuens est fons à quo dimanant omnia diminutiua, vt quando dicitur *Animula, Blandula, Palidula*.

Sexta Metaphora dicitur Laconismus, cùm paucis verbis pro-

lixum

lixum ſenſum explicamus, vt lepidè de Domitiano captante muſcas, dicimus *Hoſtibus fuiſſe muſcam, muſcis hoſtem*, vbi laconicè explicatur, & mollities animi, & puſillanimitas in re militari. Adagia etiam ſunt metaphora laconiſmi, quia plus videntur ſignificare, quam dicere, vt eſt illud, *Honores mutant mores*, intelligendo, quod homines in dignitatibus conſtituti facilè ſuperbiant, ac beneficiorum obliuiſcantur.

Septima metaphora eſt oppoſitio, in qua ponuntur duo contraria ſimul, quæ habent vim argutiæ, ac enthymematis, vt ait Ariſtoteles 2. Rhet. cap.29. *Quod per oppoſita dictum eſt id videtur enthymema*; pulchriora ſunt tamen illa oppoſita, in quibus eadem vox videtur bis repeti, vt eſt illud *Non oportet* PEREGRINVM *ſemper eſſe* PEREGRINVM, vbi vox *peregrinum* in primo loco ſignificat erroneum extra patriã; in ſecundo loco ignorantem, in qua oppoſitione etiam latet ęquiuocatio: huic argutiæ ſimilis eſt hæc alia ſuper fucatam fęminam RVBESCIT *non* ERVBESCIT; nec minorem habet amænitatem illud Scõma Ariſtotelis 3.Rhet. cap. 11. *dignum eſt* MORI *antequam ſis dignus* MORI, hoc eſt digna res eſt mori innocens, non nocens: aliquando oppoſitio etiam fit, cùm demitur, aut mutatur aliqua litera, *vt* AMANS *eſt* AMENS, MENS AMENS, MVSA AMVSA, hoc eſt inelegans.

Octaua Metaphora eſt deceptio, metaphora perquam amęna, ac fæcunda argutiarum mater, & definitur ab Ariſtotele 3. Rhet. cap.11. quæ *ſit ſententia deſinens præter opinionem*, ait enim *quia noua placent, ideò ſententiæ, quæ deſinunt præter opinionem delectant*, vt eſt illud cuiuſdam ſenis, *ſpero tibi euenturum hoc anno maximam meſſem* MALI, vbi tu expectabas maximam meſſem *Annonæ*. Iſtæ metaphoræ ſunt materia, ex qua conficiuntur omnes argutiæ, & vnicum ſubiectum poteſt variari per omnes iſtas metaphoras, ſic ſumantur varianda ſydera; per metaphoram ſimilitudinis illa potes vocare *Succenſas* FACES, *apertos Cælorum* OCVLOS, *quibus nocturno tempore Cælum ipſum fit Argus, Cæleſtis viridarij* FLORES, *purpureas* ROSAS, *Cæleſtis theſauri* CARBVNCVLOS *lucentes* &c. per metaphoram attributionis ſume partem pro toto, ſcilicet vnam ſtellam pro cæteris, & dic *Cedant Cæleſti* VENERI *terræ pulchritudines, hæc enim propè Solem lucet licet in eclypſi, & Mercurium ſecum trahit, quaſi ipſius venuſtate captum*; per metaphoram ęquiuoci, *& habent belligerum ſuum*

MAR-

MARTEM *ſydera, quo hoſtes debellant* per metaphoram Hypo-thipoſis, dic: *Adhuc pallido vultu, fractiſque oculis* ILLACHRY-MANTVR *ſydera defunctum Solem in Occaſus ſarcophago*, LVGENT *inquam ſqualidæ ſtellæ extinctum ſuum principem*: per Hyperbo-lem, *lucentia ſydera lachrymarum roſcidum* MARE *videntur diſ-fundere, vt defuncto parentent Soli*. per metaphoram laconiſmi, *Saluete Cæleſtis Veneris* AMASII: quæ verba in prolixiori ſermo-ne ſonant: valete Mars, & Mercurius, qui veſtigia ſtellę Veneris ſequimini &c. per metaphoram oppoſitionis, *Non* ARDENT, *neque comburunt cæleſtes ignes, è quibus etiam roris vndæ dima-nant*: per metaphoram Deceptionis, *Verè belliger es Martis inſi-gnia geris, at ſcire cupitis, quales ſtrages, qualem effuſum cruorem, qualem extinctorum cadauerum ſtruem confecit?* Mars eſt cęleſtis ſcilicet INERMIS.

EXPENSIO SEPTIMA.

Quomodo Inueniendum ſit altum genus per decem Ariſtotelis prædicamenta.

QVodlibet indiuiduum creatum neceſſariò debet reperiri in aliqua ſpecie entis, atque adeò militare ſub peculiari gene-re & eſt *Id quod dicitur de pluribus differentibus ſpecie*, vt *albedo*, quæ dicitur de *lacte*, *lilio*, *niue*, animalitas, quæ dicitur de *Homine*, *Cane*, *Leone*, &c. quæ omnia differunt ſpecie: vt igi-tur latiſſimus pateat ad conficiendas metaphoras campus conſi-derandæ ſunt qualitates ſubiecti, vt ſunt colores, ac cæteræ qua-litates ſenſibiles, vt in *lilio* eſſet albedo, in *roſa* color ruber, dein-de inueniendum eſt genus, lilij albi, quod eſſet *albedo* in abſtra-cto, quia hæc prædicatur de niue, lilio, lacte &c. quæ ſunt in diuerſa ſpecie ſub eodem genere *albedinis* inuento alto genere ſunt conſideranda in rerum natura in cælo, terra, elementis, ar-boribus, lapillis, ea omnia, quæ ſunt alba, deinde ſumenda eſt vna ſpecies pro alia: ſic *lilia* dicuntur *animatæ* NIVES *hortorum*: niues è conuerſo *frigida* LILIA *montium*: canities dicitur *frigida* NIX *ſenectutis*, ſic è conuerſo *nix* dicitur *veneranda* CANITIES *montium, ac hyemis, vel ſeneſcentis anni*: vbi tu vides, hæc omnia eſſe alba, & militare ſub genere albedinis, & quando dicitur *ca-nities*

nities NIX *senectutis*, dumtaxat sumi vnam speciem pro alia sub eodem genere albedinis.

Do aliud exemplum tu vis conficere metaphoras super *rosas*, primò considera colorem purpureum eiusdem rosæ; deinde sume rubedinem in abstracto, modò sub hoc genere rubedinis considera benè ea omnia, quæ sunt rubra in rerum natura, vt sunt *Aurum, flamma, ignis, purpura, sanguis, pruna accensa; sydera, solis radij &c.* hæc omnia sunt idem cum rubedine ideò, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, dic de vna specie sub hoc genere, quod diceres de alia, scilicet sume vnam speciem pro alia; sic quia *stellæ*, & *rosæ* sunt idem, cum colore rubro potes vocare *stellas* ROSAS *cæli*, sicuti *rosas* SYDERA *terræ*, sic etiam potes dicere *rosam purpureo indutam paludamento*, & est simplex metaphora, cui si adderes non causam pro causa fieret argutia tali pacto, *Rosa ideò purpuram induit, vt se florum reginam ostendat*, vel si adderes metaphoram Hypothiposis, diceres *Rosam purpuram induere, quia cognosci t purpuram decere florum reginam*.

Ne dum in prædicamento QVALITATIS potes altum genus inuenire, sed etiam in quolibet alio prædicamento, seù categoria: sic sub prædicamento SVBSTANTIÆ considerandum est, an substantia sit solida, vel fluida, si vis metaphoras inuenire super *lachrymas:* quia hæ sunt substantia fluida accipe altum genus, scilicet *substantiam fluidam;* deinde considera omnes substantias fluidas vt sunt *Ros, lac, sanguis, pluuia fluuius, latices, flumen, vnda, fons, mare*, sic potes dicere lachrymas pœnitentis cælestem *rorem*, è conuerso, rorem potes dicere *Syderum* LACHRYMAS, *quibus defuncto parentant Soli;* In prædicamento QVANTITATIS consideratur subiectum, si est *exile, grande, longum, breue, sphæricum:* à quantitate figuræ dixi supra *Cracterem*, CLYPEVM *Bacchi*, quia conueniunt simùl in rotunditate, ac figura; insuper à quantitate numerica considerandi sunt numeri, vt tria, quatuor, & sunt consideranda ea omnia, quæ conueniunt in tali numero, vt sunt *tres furiæ, tres gratiæ, quatuor elementa, quatuor partes Mundi,* in quantitate morali, seù æstimationis si sit *pretiosum, si vile*, in quantitate ponderis *si graue, vel leue*. Sub categoria QVALITATIS sunt considerandæ qualitates subiecti nempè *Si sit visibile si inuisibile, si pulchrum, deforme, si perspicuum, obscurum candidum* *purpu-*

purpureum, violaceum, viride. Sub qualitate auditus si sonus *sit gratus*, an *ingratus* sub qualitate odoratus si *suaue*, si *fœtidum*, sub qualitate gustus si *dulce*, si *amarũ*, sub qualitate tactus, si *calidum, frigidum, rarefactum, condensatum, siccum, humidum*; sub qualitate figurali si *rectum, obliquum, sphæricum, quadratum*, *triangulare*: sub qualitate naturali si *sanum, ægrotum, amabile*, *latum*: sub qualitate morali, si *virtuosum, vitiosum*: sub categoria RELATIONIS ad quod referatur subiectum, ad quam causam *efficientem, materialem, formalem, finalem*: si subiectum sit homo, ad quos *parentes, consanguineos, societates, amicos*: sub categoria ACTIONIS, & PASSIONIS; An subiectum sit *potens*, an *impotens, vtile*, an *damnum afferat*: sub actionibus naturalibus, quid producat per potentiam *Intellectiuam, volitiuam, nutritiuam*; ab actionibus politicis, an subiectum *regnet, iudicet, pugnet*: sub cathegoria SITVS, an subiectum *Sedeat, an stet, an sit rectum, vel obliquum, vel supinum*: sub cathegoria TEMPORIS, an sit *durabile, an momentaneum, an in principio, an in fine*: sub cathegoria LOCI, an sit *capax, incapax, plenum, vacuum*: sub cathegoria MOTVS, an moueatur *velocitèr, lentè, rectè, obliquè*: sub cathegoria HABITVS, an sit *diues, an pauper, quæ ornamenta, quæ insignia habeat*.

Vide nunc quam copiosa sit hæc aurifodina à cathegorijs; vide quot modis possit aliquod subiectum considerari, & in vno quoque ex ijs prædicamentis innumeras possis inuenire metaphoras: inuento priùs alto genere, vt supra dixi, sub quo est facienda translatio de vna specie ad aliam, vt quando dico *niues* CANITIEM *anni* sub alto genere albedinis.

Sic ad inueniendas metaphoras super Veneris illicia possum considerare veneream voluptatem sub vnaquaque ex prædictis cathegorijs. Sub cathegoria qualitatis, quia voluptas venerea est res mala, ac vitiosa, sub alto genere *mali* facta translatione de vna specie ad aliam possum illam appellare *Pestem animæ, venenum, febrim, vulnus, bellum, naufragium, morbum, mortem, infernum, spinam, gladium, ensem, acinacem*, & omnia, quæ in rerum natura sunt mala: si considero Veneream voluptatem sub categoria temporis, eo quia citò transeat, & sit momentanea sumenda est *celeritas*, quæ est altum genus sub quo debeo considerare ea omnia, quæ citò mouentur, vt sunt *Aquila, fulmen, flumen, sagitta*,

gitta, igneus globus à Martiali tormento explosus, lux, quæ momento temporis è Cælo ad terras transfertur, Cælestis Genius, qui breuissima temporis morula totum metitur orbem, rosa, quæ citò euanescit, flamma in suam sphæram tendens, cui etiam alæ sunt ponderi, possum igitur dicere Veneream voluptatem esse *rosam*, quæ citò euanescit, & solum dumis suis diù pungere conscientiam, esse *aquilam* citò volitantem, *sagittam*, quæ ictu oculi, & transit, & ferit &c.

EXPENSIO OCTAVA.

De Metaphora Similitudinis sub vnaquaque Categoria.

Dilucidato modo inueniendi altum genus, ac considerandi subiectum sub vnaquaque ex prædictis categorijs, remanent nunc enucleandæ Aristotelis octo metaphoræ sub vnoquoque prædicamento, & primum dico de metaphora similitudinis, quæ ex Arist. 3. Rhet. cap. 20. est *Translatio nominis à specie ad speciem, secundum aliquod quod proportione respondeat:* Hæc metaphora potest vagari per omnia prædicamenta, & hac metaphora vtuntur grauiores authores sumendo genus vniuocum, seù analogum, accipiendo postea sub illis generibus, vnam speciem, pro alia, sic Virgilius sumit vnum ventum pro alio, dicens, *Dare classibus* AVSTROS, pro *dare classibus* AQVILONES, & apud eundem mons Aetna dicitur, *Sicula* FORNAX. Ouidius et am vocauit *Saxa, terræ* OSSA, & humorem plantarum *viridem* SANGVINEM *herbarum:* Lucretius sub alto genere humoris sumit vnum humorem, seù vnum liquorem pro alio, & vocat *Pluuias* LACHRYMAS: *vberibus* FLENT *omnia guttis;* quia sermo est de lachrymis; possunt commendari lachrymę, quas elicit culparum dolor; à prædicamento substantiæ, *lachrymæ* sunt substātiæ aqueę altum genus erit *substantia fluida*, sumenda sunt ea omnia, quæ sunt substantia fluida, vt sunt *lac, balsamum, vinum, sanguis, pluuia, ros, torrens, flumen, fons, mare*, & sic possum dicere, quod *Lachrymæ, quas elicit culparū dolor sunt purissimum* LAC, *quo enutritur, & corroboratur emortua anima*. OPOBALSAMVM, *quo curantur animæ vulnera, seù peccata*. VINVM, *quod lætificat animam*. PLVVIA, *animæ sterilitatem fęcundans*. TORRENS, *omnes*

animæ spurcitias expurgans. FLVMEN, *in quo lauantur animæ maculæ*. SIZICCI FONS, *impuras animæ flammas extinguens*. OLEVM, *quo Christi Athletæ liniuntur ad victoriam*. MARE, *in quo felix patiuntur naufragium animæ scelera*. AQVARVM CATHACLYSMVS, *mundum culparum extinguens, ac submergens*. GLVTINVM, *quo anima Deo iungitur. Sub genere analogo*. MARGARITVM, *quo Thesauros suos commutat cum terra Cælum*. IVSTITIÆ *semen in meritorum fructus erumpens*. MOLLE TELVM, *quo Dæmon sauciatur vulneratur*. TACITARVM AQVARVM VELLERA, *seù* NIVES, *quibus anima innocentiæ candorem induit*. CONCRETVM PIGRO FRIGORE GELV, *quo candicat pœnitentiæ candidatus*. Insuper ab historijs, ac fabulis possum inuenire omnes fontes præclariores, & dicere. Non ita spectatorum oculis arridebant Tullianæ villulæ è fonte stillantes latices, sicut *lacbrymæ* emortuæ animæ: non ita Sizicci fons impudicos Veneris ignes refrigerabat; sicuti *lacbrymæ* peccandi libidinem: non ità Dodonæo in fonte accensæ faces extinguebantur, & extinctæ accendebantur; vt hisce in lachrymis profani amoris tedæ extinguntur, diuini accenduntur: non ità in Sicilia Aristotele teste quodam in latice immersæ, ac præfocatæ aues reuiuiscebant, vt lachrymarum in vnda moraliter emortua anima phœnicis ad instar reuiuiscit: non ità in Sardinia emanant duro de saxo aquæ venenato angui lethiferæ, vt lachrymæ dæmoni; si Aretusa vndarum inter amaritudines dulcedinem seruat; lachrymarum riuuli peccati amaritudines expellentes dulcedinem pariunt: si salutare balneum corporis curat languores: etiam lachrymæ animam sanant; ò verè prodigiales lachrymæ, quæ sine voce perorant, cadendo resurgunt, sine pudore rogant, sine precibus impetrant.

A substantia iocatur super Neronem ante quem D. Paulus vinctus catenis ducebatur;

Hisce catenatus Paulus stetit ante Neronem:
Non erat ille LVPVS, *sed fuit esse* LEO.

Mulierum capilli à substantia, & per metaphoram similitudinis dicuntur retia; vnde de Sancta Symphorosa, quæ capillis suspensa martyrium subiuit dici potest. Sparsos capillos huius Amazonis fuisse retia, quibus cælum expiscabatur.

De fucatis mulieribus à substantia;

Quæ pictas geritis facies, vos iure potestis

Dicere

Dicere cum Flacco PVLVIS, *&* VMBRA *sumus*.

Quia pictura cõſtat ex coloribus, & vmbris, & colores ſunt puluis. A ſubſtantia corpus bellè comparatur cum terra;

Telluris lapides ſunt OSSA, *metallaque* NERVI,
PELLIS *cruſta*, PILI *gramina*, SANGVIS *aqua*.

In prędicamento QVANTITATIS amæniores inueniuntur metaphoræ ſimilitudinis, quia magis cadunt ſub noſtros ſenſus accidentia, quam ſubſtantiæ; ideò metaphora ſimilitudinis in prædicamento accidentium maiorem habet vim; in prædicamento igitur quantitatis ſumenda eſt vna quantitas pro alia; quæ tamen ambæ conueniant in ſimilitudine, & ſint ſub eodem alto genere, quantitas pluribus modis ſubiectum reſpicit, nempè ſi ſit *paruũ, grande, longum, breue, graue, lęue, pretioſum, vile*, vndè per hanc metaphoram dicimus *animum* ALTVM, *voluptates* BREVES, *curas* LEVES, *negotia* GRAVIA, *ingenium* ACVTVM, *hominem* QVADRATVM. Sed ſumendo ſpeciem pro ſpecie in prędicamento quantitatis; primò, inueniendum erit altum genus; ſub quo conueniunt in ſimilitudine plures ſpecies quantitatis; dò exemplum, volo commendare Angelici Doctoris calamum, debeo conſiderare figuram, & formam calami longi, deindè ſumo *longitudinem* in genere, & conſidero ea omnia, quæ ſunt oblonga, & dico, *Angelici Doctoris calamum Mercurij Caduceo vmbram feciſſe, ſapientior namque extitit ipſo Mercurio ſapientiæ numine. Imò hic calamus Herculea fuit claua, Lernæam Idram hoc eſt Hæreſim in noua ſemper capita repullullantem profligauit. Achillis fuit haſta, quia ſine vulnere ſanabat, Aaronica virgula, quæ ſimul politioris eloquentiæ flores; ac fructus ſanioris doctrinæ producebat. Vibratum fuit fulmen non è Iouis arcu, ſed è virtutis robore, quo vitiorum monſtra profligauit. Diuini amoris fuit ſagitta, qua ad ſanitatem, ac meliorem vitam vulnerabantur obduratæ Hæreticorum mentes. Ingenioſiſſima fuit acus, qua Diui Petri pluribus in partibus conſciſſum rete reſtaurauit: diuini Solis fuit radius, quo ab Ethnicorum animis errorum tenebras expellebat; argentea fiſtula, armonicus tubus, ac animata tuba ad hoſtium terrorem. Crinitus Cometa vltimum excidium hæreſi præſagiens; Apelleus penicillus, qui veram ſapientiæ imaginem delineauit, pinxit. Flammeus enſis deliciarum Paradiſi, Eccleſiam enim cuſtodiuit. Noëtica columbulæ oliuæ ramus, quo diſſidentem compoſuit Orbem. Imò Aquilæ calamus, qui*

reliquas auium pennas, hoc est scriptorum sui temporis, in tabem redegit. Melioris Promethei facula, qua gelidissima inflammauit ad virtutes corda. Ariadnæum filum, quo ab errorum labyrintho plures liberauit Theseos. Errantis Horologij non errans indiculus, vera æternitatis tempora indicans. Renascentis Phœnicis calamus, quo morte immortalitatem sibi comparauit. Hæreticorum omnium malleus. Melioris Tarquinij virgula, qua si non papauerum, Hæreticorum capita, ac mentes profligauit. Aurea clauis Dauidica, qua scientiarum fores nobis adaperuit. Alexandri ensis, quo si non Gordium nodum, omnes Theologicas difficultates soluit.

A quantitate alluditur ad illud Sapientis dictum: stultorum infinitus est numerus; adest Mediolani Xenodochium stultorum: at

Si fatui claustris omnes claudantur in istis,
Non erit in tota plenior vrbe locus.

A similitudine figuræ in prædicamento quantitatis, oculi sicut dicuntur sydera frontis, sic sydera cæli possunt dici cælorum oculi;

Sit nox centoculo, quamuis oculatior Argo,
Plus vno cernit lumine lusca dies.

Si velles commendare maximum magni Macedonis animum, eo quia in paruo extiterit corpore, deberes considerare ea omnia, quæ fuerunt pretiosa, & simul continebantur in paruo loco, & ea comparare cum Alexandri animo. Sic in Pyrrhi Regis Achate Parnassus erat totus, Caroli Quinti in annulo Horologij rotati machinamentum totum, in Opalo exiguæ molis gemmula carbunculi flammescit tenuis ignis, smaragdi lucescit viror, chrystalli clarescit pretiosissimum gelu; habes etiam Iustiniani Imperatoris mensam in Templo Diuæ Sophiæ, in qua omnia lapillorum genera, metallorum species, lignorum diuersitates mirabili artificio continebantur, habes eburneam formiculam Polichratis, quadrigam Myrmecidis, Plinij arborem omni fructuum genere fecundam, Archimedis sphœram, tabulas Geographicas.

In prædicamento QVALITATIS latissimum argutiarum campum etiam aperit metaphora similitudinis, eo quia qualitas multiplex est, vt sunt colores omnes, qui cadunt sub sensus, virtutes, & vitia animi, & sunt qualitates morales: inter qualitates sensibiles dixi supra, posse sumi vnam speciem pro alia; sic dicuntur AVREI *crines*, *senectutis* NIVES, *montium* CANITIES, quia hæc omnia conueniunt in eadem qualitate coloris, vt clare patet, &

ne

ne dum hæc translatio fit de obiectis coloratis; verum de cæteris qualitatibus, quæ cadunt sub alios sensus, ex odore dicitur *virtutum* FRAGRANTIA, *vitiorum* FÆTOR: A gustu AMARA *fors*, ACERBA *mors*, DVLCIS *recordatio*: A tactu PALPABILIS *error*, MOLLE *ingenium*, ADAMANTINVM SAXEVM *cor*, FRIGIDVS *sermo*.

Per hanc metaphoram similitudinis in prædicamento qualitatis si vis laudare suauitatem virtutis, eo quod *Concentu virtutis nihil sit suauius* sub alto genere concentus, vel musicæ sumes omnia armonica, tam in fabulis, quam in historijs. Ex sacro Codice musicæ author Tubal habetur, ex vatibus cognoscimus Amphionem, & Orpheum, sic musicam docuisse amor dicitur, Nero, quia pulsabat cytharam, dum Vrbs tota flagrabat incendio, in morte eiusdem Neronis vices reddens populus etiam risit;

Reddit iurè vices, festis tibi læta parentans,
Vocibus Vrbs etiam te moriente canit.

Alcibiades musicam dedignabatur eo quod Apollo, & Minerua nūquam didicissent, vel fistulas inflare, vel lyram percutere. Philippus Macedonum Rex Alexandrum filium arguebat, eo quia cytharam ea manu, quà sceptrum stringebat tangeret inquiens; *Non erubescis tam bene nugari*. Sibaritæ musicæ ità fuerunt diditi, vt vel equos ipsos, hac erudirent arte; quarè in bello fuerunt debellati non arcu bellico, sed musico; Hercules, & Achilles, vt patet ex Homero relaxare animum à curis solebant musica chely. Cedant virtutis suauitati, ac concentui Cælestes illi concentus, quos audire putabat Pythagoras, cedant Cygni, Philomelæ, Ariones, Amphiones, Orphei, Sirenulæ, deindè omnia hæc, vel comparabis cum virtute, vel confutabis.

A qualitate sanguinis guttæ, quas in circumcisione effuderat puellus Iesus dicuntur *rosæ*, quia sanguis, & rosæ conueniunt in colore;

Cæditur, & pueri tellus madefacta cruore,
Vernat purpureis vndique picta rosis.

Rubicunda D. Catharinæ Senensis vulnera à Bargiocchio dicuntur etiam rosæ, & sydera: sumendo vnam speciem pro alia sub eodem genere: rubicunda vulnera, rosæ, & sydera conueniunt in qualitate, seù colore rubro.

Sunt Cælum, Catharina, micans, an molle rosetum,

Hæc

Hæc tua, quæ roseo vulnere membra nitent?
Scilicet hinc ſtellas radiantia vulnera vincunt,
Hinc eadem ſuperant ſanguine tincta roſas.
Aſt ego te cælum dicam, ſimul atque roſetum;
Nam nimis hæc pariter te retuliſſe iuuat.
Eſt Amor, atque Deus, tua qui connubia poſcit,
Vult Deus hoc Cælum, vult Amor haſce roſas.

A qualitate duritiei de muliere;

Dicta fuit mulier, quaſi MOLLIOR, *eſt tamen Eua,*
Non de carne ſui ſumpta, ſed OSSE *viri.*

A qualitate leuitatis de illo, cui barba creſcebat, & caluitie laborabat;

Barba tibi creuit, ceciderunt Marce capilli,
Inde tibi grauis eſt barba, caputque LEVE.

In Prædicamento RELATIONIS etiam triumphat hæc metaphora ſimilitudinis, relatio duplex eſt alia tranſcendentalis, alia prædicamentalis, fundamentum relationis tranſcendentalis dicit eſſentialem ordinem ad ſuum terminum, vt cauſa ad effectum pater ad filium; hæc igitur metaphora ſumit vnum correlatiuum pro alio: ſic Statius vocauit Plutonem *Inferorum* IOVEM eo, quia ſit frater Iouis, & Silius Italus, *Tartareo eſt operata* IOVI, ſed quod magis facit ad rem noſtram eſt relatio ſimilitudinis, ſeù prædicamentalis, quæ nobis latiſſimum aperit argutè amplificandi campum. Do exemplum ſumatur amplificanda hæc propoſitio *Voluptas Venerea eſt hylaris pœna, crudele gaudium, blanda mors,* inuenies ea omnia, quæ ſimul alliciunt, & damnum aliquod afferunt, quia cum voluptas Venerea ſimùl alliciat, & enecet, ideò dicit relationem ſimilitudinis cum omnibus illis, quæ ſimul alliciunt, & damnum afferunt, vndè potes amænè dicere: An non Veneris illicia ſunt blandè ſirenulæ maris, quæ cantus ſuauitate alliciunt nautas ad necem. Certè ſunt Sodomiticæ telluris poma pulchra viſu, ſed inania. Hircaniæ ſyluæ panteræ, quæ odoris ſuauitate alliciunt, vt trucident. Serpens Cleopatræ inter flores, ac amplexus occidens. Adblandiuntur Veneris illicia, ſed ſimiarum adinſtar, quæ partus in pectore adſtringentes ſtrangulant. Voluptas Venerea Sardonica eſt herba, quæ mori cogit in riſu, ridicula ſanè mors, non ridenda, ſed deploranda. Roſa, ſed inter vepres. Flos, ſed inter colubros. Aqua, ſed inſulſa, quæ ſitim auget

auget non minuit; voluptas est ea, quæ si aspicit Basiliscus est: si deflet Crocodili sunt lachrymæ: si palpat Arpiæ sunt manus; voluptas est melleum fel, dulce absinthium; imò illam dicito Circeum poculum, chistallinum Babylonicæ meretricis craterem Socratis Cicutam gemmeo in ciato, perbreuem piraustę lętitiam, circà lumen. Aureum Neronis amum. Auream Cyri Regis catenam. Fabij Cincinnati poculum, in quo infelix dulcem mortem in lacte ebibit. Linguam solue contra veneream voluptatem, illamque voca Lethæi fluminis vndam, quæ memoriam Cæli absorbeat. Arcadis lacus vndas, quæ viros vertunt in bruta, ac lupos. Neronis smaragdum, qui crudelitates fecit suaues. Infausta papauera, quæ claudunt oculos cælo. Auem Indicam, quæ teste Plinio, cantu suauissimo enecat. Sodomiticum ignem, qui Loth mulierem in salis statuam commutauit, vt condiretur fatuitas fęminarum. Nec mirum si cruciat Venus procelloso è mari nata non potest nisi naufragia indicare, & maris filia, ne esset degener amaritudines secum debuit trahere.

Pari pacto si vellem amplificare Paupertatem Beati Caietani Thienæi, qui relictis opibus pura vixit prouidentia; deberem sumere ea omnia, quæ nuditatem exprimunt, & dicere. Caietanum fuisse Solem eo nitidiorem, quo expoliatum nubibus terrenę substantiæ. Dicerem fuisse lilium non alio pictum colore, quam candore puritatis; fuisse pugilem, seù Athletam in agone nudum, ne succumberet. Diuini margariti hoc est Cælestis Regni expiscatorem sine vestibus, accensam flammam, quæ velocius ad suam volitabat sphæram: deindè possem reijcere pretiosa hominum indumenta tali pacto. Vestiantur purpura Lacedemonij milites, Coccinea induantur veste Cyri bellatores, militia nempè Christiana præstantiores duces numerat, quos nudos charitas facit, si tamen nudi appellandi sunt illi, quos virtus heroica suo indumento ornat, non onerat; fuit superbia illa Sinarum Regum, qui non alio vtebantur indumento, quam flauo aureo filo intertexto Draconum, ac Leonum feritatem exprimente; fuit superbia illa Iustiniani, qui sepulchrum stragula veste tegi iussit, in qua opere frigio victarũ vrbium, ac Barbarorũ Regum: quos ipse debellauerat effigies essent intertextę; meliùs est denudari paliolo ne pudicitia spoliemur, vt quōdam Ioseph, melius est cum Christo nudos

milites

milites progredi, & cum Caietano in huius vitæ Agone Thartarum posternere, ac de mundo triumphare.

In Prædicamento ACTIONIS, & PASSIONIS, metaphora similitudinis dat motum, & actionem etiam rebus inanimatis: nam si per metaphoram similitudinis in prædicamento substantiæ *roscidæ guttulæ* dicuntur *stellarum lachrymæ*, si in prædicamento quantitatis *grauia negotia*, si in prædicamento qualitatis *canities* montium; pro niuibus, & in prædicamento relationis dicimus, *studium esse patrem scientiarum*, in prædicamento actionis dicitur, quod *stellæ* ILLACHRYMENTVR, GRAVITENT *negotia*, SENESCANT *montes: studium* GENERET *scientias*. Insuper in hoc prædicamento metaphora similitudinis ne dum animat inanimata; verùm etiam sumit vnam actionem pro alia, cum quà dicat similitudinem, vt sit hæc propositio; *Animo heroico, Res aduersæ exercitium præbent, non exitium:* sumenda sunt ea omnia, quæ dum videntur excruciari, magis perficiuntur: vndè de grandi animo varijs aduersæ fortunæ turbinibus excruciato, eum compararem cum Asbestino, quod irradiat candidius, & purius euadit inter accensi rogi flammas, vndè fuit, qui in Phrenoschemate Asbestinum pinxit inter flammas hoc lemmate *vritur non comburitur:* illum possem æquiparare cum Basilica herba, quæ dum atteritur grandescit magis; cum palma, quæ dum stringitur, ac alligatur crescit sublimior, cum candido chrystallo, quod spirante borea indurescit pretiosius, cum silice, qui tunc splendescit clarior, cum præduro calibe vulneratur; cum Sabæa lachryma, scilicet Thure, quod tunc gratum exalat odoramentum, quando in thuribulo exardet, quapropter ad exprimendum animum heroicum in aduersitatibus immobilem in phrenoschemate fuit pictū thus exardens hoc lemmate *fragrat dum flagrat*, illum equipararem cum balsami planta, quæ vulnerata sudorem effundit, quo nostra curantur vulnera; vndè nostra vulnera suo vulnere non mederentur, nisi priùs vulneraretur; cum folle lusorio, qui eò extollitur sublimior, quò deprimitur magis: cùm Luna Planetarum Regina, quæ nocturnis sub vmbris lucescit clarior, nec nocturno in Theatro emicaret coronata Halone nisi præcederet, vel subsecutura esset tempestas: cum metallorum principe auro, quod in igne purgatur magis, ac triumphat; cum lino, quod dum torque-

tur

tur dentato ferro, ac laceratur,eo melius fit, quo crudelius laceratur: cum Phœnice morte immortalitatem sibi comparante: cum saxo, quod nunquam surgeret in statuam,nisi à carnifice scalpro martyrium subiret: deindè à fabulis possem dicere, quis nosceret Alcidem in cunabulis, nisi angues præfocasset? quis Achillem, nisi cum Hectore pugnantem? quis Iasonem, nisi Colchidis monstra profligantem? quis Athlantem,nisi valido humero Orbem totum substinentem,grauiq; gementem sub pondere? an non rosa ipsa propè olera herbarum suauius germinat. Modò ex his omnibus facilè poteris argutias texere, comparando hæc omnia cum animo heroico varijs excruciato infortunijs.

A prædicamento Passionis habetur lapsus Almæ Vrbis;

Quid turres, quid fossa iuuant, quid murus, & Agger?
Quid septem geminæ profuit Arcis opus?
Si fortes animæ, si fortia pectora desint,
Vrbibus hæc fiunt nil, nisi terra grauis.
Roma sibi testis, quæ septem Regibus orta.
Creuit, & è totidem collibus alta cadit.

In prædicamento Actionis, & Passionis sumitur etiam vnum verbum pro alio, quia cum verba, vt aiunt Dialectici, exprimant operari, & inter operationes possit dari similitudo, ideò bene potest sumi vna operatio pro altera. Ex tribunali hæ actiones possunt hauriri, scilicet CASTIGARE *mores*. CITARE *conscientiam ante Tribunal rationis*. PROSCRIBERE *ab oculis immodestiam*. *Ad* IVDICIVM *in speculo vocare cæsariei, ac faciei errores*. DAMNARE *capite delinquentem orationem*: hoc est, commutare non bene, elaboratum exordium. Ab Emporijs *vita hominibus* COMMODATVR *non* DATVR: *Eleemosynis Cælorum regnum* EMITVR. *Preces piæ* COMMERCIA NECTVNT *cum cælitibus*. *Christi vestigia, qui sequitur* ABDICAT *se à delicijs*. A militia *dare nomen religioni*; PVGNARE *sub Christi vexillo*. *Indicere* BELLVM *Veneri*. *Precum armis* ADORIRI, *ac* EXPVGNARE *cælum*. *Argumentorum iaculis aduersarium* LACESSERE. *Scripturarum telis hæresim* OCCIDERE. *Aureis machinis* ARIETARE *Iustitiam*, PROFLIGARE *pudicitiam*. *Fraudum cuniculis* EXPVGNARE *virtutem*; *Verborum acuminibus alienam famam* PVNGERE, *alieno in fletu* TRIVMPHAT *inuidia*. *Cum nauium exercitu* DEPRÆLIANTVR *iratæ vndæ*. *Matutinæ campanulæ ad*

PVGNAM *spiritualem Monachos vocant ; Flagellorum ictibus hostem* PROSTERNERE. Ex Nautica arte;*Voluptatum tempestas* DEMERSIT *me. Deliciarum* SIRENVLÆ *alliciunt ad necem. Momento felicitatis* MALACIA TEMPESTATE *mutatur. Inter rumores ciuium* FLVCTVAT *Reipublicæ salus. In difficultatum* CARYBDIM *incidit, cupiens erroris* SYLLAM *euitare. Gubernante ratione,clauumque tenente facilè nauis vitæ cælestem* APPELLIT *portum. Pœnitentia post peccatum est* TABVLA *post naufragium. Huius hominis fortuna ad* ANCORAM *stat. Negotium illud secundis ventis* NAVIGAT. *Puritas iuuenis* NAVFRAGA *perijt in* MALACIA *Veneris. In exigua poculi vnda Lysimaci regnum* NAVFRAGIVM *fuit passum*. Ex Medicina dicitur SANA *mens. Hic est* NERVVS, *ac* ROBVR *orationis. Epistolarum fomentis amicorum animi sensim* CONVALESCVNT. *Benè* VALES *de crumena. Ad extinguenda Veneris illicia lachrymæ* SALVTARE *sunt* STAGNVM. *Criminum vulnera pœnitentiæ pharmaco* MEDENTVR. MALE'SE HABET *prælium contra Turchas. Cretensis Ciuitas videtur in vltima* AGONIA *constituta, iam emoritur, subsidij* PHARMACA *sunt inutilia, seròque* MEDICINA *paratur. Causidici manus auro sunt* LINIENDÆ, *vt litigium* BENE CVRENT. FEBRICITAT *Amasius non alio igne, quam Veneris.* Ex febrili Arte*: Ad* AMVSSIM *rationis operationes dirigere, orationis superfluitatem* TONDERE. AFFABRE' *orationem absoluere. Argumenta fastigiare. Diffidentes animos simul* AGGLVTINARE. *Persecutionum ictibus ferreos animos* EMOLLIRE. Ex Chirurgia *Vitia radicitùs* ABRADERE. *Pratorum capillamenta, colliumque Comas falce* RESECARE; *Subditorum diuitias* TONDERE, Ab Agricultura *ingenium* COLERE, *vt fructus pariat. Animi vitia* RESECARE. *Virtutum* FLORIBVS *se ornare. Semina bonarum artium in animum* IACERE. *Meritorum fructus* CARPERE. *Curua senectus rugis frontem* ARAT, *Vbique videntur* DISSEMINATA *cadauera.* AMPVTARE *prudentię falce Reip. rumores. Triumphorum lauream* METERE. *Albedinis lilia super genas* NVTRIRE. *Sterilescentia ingenia laboris aratro* EXCOLERE. *Vnde de Diuo Thoma Aquinate, dico verè fuisse Bouem mutum, qui tam benè Ecclesiæ campum* ARAVIT. Ab Architectura, *firma non poterat esse Acabi fortuna, nimia laborabat magnitudine super debilia* FVNDAMENTA. *Malè* ARCHITECTATVS *est diuitias superbia imperante.*

Quia

Quia dolos MACHINABATVR *in Mardocheum periit, & eius morte melius publicam* FVNDAVIT *quietem: licèt labentem eius domum nemò* RESTAVRAVERIT. Ex Arte Textoria; *Dolos in Reip. perniciem* ORDIRI. *Parcæ, quia non parcunt, ampliùs non* NENT *vitæ nostræ stamina: Filum vitæ nostræ multiplici aduersantis fortunæ nodo est* IMPLICITVM; *Discursum varijs rationibus* TEXERE. *Fractum negotium* REDORDIRI. *Rationem varijs argutijs* PHRYGIARE. *Virtutes virtutibus* INGLOMERARE. Ex Pictura, *negotium prætextu vtilitatis benè* COLORARE. *Alienam famam detractionis maculis* TEMERARE, *&* OBVMBRARE. *Vltimam manum* IMPONERE *orationi. Sol flores* COLORAT. *Ver terram* PINGIT. *Elapsa tempestate Phœbus tot radijs, quot penicillis pingit Iridē varijs coloribus.* Ex Musica, *Dissonantes sensus cum ratione* CONCORDARE; *Virtutum* CONSONANTIA *Deum* ALLICERE, *vt nostras exaudiat preces; Vitia* OBSONANT. *Grato murmure* CANVNT *saxosi fontes;* Ex venatione. *Argenteis retibus insidias* TENDERE *pudicitiæ. Aureis vinculis* CAPTARE *beneficia; In hostium* CASSES INCIDERE. *Venari honores.* Ab omnibus etiam alijs actionibus, ac officinis possunt similes metaphoræ inueniri, vt *Palladis lacte nutritus puer in musarum sinu postea adoleuit: è fracto Iouis capite vna cum Pallade suam videtur traxisse originem.*

A prædicamento Actionis Argutè exprimitur Diuæ Aureæ Martyris triumphus, quæ aurea Ethnicorum Numina protriuit; alluditur ad fabulam Iouis descendentis in pluuiam auream;

Oppressit Danaem pluuio si Iuppiter auro;
OPPRIMIS *aurifluos, Aurea Virgo Ioues;*

Et Diuæ Monacæ, quæ pijs monitionibus D. Augustinum Deo conuerterat; sic gratulatur;

Fortunata Parens, cui bis licet EDERE *natum.*
Ventre semel terris, & semel ore Deo.

Quia B. Margarita Cortonensis ducta à cane ante conspectum occisi iuuenis, quem deperibat; statim se Deo vouit; potest argutè dici ab actione; *Etiam Cælum habere venaticos suos canes, quibus hominum feras* CAPTAT.

Ioannes Zisca extrenuus miles Bohēmus, ità sæuiebat in Latinos, vt testamento reliquerit, detracta gladio ab extincto proprio

corpore pelle tympana tegi ad euocandos milites contra Romanos: ab actione acutè pungitur hic miles;

En furor hic, dignam meruit se iudice pœnam
Mortuus, vt crebris ictibus vsque GEMAT,

De bombyce fericis filis carcerem fibi texente,

Arte mea pereo, tumulum mihi FABRICOR *ipse*,
Fila mei fati duco, necemque neo.

Finis rerum humanarum ab actione, fic exprimitur;

Humanum in terris nihil est, quod non fit humandum
Auolat hinc animus: cætera SORBET *humus.*

Metaphora fimilitudinis in prædicamento SITVS refpicit modum ftandi fubiecti; vt *Sedere, stare intus, foris, à latere dextro, finistro*. Sic dicitur à fitu. SINISTRA *est mihi fortuna*, hoc eft contraria, quia ab aufpicibus finiftrum latus fumebatur pro contrario; aduertendum tamen eft obiter, quod Virgilius dicit, *intonuit læuum* pro *intonuit dextrum*, ratio eft, quia græci partem finiftram vocabant dexteram, & è contra dexteram finiftram, quia fingebant Deum Giganthea forma, ante nos ftare facie ad faciem, & denominabant latera noftra à Dei lateribus, ideóque quia finiftrum latus noftrum correfpondebat dextero *Dei* vocabatur dexterum, quamobrem in bullis antiquis videtur *D. Petrus*, à finiftris D. Pauli.

A fitu elegantes etiam poffunt fieri amplificationes, vt fi effet laudandus miles ille, qui in bello occifus non cecidit, fed ftans egit animam, à fitu effent confideranda omnia recta, vt funt ftatuæ, fic comparandus effet talis miles cum ftatua, deindè, vel per confutationem, vel per comparationem effent recenfendæ præclariores ftatuæ. Diogenes confueuerat gratias petere mortuis à ftatuis, interrogatus cur? *Vt discam*, inquit, *ab hominibus sordidis ac auaris repulsam pati*. Cato cum ingentem ftatuarum fyluam in Vrbe videret (decebat forfan feptem collium Hidram inter fyluas cubare) & cum fuam non videret fapientiffime dixit, *Malo quærant, cur Catonis statua non fit, quam cur fit*, quia multis etiam ob leuem caufam erigebatur ftatua. Athenis erecta olim videbatur Berofo Aenea ftatua, & vt Aftrologiæ peritiffimo aurea indita erat lingua: quid de Bruti ftatua furgente in finu Vrbis hoc lemmate, *Vtinam viueres*, eo quia occifi Cæfaris vindictas

fumeret

ſumeret Roma? quid de Socrate, qui diſcipulos ſuos mutas vole-bat ſtatuas, quid de Diogene bonos viros, ac virtute prædiros Deorum ſimulacra appellante? olim vt teſtatur Suetonius in Tiberio confugere ad Imperatorum ſtatuas idem erat, ac ad tutiſſimum aſillum peruenire. Apud Medos erat Praſitelis nuda Venus, ac Marmorea tanta formoſitate elaborata, vt vel mortua viuas accenderet flammas, ſed impudicas; cauete iuuenes, & viuam fugite Venerem, quando, vel extincta accendit. Durat adhuc Tertulliano teſte, durabitque Vxoris Loth ſalis ſtatua, vt humanæ curioſitatis fatuitatem ſuo ſale condiat.

In prædicamento LOCI per metaphoram ſimilitudinis ſumitur vnus locus pro alio, & dicimus *Gymnaſium*, *Palladis* CAMPVM, *ac* PALÆSTRAM. *Alucaria apum Cereas* DOMVLAS, *mellea* TECTA. *Et ſepulchrum vocatur durum* CVBICVLVM *mortuorum*; Et à Poëtis *Syluæ* dicuntur *virides auium* DOMVS. *Mare* dicitur *vndarum venterumque* PALÆSTRA: *humidum* REGNVM: *fluminum* DIVERSORIVM. *Syluarum antra; præruptæ ferarum* ASYLLA. Poſſunt etiam loca materialia applicari rebus immaterialibus, & moralibus, vt humilitas dicitur FVNDAMENTVM *virtutum*. Rhetorica *Pantheon, Palatium, Atrium, Ara, Armamentarium, Theatrum, Viridarium, Cælum, Templum, Sedes, Tronus, Tribunal, Tyrocinium, Officina, Domicilium, Eloquentiæ*; quæ omnia ſumuntur, vt vides à loco; ſic *Charitas* dicitur virtutum *Arx*, ac *Metropolis*. Poteſt etiam ſumi locus, pro locato, vt cum dicimus MACEDONIAM *Vniuerſum Orbem ſubieciſſe ſibi*. A loco etiam dicimus, *Bacchum amare prœliues Colles; Cererem camporum vaſtitatem. Pacificam oliuam aprica loca*: dicitur etiam India diues opum: & quod oriens opobalſama fundat, ſudet Sabæa Regio, ac odoras ſui thuris animas nobis inalet; etiam Troiana tellus equos alebat bellicoſiſſimos; Siriam, & Tirium fatentur probatiſſimum muricem, ac regalem purpuram ſubminiſtrare; aurum Peruana montium viſcera; Hiſpaniam vellera; Libiam, & Africam nutrire Leones; Hircaniam Tigrides; Ethiopiam ſerpentes; Aſiam panteras; Nilum crocodillos; Calcedoniam vrſos; Mauritaniam elephantes.

A prædicamento MOTVS ſumitur etiam vna ſpecies pro alia: ſub genere *motus* multæ militant ſpecies. Primus motus eſt potentiæ vegetatiuæ, vt *creſcere, ali* &c. *erumpere* proprium eſt

pullorum

pullorum; *pullulare* herbarum; *Gemmare* vitium; *adolescere* hominum; *gliscere*, & *vernare* plantarum; iam sumendo vnum motum pro alio dicimus *iuuentutem* FLORERE, *pro adolescere*; & è contra ADOLESCERE *herbas*. Hi etiam motus possunt rebus moralibus applicari, vt cum dicitur, NATA *est mihi occasio*. GLISCIT *in dies virtus*. *Sapientia tua* FLORESCIT. Secundus motus dicitur *Progressiuus*, vt *volare* aues; *serpere* angues; *repere* lacertas; *ambulare* homines; *moueri* astra; *ascendere* ignem; *natare* pisces; *currere* equos; *fluere* flumina; *ruere* fulmina: ex quibus motibus potest etiam vnus sumi pro alio, Seneca *fumus altè* SERPIT *in Cœlum*; Ouidius VOLITANT *super ora fauillæ*; Plinius, *adminiculatæ sudibus vites* REPTANT; Seneca EVNT *scelera per cunctas domus:* Cic. IRREPSIT *error in hominum mentes*, in quibus exemplis tu vides vnam speciem motus progressiui desumptam pro alia. Motus à rebus artificialibus sunt *Trahi*, *duci*, *equitare*, *ludere*, *rapi*. Horatius loquens de ventis, ait, *Ventos ceruleis* EQVITARE *cãpis*; Seneca *Fulgor teneris*, *qui radiat genis momẽto* RAPITVR, motus à liquoribus sũt *Instillare*, *Fluere*, *Manare*, *Fũdere*, *Liquescere*, sic dicimus FLVERE *orationẽ verborũ redũdãtia*. Insuper motus alius est tardus, alius velox, & dicimus CVRRERE *tempus*; PRÆCIPITARE *errores*, symbola celeritatis sunt *Aquila*, *Fulmen*, *Sagitta*, *Sol*, *Flumen* altis de montium iugis pręcipitans, *Lux*, quæ momento temporis è cælo ad terras defertur; *Cælestis Genius*, qui breuissima temporis morula totum metitur Orbem; *flamma* tendens in suam sphœram; *igneus globus* ab accenso tormento bellico explosus; in ludis Olimpicis *Cursor*; *Mercurius*, cuius pedes sunt alati. Symbola tarditatis sunt *Testudo*. De adolescente, qui in re literaria negligens sit dicimus, *testudineo gradu progredi*. Animarculum quoddam in India, cui nomen est *Pigritia*, quod animal, & si multò sit exceptum verbere lentum motum non variat; *Remora* digitalis pisciculus, qui scopulo innixus etiam impellente aquilonis impetu ingentem nauim retinet, ac frænat; Antartici poli *Sydera*, quæ post multorum sæculorum cursus nondum in nostri æmispherij aspectum venere; *Palma*, quæ nisi ad centesimum vitæ suæ annum fructus parere consuescit, *mare mortuum*, *lacuna*, *stagnum*; *torpedo* squamoso de græge piscis; qui vel piscatoris brachium, Simpaticha sua frigiditate stupefacit.

A prædicamento TEMPORIS etiam sumitur vna species temporis

poris pro alia: tempus diuiditur in intrinſecum, & extrinſecum, intrinſecum ſunt ætates hominis, *Infantia*, *Pueritia*, *Adoleſcentia*, *Iuuentus*, *Senectus*: extrinſecum, *Ver*, *Aeſtas*, *Autumnum*, *Hyems*, modo ſumendo tempus extrinſecum pro intrinſeco, dicimus *Vernam tempeſtatem eſſe iuuentutem anni*, & *iuuentutem eſſe ver hominis*; de ſene dicimus, *Diſſeminatas gerere in capite niues veneranda canitie, quia in ætatis ſuæ* HYEME *frigeſcit*; ſicuti applicas homini tempus extrinſecum;ità vice verſa peteris tempus intrinſecum applicare rebus extrinſecis homini; vt INFANTVLI *ſunt flores*; DECREPITA *eſt quercus*, & Virgilius vocat *frumenta* LACTENTIA, Statius SENIO *venerabile nemus*. Partes etiam temporis poſſunt ſumi multiplicatæ, & vna pars pro alia. Partes temporis ſunt *horæ, dies, hebdomadæ, olympiades, luſtra, ſecula*. Iuuenis nomen dedit religioni anno ętatis ſuę quintodecimo, ſic dices, *tertium ætatis ſuæ luſtrum illuſtri ingreſſu ad religionem expleuit*, luſtrum idem eſt, ac quinque anni. Tempus etiam poteſt tribui rebus moralibus, vt *iam* SENESCIT *languida virtus*, & *vitium, quaſi malorum phœnix*, RENASCITVR. *Virtuti ſunt* COÆTANEA *vitia*; INTEMPESTIVA *ſunt*, *beneficia*.

A tempore amænus eſt etiam hic locus, quo pungitur quædam virgo, quæ ſui vultus candorem iactabat;

Filia ſis dubito tenebrarum; an filia lucis
Nam genita es noctu, Lælia, nata diù.

A prædicamento HABITVS ſumitur etiam vna ſpecies habitus pro alia; ſic nubes dicuntur *tetræ Solis* VESTES; *frondes arborum* VESTES; *herbæ viride telluris* PALVDAMENTVM; niues *lintea montium* VESTES: apud Cic. habetur *riparum* VESTITVS *viridiſſimi*, apud Plinium VESTITA *floribus tellus*; dicimus etiam *vagina* VESTIRE *enſem*: è conuerſo, omnia deſerta potes dicere ſpoliata, vt, *heu crudelem ſortem hyems arbores* EXPOLIAT, *eò*, *vel tempore*, *quo frigidiora horreſcunt tempora*, apud Lucretium de Serpente *exuit in ſpinis* VESTEM, & *ſerpens ſenectam* EXVIT: imò colores ipſi ſumuntur pro veſtibus, ac tenebræ dicuntur veſtes nigræ, & de ſtellis poſſum dicere, quod *luctuoſis ſe* INDVANT *veſtibus defuncto Soli parentaturæ*, & de lilijs dictum fuit *ſaluete florum* CANDIDATA *lilia*, ac ſi albam geſtarent togam. Sub hac Categoria habitus, ne dum veniunt indumenta, ac veſtes, verùm quidquid poſſidetur, vt aurum, argentum, quæ ſunt bona phyſi-

ca, vel

ca, vel virtutes, ac vitia, & sunt bona, & mala moralia, & ab habitu dicis, quod fecunda fuit Lia, sed turpis. Formosa Rachael, sed sterilis. Fortis Sampson, sed mollis; elegantissimus Absalon, sed parricida; Martialis Annibal, sed deliciarum nimis auidus; Victoriosissimus Alexander, sed sæpè ebrius; Zeusis in pingendis auibus emicuit; Apelles in equis; Parrasius in velis; Protogenes in hominibus; Titianus in capitibus; Michael Angelus Bonarotta in figuris, quæ in distantia aliqua positæ, erant inspiciendæ, vt videre est Romæ in Lateranensi sacello, emicuit Cicero in componendis orationibus, non in carminibus; Virgilius heroico in Carmine, non in elego; è contra, Ouidius in elego non in heroico; Martialis acuto Carmine cecinit non grandi; Statius heroico, non acuto.

EXPENSIO NONA.

De Metaphora Attributionis per decem prædicamenta.

Metaphora Attributionis non ampliùs consistit in similitudine, sumendo vnam speciem pro alia sub eodem genere; sed sumit ipsum genus pro specie: vel è conuerso speciem pro genere: quî Aristoteles Poët. cap. 20. loquendo de hac Metaphora, ait, *Potest fieri nominis alieni illatio à specie ad genus, vel à genere ad speciem*. Vndè si tu vocas peccatum crudele mõstrum, quod monstrum est genus; potes sumere omnes species militantes sub hoc genere, dicendo, peccatum esse, *Tricerberum, rapacem Arpiam, spumantem draconem, crudelem Tigridem, barbarum Minotaurum, portentosam Chimeram, monstrosam Hydram in noua semper capita repullulantem*: è conuerso, potes sumere genus pro specie, sic *fera magnanima*, sumitur pro Leone; *feræ natantes*, pro piscibus: *arbor Palladis*, pro olea.

A prædicamento QVANTITATIS sumitur totum pro parte apud Virg. *Sectus* ELEPHAS sumitur pro ebore; habetur etiam apud eundem *ex tribus* TAVRIS *intextum opus*, pro clypeo triplici coopertus taurino corio; è conuerso sumitur etiam pars pro toto, vt *capitolium*, pro Roma; vel figura, pro figurato, vt *curuus Planeta*, pro Luna; *Orbis*, pro mundo.

A QVALITATE exprimitur subiectum mediante aliqua qualitate,

tate, sic Ouidius vocauit *Echo* VOCALEM *Nympham*, & Seneca *luscinias; aues* QVERVLAS, Statius Nymphas maris, *Deas* VIRIDES, Ouidius Gehennam *æterna* SILENTIA, & à qualitate odoratus vocauit Arabes *gentes* ODORIFERAS, dicuntur etiam *opes* AVARÆ, *ferrum* CRVDELE, *calamus* ERVDITVS; DOCTÆ *Peripatheticorum porticus*.

A RELATIONE exprimitur subiectum per essentialem respectum ad nomina relatiua, apud Virgilium *Iuno* dicitur CONIVX & SOROR *Tonantis*; & Sol *Phaëtontis* PATER, sic etiam Cleopatra *à Regno Aegypti, Aegyptia* CONIVX. Roma REGINA *Vrbiũ*; Rosa REGINA *florum*; Diana REGINA *Nemorum*; Neptunus REX *maris*; Pluto *Vmbrarum* TYRANNVS.

A Prædicamento ACTIONIS exprimitur subiectum mediante aliqua actione, vel præclaro facto; hinc est, quod ex hoc prædicamento oriuntur argutæ nomenclaturæ, ab actione Septimio datus fuit hic titulus PACATORI *Orbis*, PROPAGATORI *Imperij Romani*, & Constantino Magno, FVNDATORI *quietis*, LIBERATORI *vrbis*. Insuper ex hoc prædicamento eadem actio, quæ tribueretur, vel plantis, vel mari, vel terræ, vel operibus, tribuitur illorum Numinibus, vel authoribus: vt volo exprimere procellosum mare sumo *Neptunum*, maris numen, & dico *irascitur* NEPTVNVS; sic dicimus BACCHVM *bibere pro vino*, CERES *saxo frangitur*, hoc est molitur annona: *lampadi* PALLADEM *infundere* scilicet oleum, MARTIS *vestigia sectari*, scilicet bellum inire, & Martialis pungens quendam Poëtam, cuius carmina iudicabat digna, vel aqua, vel igne sic iocatur.

Materia est, mihi crede, tuis aptissima cartis
DEVCALION: *vel si non placet hic*, PHAETON,

Quia Deucalionis tempore aquarum cataclysmus Orbem vniuersum submersit, & Phaëton Orbem inflammauit suo lapsu: sed magis pateticè Andromache apud Senecam, sic Helenam arguit: *Cernis hos tumulos ducum, & nuda toris ossa, quæ passim iacent inhumata campis? hæc* HYMEN *sparsit tuus*, vbi sumitur Hymen numen nuptiarum pro ipsis nuptijs, & de quodam Nauta submerso, ait Seneca; *sua verbera* NEPTVNVS *vlcisci voluit*. A passione pari pacto exprimitur subiectum mediante aliqua passione, sic dicitur CRVCIATA *Ceres*, FLAGELLATVS *Neptunus*.

A SITV exprimitur subiectum per aliquem modum standi in

loco; ſic de illo alio Sardanapalo argutè dictum fuit *Pater tuus, aut* ACCVMBIT, *aut* DECVMBIT, hoc eſt, aut comedit, aut dormit, & *pendere animo* ſumitur pro dubitare, à ſitu etiam exprimuntur affectus, in adagium abijt illud *erigere, vel demittere ſupercilium* ad explicandam, vel humilitatem, vel ſuperbiam, & Ouidius à ſitu arguit homines participare diuinam naturam;

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terras
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

A LOCO ſumitur locus pro locato, vel è contra, vel pars loci pro toto loco: Virgilius à loco defuncto Cæſari epicedium canit, *Te* NEMVS *Angitiæ: vitrea te Fucinus vnda: Te liquidi fleuere* LACVS: ſumendo partem pro toto dicimus, NILVM *ſanguineis fluxiſſe vndis.* TYBRIS *Martis furores extinguet*, ſcilicet ſummus Pontifex pacis fœdere Principes Chriſtianos Componet: Aliquando etiam ſumitur contentum pro continẽte Virg. *Purpuream vomit ille* ANIMAM, hoc eſt *cruorem*; aut è conuerſo continens pro contento, vt *luget* ROMA, hoc eſt plorant Romani. Hinc fit, quod per hanc metaphoram animentur Vrbes, Regiones, Regna, vt *In luctu in ſqualore iacebit Orbis totus die extrema iudicij.*

A MOTV exprimitur ſubiectum attributionis mediante aliquo motu: & ab hoc prædicamento incepi illud elogium in commendationem philoſophię, *Adeſdum, qui dubio adhuc* FLVCTVAS *ſcientiarum in Pelago,* AGITATAM *mentem, in ſpem erige portus:* ab hoc prædicamento dicitur etiam *ingenium* VELOX, *animus* FLVCTVANS. Motus etiam poni poteſt pro adiectiuo, ac ſi vicem gereret differẽtiæ ſpecificæ; ſic LVBRICA *monſtra* ſumuntur pro piſcibus, ERRANTIA *lumina* pro ſyderibus, *aëris* CVRSORES pro ventis, *Meduſæus* PRÆPES, pro Pegaſo.

A prædicamento TEMPORIS Ouidius *totumque tulit prædiuite cornu* AVTVMNVM, hoc eſt tulit omnes fructus autumnales, & Martialis ſuper racemum clauſum hyemali tempore intrò ampullam vitream feſtiuè iocatur AVTVMNVM *ſterilis ferre iubetur hyems.*

Ab HABITV dicuntur PRÆTEXTATI *mores* hoc eſt pueriles, quia prætexta, veſtis erat, qua induebantur pueri, & Seneca ſic pingit mollem Herculem *crinemque* MITRA *preſſit, & famulam*

ſtetit,

Ilectit, Hirtam Sabaa Marcidus MYRRHA *Comam:* ab hoc prædicamento ſumuntur etiam inſignia, vt ſunt ſceptra, diademata, purpuræ: quia Tyrannus induit purpuram; Seneca ad exprimendum, quod Tyrannus inſomnes percurrebat noctes ſumpſit habitum; hoc eſt purpuram pro ipſo Tyranno Imperatore, & dixit, *Vigileſque trahit* PVRPVRA *noctes;* Regum *vitia* dicuntur CLAMIDATA ab habitu, vel *conſpicua ſunt ſcelera, quæ* OSTRO *lucent*, vbi ſumitur habitus, & applicatur vitio; poſſunt ſumi inſignia, magiſtratus, ſtemmata, vel inſtrumenta, & ille politicus, dixit, *Quod Reip. ſecuritas ſit* SECVRIS hoc eſt iuſtitia: dicitur etiam *Infirma capita onerat* CORONA *non ornat:* ab inſignibus victoriæ Tullius arguit Piſonem natum ex parentibus, qui pluries triumpharunt in bello, *Ex illo ſeminario triumphorum arida folia* LAVREÆ *retuliſti*, & alibi LAVREA *illa magnis periculis parta, amittit longò tempore viriditatem*, & Claudianus de ſponſa Palladij *Mauortia Matris nobilitas* SPOLIIS, ARMISQVE *exultat auitis.*

EXPENSIO DECIMA.

De Metaphora Aequiuoci per decem Prædicamenta.

COpioſam argutiarum meſſem nobis ſuggerit æquiuocatio, & ſi Venus, vt Poëtarum fatentur commenta originem ſuam traxit è mari, ſic ab æquiuocatione omnes dicendi Veneres feliciori ſorte oriuntur: differt hæc metaphora æquiuocationis à præcedentibus, quia vbi illæ ex differentia conceptuum nomina mutant, vt cũ *niues* dicuntur *canities* ſeneſcentis anni: è cõuerſo ęquiuoca ex vnitate nominis conceptũ mutant, vt cũ dico *Remp. ſecuriùs nòn tueri, quam* SECVRI, ſcilicet iuſtitia: ęquiuoca ſunt ea quorum nomen eſt idem, res verò ſignificatæ per nomen ſunt diuerſæ: vt hoc nomen *Leo* ſignificans *ſignum Zodiaci, & animal terreſtre*, quia *Populus* ſignificat *arborem, & multitudinem gẽtium*, argutè dicitur, *dum cecidit Phaëton* POPVLVS *fleuit*, ſed *dum cecidit Nero* POPVLVS *riſit*, Ariſtoteles loquens de hac metaphora 3. Rhet. cap. 11. ait, *Omnia etiam probantur, cùm per æquiuocationem nomen affertur.*

Ab æquiuoco feſtiuè iocatur Marianus ſuper portam, quam Romæ vocant Sancti Pauli, quæ porta olim à Priſcis Tergemina

vocabatur, quia ea ipsa est, ex qua tres Horatij contra Curiatios misso in compendium bello processere. Nunc nomine D. Pauli, qui hac Ostiensi via caput flexit sub gladio, & tres fontes erupe-runt, quos inde auxerunt suo sanguine Christi Martyres ibidem trucidati;

Si via, si porta hac vos ducit ad OSTIA *Tybris;*
Ducit, vbi multa est HOSTIA *cæsa Deo,*
Si propè Testarum Montem, propè vasa locatur;
Concidit hac Paulus, VAS *quoque Paulus erat.*
Dicite Tergeminam, numero de gentis Horatij,
Tergeminam terno dicere fonte volo;

Nec minùs iocosè æquiuocatur super prædurum Scipionem, seù baculum D. Pauli;

Errabat Paulus per DVRA *, per aspera victor:*
Quid ni? si fueras, scipio DVRE, *comes:*

Et super viam Salariam, per quam olim Sabini sal exportabant è littore maris in proprias Vrbes:

INSIPIDAM *ne crede viam, cui nomina prisca*
Fecit ab aduecto turba sabina sale.
Sal etiam terræ fuerant, quos terra cauernis
Hæc tenuit: flexo quære sepulcra genu,
Sed FATVAS *Veneris caue, ne respexeris ædes,*
Ne salis in statuam tu malè SALSVS *eas:*

Alluditur ad vxorem Lòth.

Festiuè etiam excipitur Pons eiusdem viæ salariæ;

Gustat perpetuas Pons iste salarius vndas:
Quis scit, an & faciant nomina SALSA *sitim.*

Iocosum quoque æquiuocum nobis suggerit Pan Numen pasto-rum, ac marmorea statua, salientis vndæ fontem effundens;

Pan effundit aquas; abeas quicumque famescis;
PANE *nequis solo viuere: sed bibere.*

Lini nomen quoque æquiuocum sumitur pro nomine Pontificis, & pro tela, quamobrem de D. Lino dicitur;

Hoc LINO *dum sacra facit, Petrus vtitur, aptat*
Retia, velatum stat muliebre caput.

Iocosam festiuitatem etiam producit illa æquiuocatio SS. Vitalis, & Agricolæ MM.

Sanguinis, vt sacri ferrent tibi Christe racemos.

Hi duo

Hi duo certarunt VITIS, *&* AGRICOLA.

Et de Sancta Daria Virgine à Leone in lupanari seruata, ne violaretur ab insanis militibus habetur amæna hæc æquiuocatio, in qua alluditur ad Leonèm, & Virginem signa Zodiaci simùl iuncta:

Ergo vel in Cælo VIRGO *est benè iuncta* LEONI,
Si Leo sic arcet damna pudicitiæ.

In quamdam puellam optantem castra sequi hæc habet scitus Poëta,

Lis magna est inter castos, & CASTRA: *puella*
CASTA *igitur timeat Martia* CASTRA *sequi.*
Proxima, nam quantum sunt hæc duo nomina; tantùm
Dissita longinquis moribus esse solent.
Cum Venere at contra, magna est concordia Martis,
Heu fuge tu Martem, ni cupis esse Venus.

De Medico paupere;

Venisti nostram laceris MENDICVS *in Vrbem,*
Paulùm mutato nomine fis MEDICVS,
Pharmaca das ægroto: aurum tibi porrigit æger,
Tu morbum curas illius, ille TVVM.

De Erasmo viro stolido,

Cum verbum sit ERAS, MVS *nomen, quid sit* ERASMVS,
Ingenio Lector colligat inde suo.

Super virum caluum, ac facinorosum per æquiuocum anagrammasticum.

Quæritur in capitis frondosi vertice, quare
Non habeat CRINEM *Carbulo,* CRIMEN *habet.*

Et hoc aliud,

Vt visco capiuntur aues (FISCVS, *quasi* VISCVS
Dicitur) à fisco sic capiuntur opes.

De fure. *Latronum* FINIS FVNIS, *mors vltima merces.*
FVRCA *capit* FVRES; *hinc puta nomen habent.*

Iocosa est etiam æquiuocatio super Rhetoricam comparatam à Zenone manui apertæ, & Dialecticam manui in pugnum collectę:

Rhetorica est palmæ similis, Dialectica pugno,
Hæc PVGNAT, PALMAM, *sed tamen illa refert.*

Lepidum quoque est quintuplex anagramma de fide *recta*;

RECTA *fides* CERTA *est*, ARCET *mala schismata, non est,*
Sicut CRETA *fides fictilis, arte* CARET.

De

De Prosa, & versu;

Cur vinctus velocior est, quam sermo SOLVTVS?
Iste PEDES *sermo non habet; alter habet.* (ticè;

Super nomen Prisci viri octogenarij benè æquiuocatur anagrāma-

Cur non sunt, vt erant CRISPI *tibi* PRISCE *capilli?*
PRISCVS *ego nunc sum, qui modo* CRISPVS *eram.*

Quia à Galeno nomine, per anagramma purum habetur Angelus festiuè iocatur super nomen per argumentum fallaciæ ęquiuoci.

Galenus Anagramma purum *Angelus*
Angelus es: bonus anne malus, GALENE? SALVTIS
Humanæ custos? ANGELVS *ergo bonus.*

Quamobrem sub ratione æquiuoci comprehenduntur quoque Anagrammata, Aenigmata, & omnes illæ voces, ac propositiones quæ sensum ambiguum faciunt. Anagramma *est litterarum traiectio, seù transpositio*, vt Roma *Amor Mora Ramo Maro*, hæc anagrammata sunt pulchra, & fuerunt causa, quod multa ingenia luderent, seù obluderent, vt fecit Scaliger in satyrico distico, acuto tamen; & alibi quia Fabius trahendo moras Romam defendit ab obsidione Annibalis;

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Si sæpè arma iuuant, sæpiùs ingenium.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Defensa est Parua Maxima ROMA MORA.

Non tamen necesse est, quod voces anagrammaticæ semper significent; quia paucæ litteræ, aliquando merà ordinis alteratione innumeras voces parturiunt; vt videre est in voce MARE, quæ videtur mysteriorum pelagus; & quatuor dictiones supra viginti parturit, vt patet in subiecto exemplo;

MARE	AMRE	RMAE	EMAR
MAER	AMER	RMEA	EMRA
MRAE	ARME	RAME	EAMR
MREA	AREM	RAEM	EARM
MEAR	AEMR	REMA	ERMA
MERA	AERM	REAM	ERAM

Elegantiora sunt tamen, quæ aliquid significant pertinens ad subiectum supra quod texuntur anagrammata; vt fuit illud Francisci Bencij super Gregorium Decimum Quartum Summum Pontificem GREGORIVS DECIMVS QVARTVS *Murus custodia-*

que

que Gregis. Vel hoc aliud pro Clemente Nono, qui post Alexandrum Septimum assumptus est ad Summum Pontificatum CLEMENS NONVS, *En mons lucens*, MONS quippè fuit ingenij sublimitate, perspicacitate mentis, gentis nobilitate, LVCENS virtutum myriade; pulchro etiam vtitur anagrammate Ecclesia in hymno Mariano dum intonat, *sumens illud* AVE, *Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans* EVÆ *nomen*, quia mutatis litteris EVA AVE.

Anagrammata ne dum fiunt mutatione litterarum eiusdē vocis; verùm etiam dictionum eiusdem carminis, quāquam variatio dictionum non variet sensum, vt sunt hæc quatuor carmina;

Viuat Fernandus Quartus, spes altera mundi.
Fernandus Quartus mundi, spes altera viuat.
Mundi Fernandus Quartus, spes altera viuat.
Fernandus Quartus viuat, spes altera mundi.

Hæc autem species Anagrammatum vocatur Proteus, differunt igitur Proteus, & anagramma, quod in Proteo mutantur dictiones integrę; secùs in anagrammate tantum litteræ. Difficiliores sunt sensus illorum carminum; in quibus vel litteræ, vel syllabæ taliter construuntur; vt structuræ plurium versuum seruiant, & istæ litteræ, seù syllabæ dicuntur metricæ replicationes: quia penes philosophos replicatio corporis, tunc est; cùm idem numerò corpus reperitur in pluribus locis simul, & semel; sic metrica replicatio est, cùm eadem littera in duobus carminibus reperitur: considera benè subiectas lineas metricas.

Qu s d t fu str
o anguis irus risti de nere auit
H s m ch vul l

Hæc duo carmina magna sunt digna consideratione, & leguntur tali pacto;

Quos anguis dirus tristi de funere strauit:
Hos sanguis mirus Christi de vulnere lauit.

in quibus præpositis lineis metricis, tu vides vnam litteram, ac syllabam in duplici carmine; hisce similia hæc duo alia carmina exhibent Christophorus Heluicus, & Conradus Bachmannus lib. 2. artis poëticæ pag. 319.

Quæ

Quæ		P		propter pec		per	
	ira Dei		atris		cata		emit
M		fr		facies pla		red	

Hæc carmina artificiosè composita sensum abtrusum quoque inuoluunt: leguntur autem tali pacto,

Quæ ira Dei Patris propter peccata peremit,
Mira Dei fratris facies placata redemit.

Quia Christus vocatur, & est *Primogenitus in multis Fratribus*, ideò possumus, & nos congruo sensu dici *Dei Fratres*, dicitur *mira facies* per synedochen sumitur enim pars pro toto, quia per Christi humanitatem redempti fuimus.

Atqui ne dum plures syllabæ possunt habere locum in duplici carmine; sed etiam voces integræ, vt videre potes in subiecto carmine:

	Sancta		Mundi		
Salue	Virgo	parens	Mundi	Regina	Supremi.
	Pura		Orbis		

Inter species anagrammatum ponuntur pariter illæ voces, quarum, quælibet littera integram significat dictionem; quia CHAOS est quinque elementorum indigesta commixtio: itaq; si sumatur prima quæque littera horum elementorum component hanc vocem CHAOS. Quod elementa sint quinque fuit antiquorum sententia, licèt non admittatur apud modernos, volebant enim antiqui, quod elementa essent *Ignis, Aqua, Aër, Terra, Cœlum*, seù, vt alij volunt, sunt *Calor, Algor, Humectas, Siccitas, Olimpus:* primæ igitur litteræ horum elementorum dant dictionem CHAOS,

C *Calor*
H *Humectas*
A *Algor*
O *Olympus*
S *Siccitas*

& quidem Olympum, seù cælum esse elementum quintum; est quoque dogma Aristotelicum; & tam receptum in Peripateticorum schola; vt Marcus Marci Valerianum magnum virum doctissimum ignorantiæ probro redarguat, eo quia dicit mundi elementa esse tantum quatuor; cum Aristoteles posuerit quinque. Isti igitur quinque characteres immixti, scilicet C. H. A. O. S. quinque elementis ordine carentibus correspondentes CHAOS efficiunt, de quo Ouidius iuxtà illud Moyseos Genes. 1. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ super faciẽ abyssi,* ait Ouid. Metamor. 1. *Ante*

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia Cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe.
Quem dixere Chaos, rudis, indigestaque moles.

tibi non displicebit hæc alia æquiuocatio per prædictas primas litteras plurium dictionum, quà æquiuocatione expenduntur omnes virtutes, quæ relucere debent in Monacho, ac viro religioso.

M	*Modestus*	cùm nomen Monachi compositum sit ex virtu-
O	*Obediens*	tibus, in ipso relucere debent omnes virtutes; vt
N	*Nudus*	eius lux luceat coram hominibus, & videant
A	*Amans*	opera illius bona, & glorificent Deum: mens
C	*Continens*	Monachi hortus est, tunc hunc hortum benè
H	*Humilis*	arat, cùm illi virtutum Myriades exarat, benè
V	*Verax*	colit, cùm Deum colit: benè irrigat, cùm lachry-
S	*Simplex*	marum riuulis, vel propria, vel aliena lauat pec-

cata, crescunt segetes, cùm humilitate præmitur, in ipso luxuriant rosæ, quando charitate feruescit: abundant diuitiæ, cùm paupertatis leges inuiolabiles seruat.

Vltima denique species æquiuocorum est Aenigma vox græca: nec mireris si omnes latini sibi vsurpent hanc vocem, quia eò iam præcessit græcizandi libido, vt magis clarè pateant voces græcæ, quam latinæ, & sæpè si latinus esse velles obscurus fieres. Vulgus græcis delectatur vocabulis, & multas voces græcas etiam in latino idiomate sibi vsurpat inter cæteras hæ voces græcæ sunt frequentiores. *Cacochymia*, & est idem, ac latinè Redundantia vitiosi humoris, *Dysphonia* asperitas vocis, *Dyspnœa* respirandi difficultas, *Dysophria* impatientia, *Dysphilus* amicus parum sincerus, *Dysopia* pudor vitiosus, *Anadiplosis* reduplicatio, *Anatheosis* latria, seù cultus Dei rectus, *Anathēma* cum penultima longa, donum Deo dicatum, ac iam tholis suspensum, *Anathema* cum penultima breui excommunicatio, *Anathymiasis* euaporatio, seù suffimentum, *Anatocismus*, annua renouatio vsuræ, *Anaxyrides* braccæ longis femoralibus auro pictæ, ac versicolores, *Anchistrophus* mutabilis, *Anazeuxis* motio castrorum, *Andragathema* res fortiter gesta, *Andragathetes* strenuitas, *Andrago* virago, *Asotus* lasciuus, *Philotimus* ambitiosus, *Kyrios* Dominus, *Kyrie eleison* Domine miserere, *Phædrus* hilaris, *Phænomena* apparentiæ planetarum, *Phaëton* splendens, *Phagena* edacitas summa, *Phæax* epicureus, seù voluptarius homo, *Phacos* lenticula faciei, seù macula,

Phalera equorum ornamenta, *Philema* osculum, *Philobarbaros* amans barbariem, *Philippos* equorum amator *Philocrestus* amans bonorum, *Philodemus* amans populi, *Philosophus* amator sapientię, *Philautia* amor sui ipsius, *Phragmus* ordo dentium *Phrenoschema* mentis species, vulgò impresia, *Physes* gemmæ artificiosæ *Physica* scientia de rebus naturalibus, *Phytalia* locus arboribus consitus, *Agaros* vermiculus, hinc homunculus, dicitur quoque *Agaros Achna* leuis festuca, *Mysos* odium, *Peria* Paupertas, *Mythologia* fabulosa narratio, *Mythologus*, qui fabulas scribit, *Episimasia* designatio *Pemma* machina artificiosa, *Agonista* certator, *Antagonista* aduersarius, *Agonotheta* munerarius, seù agonis præfectus, *Agonisma* præmium certaminis, *Agonisterium* locus certaminis, *Agogus* Pedagogus, *Megaligoria* iactantia, *Thauma* miraculum, *Thaumastus* mirabilis, *Thaumaturgus*, qui facit miracula, *Ecthypa* originales picturæ, *Chroma* ornatus, *Ergasterion* officina, *Chresis* vsus, *Eudemonia* felicitas, *Sphalma* error, *Sylloge* collectio, *Exephebus* qui pubertatem exiuit, hoc est annum sextum decimum, *Exhomologesis* confessio, seù actus illi, quibus palam testamur nos peccasse, *Exomaosis* effictio, quà simulacrum rei alicuius exprimitur, *Exomosia* abiuratio, *Exoplisis* instructio in armis, *Catechesis* instructio, *Morodia* stultitia, *Synaxaria* vitæ Sanctorum, ac Martyrum in Compendium redactæ, *Synaxis* conuiuium, vel communio sacrosancta, quasi confractio *Synes*, item congregatio ad orandum sacra mysteria, *Syncatathesis* assensio, seù approbatio, *Encyon* prægnans, mulier grauida, *Endecas* vndecim, vnde *Hendecasyllabus* est versus constans ex vndecim syllabis, *Endecaetes* qui vndecim est annorum, *Endacrys* qui plorat, *Endelechismus* perenne sacrificium mane, & vespere *Encyrtos* obliquus, incuruus, *Endexius* faustus, propitius, *Enchryphias* panis subcinericius, *Encycla*, seù *Encyclopædia* scientia vniuersalis, liber agens de pluribus scientijs, *Oecumenicum* vniuersale, vnde concilium *œcumenicum* vniuersale, *Odyrticus* procliuis ad lachrymas, vt mulier, *Apithanos* persuadendi vim non habens *Apistus* incredulus, *Apirus* inexpertus, *Apiria* inexperientia *abbatus* amens, *abatus* inaccessus, *Vranoscopus* syderum scrutator.

Oenigma igitur est vox græca vniuersis nota, secùs vox huius significati, quæ apud latinos æquipollet ferè omnibus ignota est, Gellius lib. 12. cap. 6. *Quæ græci dicunt Oenigmata, hoc genus quidam*

dam ex nostris SCRVPOS *appellarunt*; & tamen, si tu dicis *œnigma* ab omnibus intelligeris; sin verò *scrupum*, vix à paucis. Oenigma igitur est obscura quædam, sed exacta descriptio, quæ proprietates, & accidentia descriptæ rei enumerat; quorum singula seorsim sumpta, alijs competere possunt; omnia tamen simul non possunt, in œnigmate debent congeri circumstantiæ obscuræ, quæ aliam rem omninò diuersam insinuare videantur: inter cætera, elegantius œnigma, quod legere potui, hic subijcio.

OE N I G M A.

Quis sim scire cupis? tibi, Lector candide prodo.
Infectus non sum, nec factus. Nosco parentes,
Et Solem, & Lunam. Procedo à Patre frequenter,
Sed sine Matre: tamen procedo à Matre frequenter,
Sed sine Patre; duas geneses sum iussus habere.
In neutraque lacus Veneri datur: inter Iberos
A Venere exortus dicor: qui hoc dogma tuentur,
Non sunt Haretici. Sum passus stigmata, flammas
Sustinui plagas etiam; percussus honore.
Et meritis cresco. cruce donor. Sum gratus vbique.
Vinumque, & Panis, si vis conuertitur in me,
Ex vi verborum, atque iterum conuersio tota
Venerat vnde redit. Vario sum cognitus Orbi
Nomine; Consilij magni vocor Angelus; Alter
Si baculum scalamue petat mensurus Olympum
Ipse Iacobus ero: si insurgant vndique gentes
Ad me confugias, ero scutum tempore belli,
Si vafro infelix tandem capiaris ab hoste,
Ipse Redemptor ero: Lytro pretioque salutis,
Corpore qui carent nostro, mihi crede, carebit.
Hæc satis. Exposui, quis sim. Venerabile, Lector
Me esse Sacramentum si affirmas, falleris; ergo
Si me nouisti proprio me nomine prode.

Plerique ausi sunt his versibus describere Christum Dominum falsò tamen, & licèt multa intelligi possint de Christo Domino, attamen sine errore in fide non possunt omnia intelligi: omnia facilè complanabo, & primò certum est Christum duas generationes, ac naturas habere diuinam, & humanam; in diuina pro-

cedit à Patre sine Matre; secùs in humana procedit à Matre, sine Patre; passus est, vt homo, vsque ad mortem, vt genus humanum lapsum propter crimen Protoparentis redimeret. Conuertitur in panem, & vinum ex vi verborum, vocatur Magni Consilij Angelus, scala Iacob, qua mediante homines Cælos ingrediuntur. Enucleabo modo, quæ ex prædictis carminibus conuenire possunt Christo Domino, & quæ non.

Prima verba *Infectus non sum, nec factus*, possent videri his similia, *Genitus non factus consubstantialis Patri* &c. hæc alia verba, *Duas geneses sum iussus habere*, duas denotarent Christi naturas; illa tamen particula *iussus* non potest in rigore dici sine errore; illa *Nosco parentes & Solem, & Lunam*, etiam Christo cõueniunt: quoniam Pater æternus *Sol est, & Pater luminum*, & Christus *splendor Paternæ Gloriæ, de luce lucem proferens:* Luna Virgo Mater intelligitur, quæ ab Ecclesia *pulchra vt Luna* dicitur; itaque Christus à Sole; hoc est à Patre æterno sine matre procedit, & à Luna, scilicet à Virgine sine Patre nascitur, *In neutraque locus Veneri datur*, quia Maria post partum Virgo permansit, illa quoque verba, *Sum passus stigmata, flammas sustinui, plagas etiam; percussus honore, & meritis cresco; cruce donor; sum gratus vbique:* Christi passionem explicant, & illa *Vinumque, & Panis si vis conuertitur in me, ex vi verborum; atque iterum conuersio tota, venerat vnde redit*, ad Eucharistiam spectant: illa quoque *Vario sum cognitus Orbi Nomine*, Christo non repugnant, qui vocatur *Magni Consilij Angelus, Cæli scala, Redemptor, pretium salutis &c.*

Verba, quæ non possunt conuenire Christo sunt, *Procedo à Patre frequenter, à Matre frequenter*, hoc sine hæresi non potest dici, quia si diuinitùs frequenter nasceretur: formaliter in ratione filij non esset amplius æternus: humanitùs quoque de fide est, semel Christum natum fuisse à Virgine: illa *Duas Geneses est iussus habere* non possunt dici, quia si iussus est à Patre; ergo est minor Patre, vt olim delirauit Arrius, negando, Filium esse consubstantialem Patri; qui error fuit damnatus in Cõcilio Nicæno: demùm illud *Flammas sustinui*, propriè non potest dici de Christo; quia in tota sua passione flammas non sustinuit, vndè tantum metaphoricè posset dici; quatenus propter eximiam charitatem subiuit mortem, vt saluum faceret, quod perierat;

Oenigma intelligitur de Nummo,

Para-

Paraphrasis est quam subijcio, incipit, *Quis sim scire cupis? Tibi; Lector candide dicam*, loquitur per elegantem Aethopœiam Nummus, & describit seipsum. Nummus vt obseruat Gellius est nomen genericum, quod vsurpatur pro quacumque moneta. *Infectus* dicitur nummus, antequam sit elaboratus, & tantum habetur materia rudis metalli, dicitur *nec factus*, quia metallum dicitur factum, quando in vasa, vel in aliam supellectilem est conflatum; nummus verò non dicitur factus, sed signatus, Seneca cap. 1. de beneficijs, *libentiùs donabo argentum factum quã signatũ*; ergò benè nummus de seipso ait, *Infectus non sum, nec factus, sed signatus*, sequitur, *Nosco parentes & Solem, & Lunam*, pro explicatione harum vocum; volo scias; à chymicis *Aurum* vocari *Solem*; Argentum *Lunam*; Cuprum *Venerem*. Cuprum est quoddam æris genus, quod à Plinio æs Cyprium vocatur, hoc supposito; benè de se ait nummus, *Nosco parentes, & Solem, & Lunam*, scilicet aurum, & argentum, *procedo à Patre* Auro, *frequenter, sed sine Matre* argento: vel è conuerso *procedo à Matre* argento, *sed sine Patre* auro, quia aliquando conflantur nummi aurei, aliquando argentei, *Duas geneses sum iussus habere*, quia leges nummos aureos sine mixtione cupri, & argenti; & nummos argenteos cupri, aurique expertes cudi, ac signari præcipiunt. *In neutra datur Veneri locus*, quia vterque nummus cuprum reijcit. *Inter Iberos à Venere exortus dicor*, Iberi vt etiam plures aliæ nationes ex cupro, seù Venere conflant nummos, *Qui hoc dogma tuentur non sunt hæretici*, veritatem enim dicunt, quia nummi, ex Venere oriuntur, seù conflantur ex cupro. *Sum passus stigmata, flammas sustinui, plagas etiam*, hoc est verum dum nummus funditur in crucibulis, & dum signatur in pilis, *Percussus* dum imagine Principis signatur, *bonore, & meritis cresco*, quia nummus signatus effigie Principis plus valet, *Cruce donor*, multi in ipso nummo crucem imprimunt, & Lusitani suos nummos aureos *Cruzados* vocant, & Germani suos asses *Crucigeros*, & quia auro, & argento delectantur homines, ideò *sum gratus vbique*: insuper, quia nummis emuntur omnia, in nummos omnia verti possunt, quia vendi, & quia in contractibus requiruntur verba, iuxtà illud, *Verba ligant homines, Taurorum cornua funes*, benè subiungit, *Vinumque, & panis si vis, conuertitur in me, ex vi verborum, atq; iterum conuersio tota, venerat vndè redit*, quia nummi diuersa nomina

trahunt

trahunt à diuersis nationibus, *Vario sum cognitus Orbi nomine*, quia Angli suos nummos aureos *Angelotes* nominant; *Consilij Magni vocor Angelus*, & qui diues est vbique terrarum supremi consilij rector est, *Iacobos* etiam vocant alios nummos, & multi hisce temporibus per schalam *Iacobi*, hoc est pecuniæ ascendunt ad dignitates: apud Gallos, etiam *scutum* dicitur. Demum; *Si vafro infelix tandem capiaris ab hoste, ipse nummus redemptor ero*, & quia omnia bona temporalia æmuntur nummis, ideò *Corpore, qui careat nostro, mihi crede, carebit* bonis temporalibus. Lepidum quoque est sequens ænigma;

Dic mihi, quæ in cælis extat vox integra, cuius
In terris tantum syllaba prima patet.

Hæc vox est *fel-icitas*, cuius prima syllaba tantum nempè *fel* apud mortales reperitur, integra verò *felicitas* in cælis.

Nec minus argutum tibi videbitur hoc aliud ænigma de Adamo, & Eua, *Ex cœno cœlo natus materno ex vtero prodiui, & nulla mater me genuit; sine patre ortus ligneam nutricem habui, quæ virum non puerum me nutriuit: masculus filiam peperi, & sine coniuge prolem habui, quia mater fui; filia quam peperi mihi nupsit, cuius eram mater mascula, hæc vno partu filium mihi, & nepotem genuit.*

Aequiuocatio aliquando etiam relucet in similitudine vocum, vt est illud Achabi Regis, qui suadente Iezabele coniuge Nabothum occidit, vt eius vineam sine obstaculo raperet. *Fudit Achabus innocentis sanguinem, vt ex eius vinea merum biberet, Libithinæ vsus falce non* VITEM, *sed* VITAM *vindemiauit, ac prælo subiecit, vt non vinum, sed cruorem hauriret.*

A prædicamento SVBSTANTIÆ, quia carbunculus significat, & *gemmam*, & *pestem* Augustus scribens ad Mecenatē hoc æquiuoco iocatus festiuè fuit inquiens CARBVNCVLVM *habeas*, vbi Mecenas intelligebat *gemmam*, è contra Augustus *Pestem*, D. Augustinus fatetur *Caluarium* montem, sic dici æquiuocè à *calua* primi Parentis, cuius caput ibi fuisse sepultum fatentur multi: & quia in visceribus Tarpei montis primi Romæ conditores humanum inuenerunt *Caput* illicò æquiuocè arguerunt Romam fore Mundi *Caput*: & de Caino occidente Abelem fratrem suum: *Ne fraternæ litarent victimæ*, VICTIMAM *fecit fratrem; primus hic flagitiorum author mortem inuenit, & inuexit horruit mors expiandis*

plandis sceleribus nota, & primos sibi aditus per innocentis iugulum frangi. Cyrus dicitur Rex inter pastores, & pastor inter Reges: & de Abele Adami filio authore pastoritiæ per æquiuoca ait Thesaurus. *Mortalium innocentissimus artium Innocentissimam reperit, scilicet pastoritiam optimi principatus Imaginem, nam errantium pecudum populo sub lege misso Regale munus, & gregale permiscens pedum pro sceptro gestauit, itaque Rex inter oues, ouis inter Reges obsequentissima lanigerorum Resp. imperando seruiuit, seruiendo imperauit, non iugulo tributum imposuit, petebat sine naufragio Phryxeas opes è caula; nam pro auro velus erat, & germanum vocabulum retinente pecunia pecus* TONDEBAT *non populos*. Aequiuocatio aliquando fit per additionem, vel demptionem syllabarum, vt est illud apud Cornificium, *Demus operam ne patres conscripti* PATRES CIRCVMSCRIPTI *videantur*, vel illud aliud PETIT, *quidquid* APPETIT. Aliquando etiam æquiuocatio sita est in mutatione syllabarum, vt est illud Anagramma purum *laudator* est *adulator*; aliquando etiam in diuisione syllabarum, vt est illud Distichon;

Quid FACIES, FACIES *Veneris cum veneris ante,*
Non sedeas, SED EAS: *ne pereas* PER EAS.

Ab æquiuoco festiuum est etiam subiectum carmen Italicum, quo describitur Citharedus calculo laborans, ac animam agens;

D'Orfeo non è, nè d'Anfion la Cetra,
Ch'io tratto, e pur da' SASSI *ella è seguita;*
Ogni SASSO *è vn strale, ond'hà forbita*
La Morte à danni mei la sua faretra:
Da impetrito furor nulla s'impetra,
Fatti i CALCOLI *hormai son de la vita;*
Già mi conuien saldar la mia partita,
E la dura sentenza è scritta in PIETRA.
*Noua Medusa d'*IMPETRIRMI *hà cura*
L'interne parti, & è mia vita, ahi lasso,
*Men dureuol all'hor, che più s'*INDVRA.
Per SASSOSO *camin à ciascun passo*
Pauento inciampi, entro vna tomba oscura
Mi fà cader slinto lubrico SASSO.

A QVANTITATE festiua oriuntur æquiuoca præsertim si sumatur

tur quantitas physica pro morali, vel è contra, sic de homine pusillo, sed docto dicitur PARVVS *est,* & MAGNVS, quę propositio sine æquiuocatione videretur contradictoria; & de homine iusto sed gibboso RECTVS *est, sed non* RECTVS, vbi *rectus* in primo loco sumitur moraliter, in secundo physicè, & ei qui tristabatur eo quod in mundo nulla esset iustitia nulla rectitudo respondit argutæ alius; *ne tristeris amice, quia* ORBEM *esse* RECTVM *possibile non est*, intelligendo de rectitudine Physica, quia Orbis essentialiter sphœricus non potest esse rectus: à quantitate discreta Iuglaris incępit primum suum elogium, *Amicus silentij Deus est, semel in tota æternitate locutus* VNO *omnia dixit in* VERBO.

A QVALITATE habetur illud de Adamo, *Ah, quam de minimo periuimus? tantum malum attulit* MALVS: potest etiam sumi qualitas moralis pro physica; vel è contra; sic dicimus *Martyrum constantiam magis* CLARVISSE *inter flammas*, à qualitate sensibili habetur illud Martialis lib. 2. epis. 8. in Posthumum;

> *Hoc mihi suspectum est, quod oles benè Posthume semper,*
> *Non benè semper olet, qui benè semper olet.*

A RELATIONE sumitur vnum nomen relatiuum, quod plura significet, vt est illud Disticon de Rege:

> *Rex regnat solus, cur non regit omnia solus?*
> *Qui regit, & Regitur, rectiùs ille regit.*

Ab ACTIONE habetur illud, Adami apud Thesaurũ *Ex Rege Agricola, quia Numen non colui terram colui*, vt etiam est illud super Saturnum proprios comedentem filios EDIT, quos EDIT, & illud super quendam Rhetorem magis aucupijs volucrum præstantem operam, quam literis, *Citiùs camporum* LEPORES, *quam Oratorum* LEPORES *assequeris*.

Et de fama, quę *Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo*, cecinit ille:

> *Soura l'ali del falso hor buona, hor trista,*
> *Velocissimo mal la fama vola,*
> *Vola, e nel suo volar gran forze acquista,*
> *E quanto vola più; più il vero inuola.*

A SITV lepidum est, ac simùl Satyricum illud super Neronem propriam iugulantem matrem;

> *Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem,*
> SVSTVLIT *hic matrem*, SVSTVLIT *ille patrem.*

A prædicamento TEMPORIS argutè æquiuocatur super filias

Iob,

Iob, quas peperit poſt paſſam calamitatem. *Tres poſt calamitatem peperit Iob filias; ſcilicèt, vt grates perpetuò Deo perpenderet, monitus eſt numero* GRATIARVM. *Primam appellauit* DIEM; *nempè vaticinatus erat verum, cùm dixerat poſt tenebras ſperare* LVCEM: *& quis eum Solem negabit, ſi Pater fuit* DIEI. *Secundæ filiæ nomen indidit* CASSIÆ *ab odorato frutice: mirum ſanè; qui iacuit in ſterquilinio; genuit ex ſe* FRAGRANTIAM. *Tertiam* ABVNDANTIAM *appellauit; nec mirum ſe abijciens in fimum, agrum ſtercorauerat non poterat, niſi Abundantiam parere.*

A LOCO nec minorem amænitatem habet illud ſuper Diuum Alexium,

Ignoti maior laus eſt, & gloria Alexis,
Nunquam tam celebris, ni latuiſſet erat.

Et de Chriſto nato;

Nato CAVLA *fuit Paſtoribus illa patebat,*
Sed tamen, & patuit Regibus AVLA *fuit.*

A loco iocatur ſeriò ſuper ſeparationem D. Petri, & D. Pauli, dum properabant ad ſubeundum martyrium; adeſt etiam Romæ huius ſeparationis memoria, quà Diuus Paulus feſtinabat ad aquam iugiter manantem; D. verò Petrus ad Ianiculi faſtigium, ſenili pede tendebat;

Hinc Paulus, quaſi VAS *manantes pergit ad vndas;*
IANICVLVM *ſuperi* IANITOR *Orbis adit.*

A loco benè etiam iocatur ſuper puteum, in quo corpora Diui Petri, & Pauli fuere humata:

Hoc Petrus, & Paulus puteo iacuere repoſti;
Nec ſtupor, in Puteo ſi PETRA, VAS*que latent;*

Quia aſſurgit Vaticanæ Baſilicæ ſtructura è ruinis hortorum Neronis: à loco dici poteſt, *Quod Imperator crudeliſſimus ſuſtineat; cum maiori parte Corporis D. Petri, etiam eius capaciſſimum Templum, cuius* SPIRITVM SVSTINERE *non poterat.* A loco etiam natalis Veneris, lepidè iocatur ſuper quamdam Virginem inſignem forma, ac pudicitia in mari merſam.

En ſinus immitis pelagi, quo merſa puella,
Tam forma inſignis, quam benè caſta, iacet.
An quia bina VENVS, *ſpumoſis altera naſci,*
Debuit ex vndis, altera rapta mori?
Aequoris vt maculas Virgo memoranda pudore

Eluat occumbens, quas tulit orta Venus.

A loco etiam amænitatem parit illud ſuper dictum, *Patria ſapientis omnis terra.*

Eſt domi vbique bonus ſapiens, non exulat vſquam
Omne SOLVM *forti Patria, & omne* SALVM.

De illo ſuperbo viro, qui ſepulchri ſtructura magnifica volebat ſibi immortalitatem captare;

Ne pereat tua fama ſtruis tibi Paule ſepulchrum,
Tamquam non poſſint IPSA SEPVLCHRA MORI.

Et de Amoris inconſtantia,

Vſque fluit fugitiuus amor refluitque viciſſim,
Vt mare, quid mirum, nam Venus orta MARI,
Nulla fides Veneri; leuis eſt, interque planetas,
Ponitur (haud inter ſydera FIXA*) Venus.*

A MOTV tritum eſt illud ſcomma *nil* PRÆPES PERPES, vel illud aliud Ariſtotelis *Non oportet* PEREGRINVM *ſemper eſſe* PEREGRINVM.

Ab HABITV feſtiuum eſt illud de paupere ſepulto,

Vita mihi exilium; requies at certa ſepulchrum,
Nudus eram viuus, mortuus ecce TEGOR.

De homine etiam naſcente, & moriente;

Ex vtero matris veniſti nudus in Orbem,
In terram textus ſindone Paule redis,
Plus deferս igitur tecum, quam Paule tuliſti,
Plus REDDIS *matri, quam* DEDIT *illa tibi.*

Et de Chriſto nato, ac nudo,

Cur iacet inueſtis, qui veſtibus omnia donat,
Has ſibi detraxit, quas dedit ille tibi.

Feſtiuè etiam comparatur ab æquiuoco in prędicamento habitus Diuus Franciſcus cum Chriſto.

Exue Franciſcum tunica, laceroque cucullo,
Qui Franciſcus erat, iam tibi Chriſtus erit.
Franciſci exuuijs (ſi quà licet) indue Chriſtum.
Iam Franciſcus erit, qui modo Chriſtus erat.

Et ſuper Virginem quandam, cui nomen erat Margarita, quæ vna cum alijs Virginibus intrò aurigeram quadrigam aſportabatur feſtiuè iocatus eſt Italus Poëta æquiuocando ſuper nomen Margaritæ ſignificans fœminam, & gemmam.

Ne

Ne sia stupor, se con le gratie in choro
Vada tra l'ori vn bel Nume raccolto,
Conuien legar le MARGARITE *in oro,*

Facilem tamen modum inueniendi æquiuoca suggerunt vocabularia, Calepinus, Amalthea Onomastica; sunt enim legendi hi libri attentè, quia vbique materiam suggerunt æquiuocandi v. c. tu legis sub litera, t, tela, æ, est ea, quæ texitur, deindè sub hac voce legis telum, i, & significat sagittam, ecce quam argutè iam potes æquiuocare, sic de milite molli, ac Veneris illecebris dedito alius dixit TELA *potiùs, quam* TELA *te decet*. Sub litera, i, legis *Inuolucrum*, & significat lintheum tonsorum, & inuolutorium, dic igitur equiuocè *Cauendum est ne candidum inuolucrum obscuræ mortis, sit inuolucrum*, post vocem phrænesis tu legis phronesis, & est sapientia, iam de illo Monacho, qui fingebatur stultus, vt ab omnibus contemptus ad perfectionis apicem perueniret, posses dicere PHRÆNESIS *illa* PHRONESIS *fuit*, tu legis vocem *plaga, æ*, quæ significat vulnus, & rete aucupij, de Christi vulneribus petes dicere *Christi* PLAGÆ *amoris sunt* PLAGÆ, vel Christi vulnera nobis non sunt vulnera, sed pharmaca,

Pharmaca sunt potiùs, quam vulnera, vulnera Christi,
Curat enim plagis vulnera nostra suis.

EXPENSIO VNDECIMA.

De Metaphora Hypothiposis per omnia prædicamenta.

HYpothiposis super alias figuras eminet, quia dat motum, ac animam etiam rebus inanimatis est enim figura, quæ rem ponit præ oculis: vndè illius specifica differentia est expræssio obiecti ad viuum, qua taliter exprimatur, vt potiùs videatur esse obiectum potentiæ visiuæ, quam auditiuæ. A substantia dicitur, *Aurum sua luce homines* OBCÆCARE. *Aurum metallorum principem, hominumque tyrannum humana pectora* EXCRVCIARE, Ouidius animando substantiam aëris, scilicet ventos dicit, *Bella* GERVNT *venti', fretaque indignantia* MISCENT; vbi etiam dat animam, ac passiones aquæ, & mari, Inquiens *fretaque* INDIGNANTIA, & Virgilius *Pontem* INDIGNATVS *Araxes*, vel illud aliud *Immaniaq; ossa serpentum, passim tumulis exanguibus* ALBENT.

A QVANTITATTE exprimitur aliquod obiectum quantitatiuū, mediante aliqua actione, Seneca loquens de grandi Cic. Ingenio dixit, *Illud ingenium, quod solùm Populus Romanus par Imperio habuit :* à quantitate figuræ dicimus ACVTVM *Ingenium: Ignorantiam* CRASSAM. *Caput* SPHOERICVM. *Hominem* QVADRATVM. GRANDESCIT GIGANTESCIT *mare,* scilicet augetur.

A QVALITATE *adhuc* RVBET *effusus sanguis Martis in area*, & dum volumus exprimere hominem vitiosum, dicimus, *Virum* TETRVM, *ac* FÆTIDVM *siccis oculis spectare cædem, ac stillantem sanguine pugionem ostendere. Virides palmas non alio* CRESCERE *humectatas humore, Bellona in palęstra, quam sanguine.* Apud Claudianum *Spumis* IGNESCERE *fræna :* dicimus etiam LIVESCERE IMPALLESCERE *mare,* CÆCVTIRE *aërem. Rugire frendere. Stragem* MINARI *bellicum clangorem.*

A RELATIONE *Tempus filios suos* ENECAT, & VORANDO *omnia quos edit, edit*; somnus dicitur FRATER mortis; & Fauor Principis SOCIVS fortunæ, vt etiam paupertas MAGISTRA artium.

Ab ACTIONE; *nocturnas umbras* OBCÆCARE *omnia. Sydera* ERRARE *aëreos per campos. Flores* LVDERE *in sinu terræ. Naues* EQVITARE *mare. Sagittas* VOLITARE *per aëra. Fœminas* RVBESCERE *non* ERVBESCERE. *Mare undis suis scopulos* ARIETARE, *in cautes sese* IMPINGERE; *vel mare dum spumas habet rabiem* DESPVMAT. A passione *Mare* EXASPERARI, INSANIRE, FVRERE *à ventis* VAPVLARE, *ac membratim sese* LANCINARE.

Ab actione Cornificius tragico pinxit calamo hominem crudelem. *Iste quotidie per forum medium, tanquam iubatus Draco serpit; aspectu rabido circumspiciens hùc, & illùc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus insecare, lingua aspergere possit.*

A SITV *supini colles lętum coniugium Bacchi amant.* PENSILES *Semiramidis horti omnia fructuum genera producunt.* A situ iocosè describitur à Mariano Roma, eo quia deuastari ab hostibus nunquam potuit, nullus enim reperitur, qui hanc terram insano Marte petiuit, & redierit lætatus violasse;

> *Prouida selegit sapientia Numinis Vrbem,*
> *Hic stabilis sedem condidit illa suam:*
> *Quam neque vis hominum, quam perdere nulla pericla,*

Nec

Nec poterunt Mystæ viribus ignis aqua.
Ardeat æstiuis vesana canicula flammis,
Effluat inuerso Tibridis vnda vado.
Ceu PETRA *flammatos Ecclesia respuit ictus,*
Ceu NAVIS *refluas præualet inter aquas.*

A LOCO; *lilia, ac rosæ vernant in* GENIS *puellæ. Belligerant in* AERE *nubes. Pallor* VVLTVM *tingit. Gladiatoria turba in* ARENAM *descendit. Furens mare suis verticibus nauibus* SEPVLCHRA *fodit, ac hyanti fauce clamantium vota ridens, nautas absorbet.*

A MOTV *in occasus sarcophago sepulto Sole* ERRANTIA *sydera suo parentant Principi:* VOLITANT *per aëra sagittarum nimbi:* EXVLAT *pudor à vultu Veneris.* VOLAT *vndique fama:* FLVCTVANT *cogitationes ciuium inter Reip. seditiones, & suspicio* IRREPIT *in animos omnium; Furente aquilone mare* PERSVLTAT, *ac* BACCHATVR.

A TEMPORE *senescens* HYEMS *vndique venerandam niuium canitiem ostentat*, & in descriptione tempestatis alibi dixi. *Statim atro nubium globo effusa grando, simul varijs vndique procellis incerti fluctus cœperunt prospectum adimere, regimen impedire, & vno tempore vnda gemit, littus mugit, tonat Cœlum, strident antennæ, eiulant Nautæ.*

Ab HABITV dicimus *animum* VESTITVM *omni virtutum genere. Verno tempore arborum series viridibus se* INDVERE VESTIBVS; Et *senescenti Decembri sua deponere* PALVDAMENTA, *ac* SPOLIATAS, *frigoris fieri ludibrium. Orationem nudam argutijs* VESTIRE. *Ridenti sub Tauro viridi* VESTITAM *pallio terrã ridere.*

EXPENSIO DVODECIMA.

De Hyperboli per decem prædicamenta.

HYperbole est veritatis superlatio, atque traiectio, augendi minuendiue causa; vndè duplex assignatur species ex Cic. lib. 3. num. 101. vna ad augendum quæsita, altera ad minuendum excogitata differt ab hypothiposi, quia illa obiecta, & animat, & viuificat: hæc minuit, vel magnificat; sic à prędicamento substantiæ ab Eschine *mus* dicitur MONS, à Virgilio equus Troianus *instar* MONTIS *equus*, & Claudianus vt exprimeret magnam sagit-

tarum

tarum copiam dixit, *& telis* VMBRASSE *diem*, & Ouidius per Hyperbolem plura somnia tali pacto expressit.

Somnia vana iacent, totidem, quot messis ARISTAS,
Sylua gerit FRONDES, *eiectat littus* ARENAS.

Et insani senes Susannæ possunt dici *animata* ÆTNÆ, eo quia sub canitiei niuibus impudici amoris fouebant incendia, & Aetneum incendium per hyperbolem dicitur CATACLYSMVS *igneus*: per comparationem cum substantia maiori, latinus Pacatus sic commendauit Theodosium Imp. *Cedat terra Cretensis parui Iouis gloriata cunabulis, & geminis Delos illustrata numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ. Maius Numen dedit Hispania, quod videmus, scilicet Theodosium.*

A Quantitate Martialis argutè contempsit prædiolum sibi traditum ab amico;

Rus hoc dicere: Rus potes vocare?
In quo Ruta facit nemus Dianæ.
Errasti Lupe, litera sed vna,
Nam quo tempore PRÆDIVM *dedisti*
Mallem tu mihi PRANDIVM *dedisses.*

A QVANTITATE numerica Hecuba apud Senecam, *Et vos meorum liberum magni* GREGES, & Achilles irascens in Agamennonem, nolensque ei vendere opus artificiosum, *nec si mihi dares tot munera, quot arena, & puluis* SCRVPVLOS *habent.*

A QVALITATE *redolentem Arabiam parturiunt nostra prata*, & Virg. *qui candore* NIVIS, *anteirent cursibus* AVRAS.

A RELATIONE Alexander Macedo dicitur *Iouis* FILIVS, & in quibusdam Ruderibus Antiquæ Romæ legũtur inscriptionum isti termini. *Diuinis* FRATRIBVS, *ac semper Augustis. Aeterno Imperatori.* DOMINO *Orbis terrarum. De omni hominum genere meritissimo.* Deuotus numini maiestatique eius: Naturæ vniuersæ amori. Beatissimo fœtui, fortunatissimoque Principi.

Ab ACTIONE Nazarius animat ipsa elementa, sicque Constantini Magni victoriam commendat. *Nondum satis tempestiuo mari. Affuerunt tamen nauigantibus felices auræ, & fluctus secundi beatissimamque victoriam etiam elementa iuuerunt*; & de Phœnice igne combusta, ac renata dicitur. *Natura* LABORAT, *vt æternam rependat auem*, & Fabianus Orator in suasoria Alexandri, *Immanes propone tibi belluas; aspice, quibus procellis fluctibusque*

Oceanus

Oceanus sæuiat, quas ad littora vndas agat NATVRA PENITVS RECESSIT: dicimus etiam. *Nubes in Cælo Phlegræa tanquam in area gigantes, Cælum videri* LACESCERE, *terramque interturbare.*

Ab Actione, & Passione lapsus Phaëtontis Solis filij in Padum fluuium hyperbolicè describitur.

Fumano i Poli, Atlante stesso appena
Con gli omeri sostien cadente il Mondo:
Trema, e s'apre la terra, e nelli abissi
Penetra il lume; onde Pluton ne paue.

A LOCO de Iuuene Amasio dicimus, *Gestare in pectore igneam* ÆTNAM: vel *illius pectus esse Vestalium* TEMPLVM, *vbi perpetuus ignis amor est*, & de sene *gestare in* CAPITE *niuosum Decembrem.*

A TEMPORE *senescens* HYEMS *diuturnis pluuijs amissas telluris opes illachrymatur.* DIVRNO TEMPORE *vocales syluæ animos alliciunt;* NOCTE *videmus squalidas stellas stillas roscidas perpluere.*

Ab HABITV arguta est illa Martialis conclusio, in qua post enarrata varia ædificia, ac Fana à Domitiano constructa, ac Numinibus dedicata; sic ab habitu hyperbolicè concludit;

Expectes, & sustineas Auguste necesse est:
Nam tibi, quod soluat NON HABET ARCA IOVIS.

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De Laconismo per decem Prædicamenta.

LAconica scommata veluti elocutionis gemmæ in breuitate totam includunt argutiarum pretiositatem; sunt veluti adamantes in exili corpusculo magnum pretium includentes; si in Pyrrhi Regis Achate Parnassus totus prospiciebatur, & in Caroli Quinti annulo Horologij rotati machinamentum deuoluebatur, sic laconicis sub dictis grandes latent conceptus. In hac re ars perfectè videtur imitata naturam; nam si in Opallo exiguæ mollis gemmula Carbunculi flammescit ignis, Smaragdi lucescit viror, Christalli clarescit pretiosum gelu, sic plura argutiarum genera

genera laconiſmi in exilitate feliciter vernant: laconiſmus ferè ſemper vnitur cum æquiuoco.

A prædicamento SVBSTANTIÆ *Securitas Reip. eſt* SECVRIS, hoc eſt iuſtitia, quod eſſet idem, ac dicere, *Exercenda eſt iuſtitia, vt Reſp. benè adminiſtretur.* habetur etiam apud Theſaurum illa exclamatio laconica, ac æquiuoca Prothoparentis noſtri. *Ah! quam de minimo periuimus, tantum malum attulit malus*, vbi illa vox æquiuoca *malus* explicat cauſam lapſus Adami, ac totius humani generis: & ſuper pauperem, ſic Satyricè iocatur: *Illuſtrem tum crede, in cuius penatibus Sol ipſe ſemper habitat,* hoc eſt, *tanta laborat paupertate, vt nec etiam tectum habeat, quo à Solis radijs ſe defendat.* Argutum eſt etiam illud Agamennonis Regis, quo arguit Achillis filium, ſcilicet *Hos ſcyros animos?* hoc eſt, an non recordaris te natum nothum, gnatumque ſemihominis, qui vna cum mulierculis nèbat; nec minorem ſpirat ſuauitatem illud Satyricum ſcomma in Domitianum Imperatorem, qui muſchas venabatur, *Hoſtibus muſcha fuit; muſcis hoſtis,* vbi eius imbecillitas, ac puſillanimitas in re militari ſatis exprimitur.

A QVANTITATE *Vndique ſurgunt albicantium Oſſium montes,* ad exprimendam magnam ſtragem in bello, vel ex illis *Carbo noſtra vita comburit ſtamen,* vbi carbo æquiuocè ſumitur pro peſte, quod eſſet idem, ac dicere, *Dum graſſatur peſtis ſicut pallea igne cito comburitur, ſic homines ſolo tactu cadunt*, & de pendente è patibulo dixit ille. Grandior fuit mortuus, quam viuus.

A QVALITATE Philoſophus Ethnicus de Iuuene, qui in Senatu Romano proprij genitoris cauſam defendens erubuerat laconicè dixit à qualitate coloris ERVBVIT *ſalua res eſt*, & de pœnitente viro dicitur etiam PALLESCVNT *cinere ora: ad indicandum maximum diuini amoris incendium, quod fouet in ſinu*, & de homine pernicioſo, qui è patibulo pendebat, dictum fuit *nil magis* PERSPICVVM *egit, quam mortem.*

A RELATIONE dicimus AMICVM *Iudæ*, intelligēdo hominem proditorem, maleuolum, qui ſolum inſidias tendit; vel DISCIPVLVM *Veneris* intelligendo hominem effœminatum, ac carnis illecebris deditum.

Ab ACTIONE *ſcribit ſuper vndas*. FLAGELLAT *Auras*. *Aethiopem* LAVAT, hoc eſt varijs deſudabat in operibus, ſed in caſſum, quia

quia ſuſcepta negotia ad felicem exitum neſcit ducere :*alter Icarus altiùs* VOLITAVIT.

A SITV; *Alter Veſpeſianus moritur* RECTVS, *ac* ALTIOR *cæteris hominibus*, ſcilicet ſuſpenſus patibulo propter plura patrata ſcelera, & ad eius filium, amicum illudentem dictum fuit, *Eſt cur me deſpicias tu, cuius pater* SVBLIMIS *obierit*.

A LOCO *Ibi nullum eſt diſcrimen;*VBI *nullum crimen*. *Si Veneris illicia amaritudines fundunt, ne mireris à matre non degener filia, hoc eſt è mari nata amaritudines debuit haurire, quibus ſuos cruciaret Alumnos*; Satyricum eſt etiam illud,quo pungimus ſtultum dicimus enim *Ei dolere caput, & non poſſe ſanare, niſi media capitis vena reſecetur*.

A Prædicamento motus per metaphoram Laconiſmi acutè pungitur, qui aſſerebat mundum moueri;

Stare negas terram; nobis miracula narras;
Hac cum ſcribebas in rate forſan eras.

A TEMPORE iocoſa eſt illa proſopopæia, qua pauper ſepultus, ſic loquitur;

Vita mihi exilium, requies, at certa ſepulchrum,
Nudus eram viuus, mortuus ecce tegor.

Et in epitaphio Athei:

Mortuus eſt quaſi victurus poſt funera non ſit:
Sic vixit tanquam non moriturus erat.

Ab HABITV *Si vis componere mundum;dele hæc duo pronomina* MEVM TVVM :tritum eſt etiam illud lemma mulieris Spartanæ ſculptum in filij clypeo, *aut in hoc*, *aut cum hoc*. Iocoſum eſt quoque illud Martialis, quo pungit quendam ex humili fortuna ad altiorem dignitatem erectum,ac grandem in digito geſtantem anulum. *Anulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus.*

Ex hac metaphora laconiſmi ortæ ſunt illæ antiquæ notæ, in quibus vnica litera, vel duæ integrum ſignificabant nomen, in quibuſdam ruderibus antiquæ Romæ videntur inſculptæ hæ literæ, A. A. A. F. F. QV. T Y. ſcilicet, *Auri*, *Argenti*, *æris*, *flator*, *Fabrica Quirinalis Tyberini*. B. M. FEC. *Benè merenti fecit*. B.V.A. *Boni Viri Arbitratu*. D. E. H. L. IO. LIB. PRI. DN. MAR. PV. ET LI. P. *Dedicatus eſt hic locus Ioui liberatori, deinde Marti Pugnatori, & Libero Patri*. E. V. V. N. V. V. E. *Ede vt viuas; Ne viue vt edas*. FO. S. V. P. XX. INV. MM. L D B L. *Fode ſub via*

V v v *Pedes*

Pedes viginti inuenies monumentum laudabile. GL. S. H. INT. E. *Gloria sua hic intus est*. HIC. LOC. HÆR. N. SEQ. *Hic locus haredē non sequitur*. IHS. XpS. *Iesus Christus*. I. M. I. S T. B. A B C D. *In memoria iusti sunt bona abscondita*. vel *In monumento isto sunt bona abscondita*. O.A. C.O.N.T.I. *Ob Augusti Cæsaris obitum nos timor inuasit*. P.P.P.P. ES. S. S. S. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. F. *Primus Pater Patriæ Profectus est, secum salus sublata est, Venit Victor Validus, Vincens Vires Vrbis Vestræ, Ferro, Fame, Flamma, Frigore*. R. R. R. F. F. F. *Regnum Romæ Ruet, Ferro, Flamma, Fame*. S. P. Q. R. *Sabinensi Populo quis resistet*. *Senatus Populusque Romanus*. S. ✠ P. Q. R. *Salua Crux Populum quem Redemisti*. Beda ex prædictis litteris S. P. Q. R. præsagiuit stragem Gothorum, *Stultus Populus Quærit Romam*. & Hæretici Germaniæ satyricè contra Pontificem, sic fuerunt interpretati, *Sublato Papa Quietum Regnum*; quibus responderunt Catholici, *Salus Papæ Quies Romæ*.

Ex hac laconisini radice aliæ pullularunt vltimis hisce diebus ænigmaticæ compositiones, in quibus signantur dumtaxat primæ singularum vocum litteræ, cæteræ notantur interiectis punctis, ità vt punctorum numerus indicet numerum litterarum eiusdem vocis, & tunc est ingeniosior compositio; cum singula principia vocum eadem signantur littera. Hoc scribendi genus pulchriora exercet ingenia, quæ in inuestigando sensu plurimum insudant: subijcio hic Pananagogiam de Deo Sacramētato, scilicet elogium Sacramenti, in quo singulæ voces incipiunt per litteram P. tali pacto,

P.... P........., P.. P........... P....,
P...... P....... P........... P.......
P......,
P.. P.......
P......... P... P.......
P........ P...... P....... P............. P.........,
P...... P.... P...... P.........,
P...... P........... P.... P...... P........
P........., P........, P......
P....... P..... P........... P...... P........
P...........
P........, P.........., P......... P....... P.......
P.........

P.... P........ P.......... P..............

P........

P........., P......., P.........

P......., P........, P........., P......., P.......... P........

P...... P......

P.......... P........, P........ P.........

P........ P.........., P........ P....,

P... P............ P.........

P....... P.......

Legitur hoc modo:

Primo Plasmatori, Pro Peccatoribus Passo:

Propria Patibula Perpendenda Præbenti

Psalite.

Pio Pellicano

Præcordia Pura Pandenti,

Pretiosum Poculum Profusa Prodigalitate Propinanti,

Pinguis Panis Pabulum Porrigenti,

Perennes Parnasidis Palmas Plectro Pascentes

Præludite, Plaudite, Psalite;

Paradisi Portam Pulcherrimis Pyropis Perlucidam

Patefacienti,

Prolapsos, Prostratos, Peccatorum Pondere Pressos

Præleuanti,

Plena Paradisea Promptuaria Peregrinantibus

Præparanti,

Perditorum Pectora Propriæ Passionis Pretio

Perlucranti

Præcinite, Plaudite, Præcantate.

Perfidos, Proteruos, Pertinaces Præmenti, Præterrenti, Plectenti

Pangite, Psalite,

Parsimonia Puritatem, Puritate Pudicitiam,

Pudicitia probitatem, Probitate Pacem,

Pace Prosperitatem Propaganti

Plaudite Plaudite.

EXPENSIO DECIMAQVARTA.

De Metaphora Oppositionis per decem Prædicamenta.

AMphitheatrum quoddam proſpiciendum nobis aperit metaphora oppoſitionis, in quo pugnantium, ac collidentium inter ſe ſe vocum, ſeù argutiarum robora gratius perſpiciuntur; ſiquidem contraria contrarijs oppoſita magis eluceſcunt, imò gaudet hæc metaphora contrarijs copulari; ne triumphi materia, ac occaſio ei vnquam deficiat, eò meliùs triumphat, quò contrarijs vallatur. Ariſtoteles hanc metaphoram ſatis commendat 3. Rhet. c. 2. ait, *Contraria ſimul collocata maximè apparent*, & 2. Rhet. c.29. *Quod per oppoſita dictum eſt, id videtur enthymema, ſicuti enim inter colores contrarij inuicem poſiti maximè eluceſcunt, ſic conceptus contrarij in oratione ad maximum elucent ornamentum*. Solent hæc contraria in quatuor partiri genera, Aduerſa, Priuantia, Affecta ad aliud, & Contradicentia. Aduerſa ſunt, quæ militantia ſub eodem genere plurimum differunt, vt Virtus,& Vitium, conueniunt enim in genere *qualitatis moralis*; licèt inter ſe maximè differant.

Per hanc oppoſitionem D. Ambroſius de Elia cap.12. priùs deſcribit vitium ebrietatis poſteà virtutem temperantiæ: ait. Fiunt ebrietate diuites, qui ſunt in veritate inopes: aurum donant, diſpenſant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui non habent vndè cauponi potus ſui pretium ſoluant: feruet enim vinum in his, & neſciunt, quid loquantur: diuites ſunt inebriantur; mox vbi vinum digeſſerint, cernunt ſe eſſe mendicos: vno die bibunt multorum dierum labores; de ebrietate ad arma conſurgunt; calicibus tela ſuccedunt pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. His cõmemoratis magis eluceſcet ſi deſcribatur Temperantia virtus contraria. Calix Diui Hieronymi per hæc oppoſita argutè commendatur;

Fœcundi calices, quem non fecere DISERTVM?
Quem non ELINGVEM, *reddidit iſte calix?*

Super virtutem, & vitium argutè iocatur alludendo ad illud adagium, QVOD RARVM CARVM.

Commune eſt vitium, tamen nil eſt carius illo,
Res vtilis virtus, rara ſit vſque licèt.

Priuantia

Priuantia sunt habitus, & eius priuationes, vt mors, & vita, lux tenebræ, somnus vigilia, visus cæcitas. A priuantibus amænè expenditur somnus septem dormientium. Hi erant septem nobiles milites Ephesini, qui maluerunt post varios cruciatus in speluncam claudi, & per trecentos annos ibi dormire, & mori, quam vigilare ad cultum falsorum Numinum sub Decio Imperatore. Illud Antrum Morphæi crede, in quo si mors illos non rapuit, somnus saltem Mortis frater eos consopiuit.

Post varios casus, Diui requiescite: vobis
SOMNVS *erat quasi* MORS: MORS *quasi* SOMNVS *erit.*

Per Priuatiua habetur etiam morale hoc scomma;

MORTVVS, *vt* VIVAS, VIVVS MORIARIS *oportet*,
Assuesce ergo priùs, quam moriare mori.

Homo quidam, qui mortis timore oppressus, mortem perhorrescebat; sic consolatur, & à timore auertitur per opposita priuantia;

Plorabas cum NATVS ERAS, *fuit ergo voluptas*
Nulla, tibì nasci; cur dolet ergo MORI.

De vipera etiam, que pariendo perit, ac moritur, & de Phœnice, quæ moriendo renascitur.

Tu PEREVNDO PARIS *viuentem mortua Phœnix,*
Vipera vi pariens, tu PARIENDO PERIS.

Et de equite quodam Hierosolymitano Romæ casu à preduro pane perempto;

O noua res, nunquam sæclis audita vetustis,
Quo debent homines VIVERE, *pane* MORI.

Affecta ad aliud, vel vt à logicis appellantur Relata ea sunt, quę se mutua naturalis affectionis consociatione complectuntur, vt *datum acceptum*. Relata etiam connotant plures historias conuenientes simùl in aliqua ratione: sic Bargiocchus lepidè expendit historiam illius matris, quæ diruta terræ motu Antiochia inuenta est mortua, & lactans infantem viuum: alluditur ab opposito ad matrem Hierosolymitanam, quæ in obsidione Hierosolymæ sub Tito Imperatore, ne fame periret proprium mandit infantē:

Cum cecidit magno terra concussa fragore,
Clara per Argolicas Antiochia plagas:
Inuenta est genitrix præbens lac mortua nato,
Qui de materno funere viuus erat.

O mi-

O mirum! Solymæa parens crudelior vrso,
Ne pereat, nati membra tenella vorat.
Hæc perit, vt sugat maternos filius annos,
Illa feris peior, mater at ista fuit.

Margarita Iustiniana Monialium Cœnobium, ingressa à relatione historiarum sibi gratulatur pro recisa coma;

Et Sampson imbellis erat si crine reciso.
Pugnabo abscissis fortior ipsa comis.

Demùm contradicentia sunt opposita, quorum vnū negat, quod alterum affirmat, & de eodem non possunt verificari: illa tamen opposita sunt amæniora, quæ aliquam æquiuocationē inuoluunt, vt in hoc Italico versu, *Nelle* CALME *d'Amor si fà* NAVFRAGIO. mirabile est etiam illud Tetrasticon, in quo per opposita definitur Amor,

Lex exlex: lux atra: via inuia: serua potestas
Irrequieta quies: & male fida fides.
Turpis honos: pietasque ferox: odiosa voluptas:
Pax discors: status mobilis: ægra salus.

A SVBSTANTIA arguta sunt illa opposita apud Virgilium *Mulcentem* TIGRES, *& agentem in carmina* QVERCVS: vel *audetque* VIRIS *concurrere* VIRGO. Per hanc categoriam amænè describitur Bombyx serici faber, ac textor;

Verme, che pescia bene ostri reali,
Pretiosa prigion tesse col labro;
Indi muore, e rinasce augell', e fabro,
DEDALO *al Labirinto*, ICARO *all'ali.*

A substantia de Iulio Cæsare, quia nimis mollis erat, dicitur VIR *fœminis fuit, viris* FOEMINA, *in vtroque Cæsar, qui Romæ propugnator non regnauit, regnauit expugnator!* De Cæsare Augusto, *Doluit Patria, cùm Augustum Principem fecit, gauisa cùm habuit timebat* CARNIFICEM, MEDICVM *experta. Licèt vitijs immersus vitiorum tamen seuerus Vltor, quæ admittere pudebat, committere non puduit*, de Flauo Domitiano occupato in captandis muscis, *Scena interdixit Histriones, solus Histrio daturus scenam. Hostibus* MVSCA *fuit, Muscis* HOSTIS. Et de Eua prima hominum matre. Prodijsti ex OSSE, sed euasisti CEREA, nisi malum aliquod graue, vel ominari, vel parere poteras, nempè prodijsti ex vulnere: erubuisti mulier, quia nuda: erubescant aliæ,

quia

quia ornatæ: post mulierem mundo fatalem, muliebris inuentus est mundus. Gemmeus torques curuatur in anguem, vt esset (ait Clemens Alex.) sceleris imagini pretium: errabas dum credebas consilium rectum percipere ab angue spiris intorto; flexit ille te flexibus suis, flexisti tu quoque virum illecebris tuis, propinasti acceptum virus viro. Meritò datus est tumor fastidiens ventri; cui fuerat tumidus fastus mentis, fructum edidisti arboris læta, sed fructum edidisti vteri dolens.

A QVANTITATE Terentius *Pro peccato* MAGNO PARVM *supplicij satis est*, & Seneca in Suasoria Alexandri, ait, *Alexander Orbi* MAGNVS, *Alexandro Orbis* ANGVSTVS: à quantitate numerica Ouidius, *Quam metuit pœnam* SOLVS *digessit in* OMNES: à quantitate ponderis Seneca; *interdum* LEVIORE *incommodo* GRAVIORA *sanata sunt vulnera*; & Momus ille, quia quidam princeps licèt iustè, ac sanctè imposuerat vectigalia super folium, quod vulgò dicunt tabacum, acutè à quantitate ponderis dixit Italicè;

> *E dal rigor delle superbe soglie*
> *S'impongon le* GRAVEZZE *anche alle foglie.*

A QVALITATE. Cicero: *in Fuga* FOEDA *mors est: in victoria* GLORIOSA. Seneca loquens de Cæsare. *Fuit ferendarum iniuriarum* IMPATIENS; *faciendarum* CVPIDISSIMVS. De Venere à qualitate etiam dicitur;

> *Principium* DVLCE *est, at finis Amoris* AMARVS,
> LÆTA *venire Venus*, TRISTIS *abire solet*.

Ausonius de scriptura, *In* ALBA *pagina*, NIGRÆ *Cadmi filiæ currunt* Virgilius ALBA *Ligustra cadunt Vaccinia* NIGRA, *leguntur* Ouidius, *sed fuit in* TENERA *tam* DVRA *superbia formæ*.

A RELATIONE de Hermaphrodito dicitur: *Nec mas, neque fœmina; sed vterque: mas inter fœminas; fœmina inter mares; idem sibi* FRATER, *&* SOROR, VIR, *&* VXOR, *nec lanis aptus, nec armis vtrumque sexum dedecorat, aptior tamen magis telis, quam telis*. Thesaurus in suo ænigmate, sic introducit Adamum loquentem per opposita relatiua. *Nec orbus, nec Posthumus fui, sed* PATRIS *expers; vel fecit me* PATER *non genuit*. MATREM *habui, quæ me habet, lignea nutrix sine lacte* VIRVM *me aluit non* PVERVM: FILIAM *non* FILIAM VXOREM *duxi, quæ simul nata, & nupta vno partu* NEPOTEM *mihi, &* FILIVM *genuit*.

REX

REX *sine vrbibus*, DIVES *sine auro*, *sine* MAGISTRO *eruditus lycæum aperui tot nactus Auditores*, *quot homines*. Lepidum est quoque illud ęnigma super Edipum, qui propriæ nupsit matri. AVI, GENER, PATRISQVE *riualis fuit*; FRATER *suorum* FILIORVM: & FRATRVM PARENS. *Vno Auia partu* LIBEROS *peperit* VIRO: *ac sibi* NEPOTES: *monstra*, *quis tanta explicet?* & Ouidius de Mirra Virgine, quæ Patris amore capta cum eo nuptias anhelabat;

Tune eris, *&* MATRIS *Pellex*, *& adultera* PATRIS?
Tune SOROR *nati*, GENITRIXQ; *vocabere* FRATRIS?

Seneca HOSTIS *est*, *qui mihi non monstrat* HOSTEM.

Ab ACTIONE, & PASSIONE oriuntur illa arguta lemmata Phrenoschematum, vt est illud super thus exardens in turribulo FRAGRAT *dum* FLAGRAT. Super fontem DESCENDO, *vt* ASCENDAM. Super basilicam herbam conculcatam pedibus *dum* CONTERITVR GRANDESCIT *sublimior*. Super palmam DEPRESSA *crescit* SVBLIMIOR: super Asbestinum linum expositum flammis VRITVR *non* COMBVRITVR. Super arundinem agitatam vento FLECTITVR *non* FRANGITVR. Super Simiam inter amplexus strangulantem proprios partus OFFICIT OFFICIIS. Super sphœrã cælestem QVIES INQVIES. Super sagittam vibratam ab arcu nihil PRÆPES PERPES. Super Phœnicem morientem in flammis *se* PARIT *dum* PERIT: dignum scitu est etiam illud Alexãdri Seueri; intellexerat Pius Imperator aulicum quemdam Vetrurium nomine regias dignitates vendidisse, iussit illicò fumo suffocari, interim buccinator inclamabat *Fumo* PERIT, qui *fumum* VENDIDIT, & certè fumum crede dignitates, quæ lachrymas ab oculis Vetrurij, sic benè elicuerũt. De Vulneribus Christi;

Pharmaca sunt potiùs quam vulnera, *vulnera Christi*,
CVRAT *enim plagis vulnera nostra suis*.

Et de Diuo Benedicto,

Tam Bene--DICTVS *eris*, *quam Bene*--FACTOR *eras*.

Marcus Tullius de Cæsare, & Pompeio, *Vtinam societatem*, *vel nunquam* INIVISSENT, *vel nunquam* DIREMISSENT.

A LOCO, & situ de Diua Catharina Senensi, quæ viua auream Christi Coronam respuens, spineam fuit amplexa, & post mortem Romæ in Sacello Sacratissimi Rosarij Templi Diuę Mariæ super Mineruam eius corpus iacet.

Claudit

Claudit Senensem Catharinam Altare Rosarij,
Vixerat in spinis, nunc tumulata rosis.

De Morte quoque; & Marte à loco vbi bellum non bellè geritur;

Omega nostrum MORS *est*, MARS *Alpha malorum*
In BELLO *distant* OMEGA, *&* ALPHA *parum.*

Plinius de Traiano Imp. *Vt tantum* SVPRA *cæteros, quantum* INFRA *te cernerentur.* Seneca: HVC *vota mittam tela,* QVO *mitti haud queunt.*

A Situ de Claudio Tiberio Nerone; *Vir in pessimis acuto ingenio, obtuso in optimis;* DEXTERAM *Fortunam,* SINISTRAM *virtutem habuit.*

A MOTV Ouidius IRE *vagas quercus, & flumina* STARE *coëgi.* & de tempore idem Ouidius: *Tempora sic* FVGIVNT *pariter, pariterque sequuntur.* Habetur etiam illud scomma Augusti Cæsaris FESTINA LENTE.

A Prædicamento TEMPORIS Tertullianus de Pauone; SEMPER *ipse,* NVNQVAM *ipse,* & Ouidius de Inuidia: *Anxia* LVCE, *anxia* NOCTE *gemit.* Terentius *Plus* HODIE *boni feci imprudens, quam sciens* ANTEA. Claudianus SEMPERQVE tenemus, quod superi meruere SEMEL.

Ab HABITV Tipheus apud Nonnium exultans post gigantomachiam: *Pulchrum est mihi* FISTVLAM *post* FVLMINA *sumere.*

Animaduertendum est in calce huius expensionis, quod oppositio non solùm relucet inter opposita; verùm etiam inter duos terminos disparatos, vt quando ad explicandam volubilem inconstantiam iuuentutis, dicitur, *Quid est* IVVENTVS, *quam* VENTVS. Nonnunquam oppositio splendescit inter vnum terminum positiuum, & alterum negatiuum, vt de echo, LOQVITVR *sine* LINGVA: de columba Architę Tarentini VOLITAT, & non VIVIT: de horologio *semper* CVRRIT, *& nunquam* MOVETVR: de vmbra FVGIT, & NON TIMET. Aliquando opposita fiunt per GEMINATIONEM, *Dignum est mori; antequam sis dignus mori,* vel per Dilemma *aut experta iuras, aut non experta peieras,* vel per IDENTITATEM AGENTIS, & PASSIENTIS. *Qui terras ignibus vrit, vritur igne nouo:* vel per NEGATIONEM *Sparta ibi muros habet, vbi non habet:* vel per GRADATIONEM Ouid. *Infelix sua viscera traxit; tractaq; calcauit, calcataq; rupit.*

EXPENSIO QVINTADECIMA.

De Metaphora Deceptionis per decem Prædicamenta.

VLtima metaphora est deceptio, quæ inter cæteras plurimũ habet leporis, ac aucupij, plurimósque spargit flores, qui animum exhilarat, ac suauissimè mulcent: virtus huius metaphoræ sita est in eo, quod intellectus vrbanè ab inaspectato decipiatur; fitque quando tu credis ex antedictis periodum desinere vno modo & de facto præter tuam opinionem ipsa periodus desinit alio modo, & hæc nouitas obiecti exhilarat animum. Huius metaphoræ meminit Aristoteles 3. Rhet. c. 11. vbi ait, *Sunt etiam vrbanitates per translationem ex deceptione*; & infra, *quia noua placent, ideò sententiæ, quæ desinunt præter opinionem delectant*; ex quibus verbis deducitur totam venerem huius metaphoræ consistere in conclusione ab inaspectato, vt videre potes in subiecto carmine Italico super argutam lyram;

Vn' animato legno,	*Hor' alta, & or dimessa,*
Da bella man veloce,	*Ciò che mai fè confessa,*
Vidi ridotto à segno,	*E come ciò s'accorda?*
Che in sua canora voce,	*Miserello, ch'egli è pēde à la corda.*

A SVBSTANTIA iocosa est conclusio illius epigrammatis super simiam, quæ vt ignem accenderet sumpsit pro ignea scintilla Cicindelam, seu Noctilucam, vel vt vulgò aiunt, muscam noctu lucentem;

Simia, vt accensō noua frigora temperet igne,
Ingerit EXTINCTO *ligna cremanda* FOCO,
Et CICINDELAM *sumens, putat esse* FAVILLAM,
Qua valeat calidas ore parare faces;
Sed quo plus buccis insufflat sedula plenis,
Quæsitos ignes suscitat aura minus,
O felix error! nam si hæc SCINTILLA *fuisset,*
Sufflasses digitos, simia mæsta tuos.

A Substantia Homerus in ranarum pugna Lectorem decipit;

Nobile Martis opus, grandique vibrata tumultu,
Arma cano: cum belligero stimulante furore,
Tertia magnanimi mouerunt prælia MVRES.

Vbi tu credebas audire *mouerunt prælia* RANÆ sumit itaq; vnam

sub-

ſubſtantiam pro alia. Ridicula verò eſt concluſio illius comœdiæ vbi ingens aderat populorum multitudo; *Ite, abite, valete* MVSCÆ, alij enim expectabant *valete auditores homines*; & Martialis de quodam Momo, *Non eſt hic Cynicus Coſme, ſed* CANIS.

A QVANTITATE de eo, qui totum diſſipauerat patrimonium, *hic filijs ſuis reliquit* MAGNVM NIHIL. Apud Terentium aiebat Getas: *O ſi quis daret mihi talentum* MAGNVM, cui reſpondit Cremetes; imò *malum*: interim ille expectabat; *imò maximum*, & ſenex iraſcens in ſeruum: ſpero tibi euenturam hoc anno maximam meſſem MALI: ſeruus verò crediđiſſet *maximam meſſem* ANNONÆ.

A QVALITATE morali eſt illud carmen Martialis *Gaude zoile non vitioſus homo es, ſed* VITIVM, vbi Zoilus credebat audire, *ſed virtute* PRÆDITVS. Apud Plautum ridicula eſt illa deceptio Paraſiti iactantis geſta ſuorum maiorum; *Patres, Auos, Proauos, Atauos, Abauos meos non quiſquam poterat vincere* EDACITATE.

A RELATIONE. Adam, quia vnum comedit malum, omnia nobis euomuit mala; quid credis Patrē non habuiſſe? MATREM PROPRIAM LIGONE TRVCIDAVIT: tota deceptio relucet in illis verbis *Matrem propriam trucidauit*, quia enim Deum non coluit terram matrem ligone coluit.

Ab ACTIONE barbara eſt illa deceptio apud Homerum, qua Cyclops virorum vorator Vlyſſi dixit: Egregium tibi honorem facio, vt te poſtremùm comedam: hinc honor Cyclopicus abijt in adagium; quò ſignificamus aliquem ſub vmbra, ac prætextu amicitiæ aliquod damnum nobis inferre. Ancilla Spartana interrogata ab Hero, *quam artē exerceret*: prudenter reſpondit FIDELITATEM. De Flauio Domitiano Imperatore, ait Theſaurus; *Nec Marti minus, quam Mineruæ* SACERRIMVS, *ſua manu infeſtas legiones deleuit* MVSCARVM: *bis Nauali prælio fortiter interfuit* IN ARENA. *Catos, Sarmatas, Dacos Barbaros omnes Imperij hoſtes* SVPERAVIT BARBARIE.

A PASSIONE Martialis argutè, ac lepidè,

Munera, qui tibi dat locupleti, Gaure, ſenique,
Si ſapis, & ſentis hic tibi ait, MORERE.

A MOTV Martialis acutè punxit auaritiam cuiuſdam amici, qui ad cęnam illum non inuitauerat.

Iraſcar licet vſque voces, mittaſque, rogeſque;

EXPENSIO DECIMASEXTA.

De Regulis Conficiendi plures argutias super idem subiectum.

VIdimus quomodo octo Aristotelis metaphoræ transire possint per omnia decem prædicamenta; modò superest enucleanda regula conficiendi argutias per eadem prædicamenta, ac metaphoras. Proposito igitur obiecto: considerandum erit, an sit obiectum simplex, an compositum; obiectum simplex est v. c. *Musca, Apis, Vrsus:* obiectum verò compositum est, quod componitur ex multiplici voce, vt *Vrsus percurrens syluam in foueam melle repletam ab apibus labitur, vbi dulci captus in illo visco emoritur;* vbi potes considerare circumstantias *Vrsi*, & *mellis* per decem prædicamenta tali pacto.

VRSVS.	MEL.
Substantia.	
Animal, Monstrum, Magera, Arpia, pilosum corpus.	*Flumen dulce, Opobalsamum faucis, florũ sudor, viscus pretiosus*
Quantitas.	
Bellua grandis, grauis, monstrosa, Oblonga, informis, crudelissima,	*Liquor grauis, informe corpus, formas se in omnes vertens, stilla florum, dulcis merx.*
Qualitas.	
Fera obscura, horrida, rauca, ignobilis, fœtida, crudelis,	*Liquor dulcis, illustris, flauus, pretiosus, tenax, auro concolor,*
Relatio.	
Crudelitatis pater, hostis hominis, amicus sanguinis, Arpiæ, ac Mageræ similis,	*Apum filius, ex auibus genitus liquor, coquorũ turbis amicus palato carus, auro similis,*
Actio, & Passio.	
Homines occidit, greges dilaniat, innocuis nocet, lapides proijcit, & ferit; alias feras insectatur:	*Muscas captat, insulsa edulia condit, aureus fluis liquor, dulcedine omnia suauiter condit, ceras sacris aris ministrat.*
Locus, & Situs.	
Præruptis nascitur in antris opaca nemora occupat, per alpium iuga currit;	*Nascitur inter flores, in aluearijs perficitur, inter flores, & lilia, crescit, ac propè flumina discit fluere.*

Mo-

In prædicamento substantiæ vrsus dicitur *arpia*, mel *viscus dulcis*, coniunge modò hæc duo obiecta Arpiam, & viscum dulcem, & dic; A substantia, *Tuti estote auri, argentique possessores, securas sine securi seruabitis vestras opes à fure liberas, Arpiæ namque pretioso captantur in visco; fures naturam immutarunt, qui captabant iam captantur in visco; vos corrigite; qui asseritis crudeles feras, ac megæras non despumare nisi venena, & amaritudines; dulcedines etiam amant; ò naturæ prodigium! fera dulcescit, dulcedo crudelescit; portentosa certè est hæc fœcunditas, vrsus melleas opes parturit: non ampliùs iactetur hebrei Alcidis Leo, licèt fauum mellis genuerit ore; simile prodigium etiam vrsus parturit, olim flebilis Niobe in saxum, nunc vrsus in aureum migrat liquorem.* A quantitate; *Nunquam Africa tam grande parturijt portentum, vt hic videtur grandis fera in corpore informi: hæc fera vilem suum reiecta natale nobilitatur pretioso in liquore, & mendica ditescit aureo in liquore.* A Qualitate; *Fulua fera flaua ditescit in ope; aspice, vt dulci nobilitetur liquore ignobile monstrum; an non diceres vrsum apis naturam induisse? quam benè mellificat? at magis amaram, ac acerbam experitur sortem in ipsa dulcedine; vilissima fera in melle pretium acquirit de alieno superbit.* A Relatione; *immanitatis pater cum apum filia copulatur, mittes ne, an immanes attendis fœtus? loricatæ apis filius olim flauus, modo fuluus efficitur à fera.* Ab Actione, & Passione: *mortua est feritas vrsus mella propinat, an non aucupio delectantur apes, insidias in syluis tendunt feris, viscus est mel, quò incauta captatur fera: syluarum in nundinis suas aureas exposuerant opes apes, in furto deprehensus vrsus melleis detinetur compedibus; caue, & tu, ne in dulcibus Veneris illecebris laqueum reperias, quo æternis detinearis in cruciatibus.* A prædicamento situs, & loci. *Exesis, qui tutè cubabat in antris in hortorum amœnis, ab opibus, ac apibus insidiatur, magis sunt extimescendæ Veneris, quam Dianæ, ac Martis insidiæ; in melle latet Vrsus, sicut in pratis latet anguis in herba, iam securam nullam cense voluptatẽ; olim crudelissimus Imperatorũ Vrsus auream habitabat domum Romæ; nunc ferarum Nero aureis constructam opibus ab apibus foueam occupat.* A Tempore: *Mortalis fera dulci in hoc melle amaram sibi comparat immortalitatem: hyemat in dulcedine & simul æstuat rabie.* A Motu: *Venatrix fera syluas percurrit, non vt captet, sed vt captetur, & iam à lento velox tenetur,*

quia

quia efflante Borea dulce fecit in melle naufragium. Ab Habitu: *Diuitias contemnite;quando aureis se induunt vestibus feræ ;si aurum pretiosum est, quia rarum;pretiosum amplius non censeatur, quia non est rarum, etiam feræ illud nolentes habent.*

Adde, quod notiones obiecti, ne dum à categorijs; verùm ab alijs circumstantijs, apologis, ac historijs possunt erui: vndè si subiectum erit mortuum, erunt consideranda ea omnia, quæ ad mortem spectant; vt A substantia: *Cinis, Accensæ faculæ. Illachrymantes ceræ, Epicedia, Vmbra.* A Qualitate: *Crudelis mors, inuida, insidiosa, acerba, tristis, velata, frigida, pallida.* Ab Actione: *Diem claudere. Vltimam vitæ periodum absoluere. Vitæ epilogum finire. Vitæ filum obtruncare. Libitinam sua falce resseccare iuuenum flores.* A Ceremonijs: *Funus, Exequiæ, Neniæ, Fraficę.* A Loco: *Feretrum, Rogus, Bustum, Vrna, Sepulchrum, Cenotaphium, Mausoleum, Aegyptiæ pyramides, Stix, Elisium.* Ab Instrumentis, *Falx, Telum, Forfex, funebres faces.*

EXPENSIO DECIMASEPTIMA.

Quomodo Obiectum Physicum possit vniri, cum obiecto morali ad conficiendas argutias.

Sicuti propositiones Dialecticæ constant ex vnione prædicati cum subiecto; ita veræ argutiæ conficiuntur ex vnione duorum obiectorum, quæ dicant aliquam oppositionem ad inuicem; ex qua vnione resultat aliqua affirmatiua, vel negatiua metaphora ex octo assignatis supra ex Aristotele: & sicuti duo obiecta physica, vt patet in præcedenti expensione simùl vniuntur, ex qua vnione plures consurgunt argutiæ, ità pari pacto possunt vniri simùl obiectum physicum, & obiectum morale. Quia verò obiectum morale non cadit sub sensum; ideò illud erit considerandum ad modum rei sensibilis, vt *Peccatum* est obiectum morale, illud tamen potest percipi, vt obiectum physicum, scilicet vt *horridum monstrum*. Est tamen aduertendum, quod obiecta moralia si considerentur, vt physica; debent sumi illa obiecta physica, quæ cum moralibus sunt proportionata, vt esset *Peccatum cum Monstro; Virtus cum Flore; Charitas cum Rosa; Puritas cum lilio.* Hoc optimè obseruarunt Aegyptij, qui in suis hieroglyphicis ad expri-

exprimendam v. c. *Pacem* ſculpebant. *Ramum Oleæ*: ad indicandam *Magnanimitatem*, *Leonem*; ſic etiam apud nos *Ciconiam*, dicimus eſſe ſymbolum *Pietatis*. *Papauer*, *Fertilitatis*. Ponatur igitur hoc thema *D. Petrus illachrymatur peccatum ſuum*; vbi tu vides duo obiecta vnum phyſicum, ſcilicet *Lachrymas*; aliud morale nempè *Peccatum*; inueſtigentur modò notiones vtriuſq; obiecti, tali pacto:

LACHRYMA	PECCATVM
Subſtantia.	
Opobalſamum, quo ſauciata, anima curatur; Glutinum, quo anima Deo vnitur; Lac, Fons, Margaritum, Iuſtitiæ ſemen.	*Immane monſtrum, Venenum animæ, Peſtis, Gladius, Libitina Falx, Tricerberus, hydra.*
Quantitas.	
Sphœricus globus, Cataclyſmus, Pluuia, Mare, Naufragium culpæ.	*Pondus animæ, quo ruit in Tartarum; Grande venenum, perbreuis pyrauſtæ lætitia.*
Qualitas.	
Molle telum, fluida vnda, clara, illuſtris, caſta.	*Melleum fel, dulce abſcinthium, tormentum gratum, nox animæ, turpe monſtrum.*
Relatio.	
Culpæ inimica, mater virtutis, ſoror diuinæ gratiæ, filia pœnitentiæ.	*Animæ inimicum, ſimile monſtro, Luciferi filius, Pater omnium malorum, genitor mortis, Tartari frater.*
Actio, & Paſſio.	
Conſcientiæ maculas lauat; peccatum expellit, fluida currit, vt naufragium aperiat peccato.	*Innocentiam trucidat, caſtitatem debellat, virtutes expellit, animam vulnerat, fores Gehennæ aperit.*
Locus, & Situs.	
Oculorum gemmæ, capitis fontes, ſolitudinis Amaſię, tormentarij globi, quibus violenti expugnant, ac rapiunt Cælum.	*In terreſtri Paradiſo natum, ad infernum trahit viros, ſacrorum cœnobiorum inſidiator; vrbium deuaſtator.*

Motus.

Per tacitas solitudines vagatur, vrbium commercia fugit; deorsum fluit, sed sursùm animam eleuat.

Grandiores vrbes ingreditur, in aula crescit, ad lupanaria currit, Religioni insidias tendit, emporia percurrit.

Tempus.

In alienæ mortis contemplatione nascitur; in claustris hyemat; nocturnam quietem frangit, cũ virtutum floribus vernat.

Diù viuit, in bacchanalibus ferijs otiosa lasciuia operante licẽtia tripudiat, horridam hyemem parturit animæ.

Habitus.

Argentea guttula, diuino rore aspersa.

Armatum non ferro, sed illecebris; dulcia venena habet, & propinat.

Præter hæc duo obiecta adest etiam tertium scilicet *oculus*, à quo emanant lachrymæ, cuius notiones etiam possunt perscrutari tali pacto. A Substantia Oculus potest dici, *Amoris tada, piscatoris Cupidinis rete, sagittarij Amoris telum*. A Quantitate, *Breuis globus; sphærica gemma; pusillum lumen; rotundum frontis speculum; exilis animi fenestra; cordis cuniculus, quo vel sine puluere pudicitia prosternitur*. A qualitate, *Niui concolor, illustris, albus, castus, modestus*. A Relatione, *Amoris pater, Veneris frater, amicus lucis, carus Amasijs*. Ab Actione, & Passione, *Magnetica virtute corda rapit, pudicitiam illaqueat, Cupidinis flammas excitat, animos allicit, modo luget, modo ridet*. A Loco, *Frontis christallinum speculum, capitis lumen, faciei decor*. A Motu, *inconstans, facilis mutationi, mouetur sursùm, deorsùm, à dextris, à sinistris*. A Tempore, *Die lucet cum Sole, clauditur noctu, verno tempore illis arrident flores*. Ab Habitu, *Niueo colore circumdatur, palpebris munitur, superciliorum arcus habet, vt feriat castitatem*.

Insuper, quia lachrymæ sunt aqueæ, possunt Apologi, ac Historiæ ad aquas spectantes in vnum colligi. *Vt Sizici fons impudicos Veneris amores, ac ignes refrigerabat. Dodonæo in fonte accensæ faces extinguebantur, extinctæ accendebantur. In Sicilia, Aristotele teste, quodam in laticè immersæ extinctæ aues reuiuiscebant. In Sardinia lethales emanant duro de saxo aquæ venenato angui nocuæ. Arcadis lacus vndæ viros vertunt in lupos. Lethei*

fluminis

fluminis aquæ memoriam abripiunt. Hyades ſeptem ſorores ſemper illachrymantur. Modo facto hoc materiei choragio facilè erit argutias texere, ſicuti artifex parata materia conficiendæ domus ſtatim fundamenta iacit, parietes erigit, officinas diuidit, totamque domus ſimetriam perficit; modo detur hoc thema. *Diuus Petrus fractis oculis culpam ſuam illachrymatur*, ſic argutè poteſt amplificari. *Fabula ne cenſeatur Dodonæi fontis mentitum prodigium, quod fuerat fictum; factum Diui Petri confirmat. Geminus lachrymarum fons Amoris flammas, quas propè prætorij ignem extinxerat Petrus, iterum accendit. Non amplius iactentur ſiculi latices, meliùs hiſce in vndis reuiuiſcit Deo Petrus. Quos propè vndas ardores conceperat, propè igneas prunas extinxit; ſed iterum oculorum vnda ignem excitauit. Ne mireris ſi in prætorio hominem non nouerat; ſuum ſequebatur Solem à longe; tenebris circumſeptus proprium amplius non cognoſcebat magiſtrum. Nouus tamen in arte mentiendi, ità feliciter eam exercere non poterat; quin, vel cum mentiretur promeret vera: planè non nouerat hominem, quia non ampliùs erat ille, quem viderat in horto. Egreſſus ab igne prætorij in aquas irrumpit lachrymarum; minor fuiſſet Chriſto moriente concuſſio; ſi hæc ipſa etiam petra fracta non fuiſſet. Molle telum vulneri aſſuetum, feritatem exuens pretioſa propinat opobalſama, quibus vulnera ipſa curarentur. Triumphant fluida hæc tela de Achillis ſagitta, meliorem reconciliant ſanitatem. Fœcundam credite hanc ipſam Petram; tam copioſo irrigata rore dabit, & ipſa fructus ſuos; & iuſtitiæ ſemina etiam ſuper petram prolapſa germinabunt in flores, ac fructus heroicæ virtutis. Naſcentem Eccleſiam lacteo hoc liquore meritò præuenit Eccleſiæ Caput, vt citiùs in ea pingueſcerent pœnitentiæ fructus. Nouæ legis Alcides Lerneæ peccati hydræ non ignem, ſed aquam obiecit; vt feliciùs irrigatæ palmæ creſcerent in fœcundiſſima Petra. Imò, & igne Amoris, & aquis Pœnitentiæ armatus, de culpæ monſtro triumphauit. Aqua, & flamma diſcordes olim, ac riuales; ſocordes modo contubernales in hac petra aſſociantur. Nempè pœnitentiæ virgà percuſſa petra puriores propinat modo latices Amoris flammis; quam olim in deſerto ardentiſſimæ ſiti Iſraëliticæ turbæ. O dira Pœnitentia! cur oculos iſtos gemino ſupplicio igne, & vnda detorques? ah, crudelitatem excuſo: propè prætorij ignem algida nimis*

nimis fuerunt hæc lumina, & igne, & vnda suas tergunt vmbras, quas ante ignis splendores contraxerant. Ludit Amor in oculis, æstuat in vnda, natat in flammis, omnia potest Amor. Flamma riuulos, riuuli flammas alunt. Ne mireris, causam dicam, Amoris lampadæ sunt oculi, lachrymarum oleo non extinguuntur earum ignes, sed aluntur. Fuerit felix Namaan ille Syrus, qui in Iordane Elisei monitu mersus è lepra surrexit, euadens in vnda liber; Fuerit felix cæcus ille, qui inter latices Siloë nascentem primò vidit Solem; at felicior Petri sors exigua in vnda grande peperit culpæ naufragium.

LIBER NONVS.

DE LAPIDARIA ELOCVTIONE

Hoc eſt, de Inſcriptionibus, Elogijs, & Epitaphijs.

PROOEMIVM.

HVc vſque argutiarum vireta, quibus veſtita oratio innocenter luxuriat, in eruditæ Palladis ſinu vernantia conſpeximus, iam remanet expendenda *Petrodicæa*, ſeù *Lapidaria Elocutio*; in qua veluti proprio in ſolio triumphat laconiſmus; & ſi prolixa compoſitio, aliquando ſermonis redundantia, verbis vndique ad oſtentationem collectis, rhythmorum, circumſcriptionumque elaboratione, vaniſſimæ iucunditatis illecebris, inanem quamdam ſuauitatem, Adonidis hortis ſteriliorem producit: è conuerſo *Lapidaria Elocutio* complectens *Inſcriptiones*, *Epitaphia*, *Elogia*, & omnes illas compoſitiones, quæ leguntur in lapidibus ſcriptæ, & ſculptæ; verborum circuitus reijcit, ſed laconicè heroicos enucleat conceptus, ac allicit vſque ad animi deliquium; quamobrem in hac Lapidaria Elocutione tot debent legi lapides pretioſi, quot verba; tot gemmæ, quot ſententiæ; tot lumina, quot periodi; quæ ſiue ſalebris currant, imò ſale conditæ ſaporem habeant, ac gratiam: cæterùm ſine luminibus inſcriptiones facilè à Momis exſibilantur. Ne cæcum tamen curramus callem; placet in primo lapidariæ elocutionis veſtibulo dilucidare quotuplex ſit Inſcriptionis Significatio; ne in æquiuocū ſtatim prolabamur; deinde quotuplex ſit eius nomen; qualis Finis; apud quas gentes præcipuè viguerint Inſcriptiones, quæ in materia ſcriberentur.

EXPEN-

EXPENSIO PRIMA.

De Significatione, & nomine Inscriptionis.

HAud facilè errauit Chrysippus, qui omne verbum ambiguũ esse voluit, ac aliqua circumuolutum æquiuocatione; & verissima planè est eius sententia in hoc ipso, de quo agimus verbo *Inscriptionis*, plures namque habet significationes. Et primùm significat, *Illam accusationis subscriptionem, qua se Talioni, quis adstringit, nisi crimen dolosum probauerit.* Inscriptio etiam refert, *Titulos libris præfixos*, de quibus latè, & perpolitè Plinius in præfatione historiarum. *Inscriptiones* etiam dicebantur *Programmata*. Apud alios, *notæ turpes*, quæ in fronte seruorum nequam ignito sigillo imprimebantur, quarum exempla passim occurrunt apud Plautum; & earumdem inscriptionum meminit etiam Petronius in Satyricis, quæ notæ turpes ad perpetuam infamiam reorum damnatorum vultu imprimebantur, qui mos etiam viget in aliquibus Italiæ vrbibus: eamdem nomenclaturam obtinuerunt, *tabellæ illæ*, quæ causam supplicij significantes, vel reorum collo appendebantur, vel eis dum ducerentur ad supplicium præferebantur, quarum meminit Rodulphus Fornerius lib. 1. quotidianarum rerum cap. 13. Inscriptiones etiam vocabantur *tituli illi*, qui cellis meretricijs inscribebantur nomine meretricis, ac libidinis pretio, vt testatur Seneca lib. 1. controu. cap. 2. Inscriptiones verò, quæ id temporis sunt magis vsitatæ, & de quibus hunc texo tractatum sunt potiùs tituli, quibus aliquod opus laconicè exprimimus, vel quibus facella, vel fana Cęlitibus, vel statuas, seù arcus triumphales alicui dicamus heroi, quarum meminit apprimè Horatius Ode 24. lib. 3.

> *Si quæret: pater vrbium,*
> *Inscribi statuis; indomitam audeat*
> *Refrænare licentiam,*
> *Clarus post genitis.*

& lib. 4. Ode 8. *Non incisa notis marmora publicis,*
> *Per quæ spiritus, & vita redit bonis*
> *Post mortem ducibus, clariùs indicant;*

Etiam hisce temporibus Cæsarum gesta in cæsis lapidibus leguntur insculpta, & in arcu triumphali Tito Imperatori erecto post subiu-

ſubiugatam Iudæam in montis Torpei, ſeù capitolini cliui radicibus hanc elapſis annis legi inſcriptionem, quam hic ſubijcio legendam: *Imperatori Tito Cæſari, Diui Veſpeſiani filio, Veſpeſiano Auguſto &c. Patri Patriæ, Principi ſuo, Senatus, Populuſque Romanus, quod præceptis Patris, Conſilijſque, & auſpicijs, Gentem Iudæorum domuit; & vrbem Hieroſolymam, omnibus ante ſe Ducibus, Regibus, Gentibuſque; aut fruſtra petitam, aut omninò intentatam deleuit.*

Hæc inſcriptionis ſpecies ab authoribus paſſim dicitur: *Titulus, Epigramma, Elogium, Memoria, Monimentum, Scriptura, Scriptio, Subſcriptio, Proſcriptum, Inſcriptum:* Nos verò illas ab Elogijs, & Epitaphijs diſtinguentes, *Inſcriptiones* appellabimus.

EXPENSIO SECVNDA.

Quale ſit formale conſtitutiuum Inſcriptionum.

Formale conſtitutiuum rei idem eſt, ac eſſentia eiuſdem rei, per quam res eſt id, quod eſt, & à quocumque alio diſcriminatur; quapropter dico: *Inſcriptionem eſſe orationem lapidariam, dedicatoriam exprimentem laconicè geſtum, vel dignitatem alicuius viri:* & hæc definitio conuenit, tàm antiquis, quàm recentioribus inſcriptionibus: dicitur *Oratio Lapidaria* loco generis, conuenit enim cum Elogijs, & Epitaphijs, quæ pariter ſunt orationes lapidariæ, hoc eſt inſculptæ lapidibus; dicitur, *Exprimens laconicè geſtum, vel dignitatem alicuius viri,* ad explicandam differentiam, quia per hoc differt ab Elogijs, & Epitaphijs, elogiorum enim munus, vt videbimus infrà, non eſt ſolùm exprimere geſtũ, ſed argutiarum ſerie commendare idem geſtum; itàvt geſtum potiùs ſit thema elogij; & argutiæ ſint materia, ex qua componatur elogium; differt etiam ab epitaphijs, quia hæc in ſarcophagis, ac monumentis ſolent incidi in commendationem defunctorum, vel ad indicandum locum; in quo humata humana iacent corpora, ac cineres, vel ad mortem exprimendam, vt videtur in ſubiecto Epitaphio;

Siſtite luctus, ſtate fletus,
N. N.
Viuens ſibi par, moriens maior ſe,

Nobiliori

Nobiliori parte sui ereptus terris, cœlo donatus est,
Piè ità credimus, & fidem hanc animat
Summa defuncti pietas.
Mœrorem, quisquis ades, quisquis audis depone
Moriturus esset, nisi esset mortuus.
Nunc ipsa morte viuit.
Iurè morti imperat, qui lubens mortis paruit iuri;
Et morte maior est,
Qui viuens, in aliena morte suam cogitat;
Moriturus de sua disponit, vt de aliena.
Felix mors, aut verè non mors:
Cùm qui moritur, æternis immoritur, non morituris.

E conuerso exemplum inscriptionis exprimentis dignitatem, ac gestum simùl habetur in hac inscriptione Augusti Cæsaris post superata Alpium iuga: *Imperatori Cæsari Diui filio, Augusto Pontifici Maximo, Imperatori XIV. Tribunitiæ Potestatis XVII. S. P. Q. R. quod eius ductu, auspicijsque Gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub Imperium Populi Romani redactæ sunt.* Hæc est vera, ac perfecta inscriptio, in qua dumtaxat exprimuntur dignitates, ac victoriæ Cęsaris: hæc autem inscriptio potest fieri elogium, si varijs argutijs commendarem hanc Cæsaris victoriam tali pacto.

Augusto Cæsari Cæsa Alpium iuga cecidere,
Et innatæ sterilitatis oblita, in fœcundam
Palmarum messem eruperunt.
Quia Cæsaris Purpura Alpinas inter niues
Cæsorum sanguine rubuit, non erubuit;
Et vt firmior staret Augusti gloria
Ceciderunt Alpini omnes,
Quos natura tot arcibus, quot montium iugis vallauit.
Cæteri sibi diffidant mortales:
Cùm mortalium bellicosissimos defendere natura non potuit.
Discant superbi Augusto cedere, cui montes accidunt.
Fabulam, ne credas Titanas à Ioue cæsos.
Cæsar de fabula triumphauit.
Hoc tamen discrimine,
Quod Iuppiter turres: Augustus montes euertit.
Altiores homines humiliauit.

Et si

Et si turrim sydera minitantem non æquauit solo solus,
Superbis tamen Alpium iugis iuga imposuit;
Vt exteræ gentes citra colles, colla submittere
Romano discerent Imperio.
Quid contra Augustum stare poterit, si Alpes ipsæ ceciderunt?
Fas erat tandem Romanas Aquilas
Super Alpium iuga nidificare.
Volucres assuetæ altiùs volitare
Mirari volueram, si super hæc montium cacumina
etiam non volitassent:
Non Ioui tantùm, sed etiam Cæsari fulmina ministrant Aquilæ;
Vt Iuppiter turres, Augustus montes euerteret.
Iam mihi crede
Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.

Quamobrem hoc interesse discrimen inter Elogia, Inscriptiones, & Epitaphia censeo; quod epitaphia versantur circa funera; dicitur enim epitaphium; eò quod humato iam corpore, in sarcophago incidi soleat: inscriptio verò laconicè tantum exprimit dignitatem, vel gestum aliquod herois viri, vel causam dedicationis alicuius operis. Elogium verò est series argutiarum, quibus idem gestum commendatur.

EXPENSIO TERTIA.

De fine Inscriptionum, & apud quos Populos fuerint maiori in vsu.

IMmortalitatis cupiditas, gloriæque sitis finem imposuit inscriptionibus; quia citò soluitur Libithinæ mortalis vitæ pensum; saxea immortalitate iterum ad vitam, etiam post fata, reuocabantur heroes; vndè finis inscriptionum est gloria apud posteros, quam cum omnes gentes expetant; ideò nulla fuit gens, tam barbara; quæ inscriptionibus non fuerit vsa. Assiriorum meminit Arrianus lib. 11. de rebus gestis Alexandri, vbi Sardanapali epitaphium describitur: de Iudæis vestigia satis certa apparent Genes. cap. 28. & 35. lib. 1. Reg. cap. 7. & apud Iosephum lib. 7. *Antiquitatum Iudaicarum de titulo Absolonis.*

Tacitus lib. 2. annal. ait apud Aegyptios etiam fuisse in vsu, &

loquens de Tito, ait, *Mox visit veterum Thebarum magna vestigia: manebant structis molibus litteræ Aegyptiæ, priorem opulentiam complexæ*, & lib. 4. Annal. de Messenijs, ait: *Contra Messenij veterem inter Herculis posteros diuisionem Peleponesi protulere suoque regi Denthel atem agrum, in quod delubrum, cessisse: monimentaque eius rei sculpta saxis, & ære prisco manere*.

De Macedonibus testatur Cornelius in Pausania, & Alcibiade, vt etiam Arrianus lib. 1. dum refert titulum, quem Alexander præfixit trecentis armaturis Persicis, quas miserat Athenas dono Palladi, & lib. 2. dum narrat Alexandrum memoriam inscripsisse naui Tyriæ, quam Herculi sacrauit. Persarum quoque meminit Arrianus lib. 4. vbi epitaphium Cyri, Persicis litteris eius sepulchro inscriptum apud Pasargados refert.

Liuius etiam Romanarum rerum ille compilator egregius lib. 8. decad. 3. testatur etiam Annibalem propè Iunonis Laciniæ templum æstatem egisse, ibique aram condidisse, ac dedicasse cum prolixo titulo, ac inscriptione eius gesta exprimente insculpta Græcis, ac Punicis litteris.

De Syracusanis testatur Cic. lib. 5. Tuscul. vbi perpolitè, ac disertè describit huiusmodi institutum, ac ait ad portas Syracusarum, quas Agragianas dicebant maximam sepulchrorum frequentiam adfuisse, & præsertim sepulchrum Archimedis, & Epitaphium dumetis vndique, ac vepribus obrutum.

Romani verò, qui vtpotè totius vniuersi principes, rerumque potentia, ac imperio exteras gentes latè superarunt; ità amore gloriæ fuerunt inflammati, vt immanis illa statuarum sylua, quæ in eius surgebat sinu, inscriptionibus incisis, loquax redderetur, imò taliter immortalitati, ac posteritati consuluerunt, vt nullus Orbis angulus extiterit, qui aliqua Romanorum inscriptione Cæsarum gesta non enarraret, nec contenti erant Romanè dumtaxat scribere, verùm barbaris etiam linguis titulos sculpebant ad Romani Imperij prolatandam maiestatem, ac gloriam; & hisce diebus frequenti lapidum volutatione elegantes reperiuntur inscriptiones, quæ veluti thesauri è terræ visceribus in lucem prodeunt, & verè aurei sunt fructus illis Hesperidum pretiosiores, licèt ab immani illa erumpant saxea statuarum sylua; vbi septem collium olim cubabat hydra, *Roma*: Iulius Capitolinus scribit. *Gordiano sepulchrum milites apud Circeiam castrum fecisse in finibus*

bus Persidos, titulum huiusmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Aegyptiacis litteris, vt ab omnibus legerentur; imò, & tanti fecere inscriptiones Romani, vt existimauerint Nomothesiam illam amplissimam non fore numeris omnibus absolutam; nisi & leges aliquas etiam de inscriptionibus, quà publicis, quà priuatis sanxissent. Papinianus lib.50. Pandectarum tit.9. cap. 11. asserit, Legem fuisse, quà operi publico nomen tantum principis, aut eius, cuius pecunia, opus factum esset inscribi licebat, & in operibus sacris opifices se non inscribebant; quapropter Cic. in Tuscul. quæs. *Opifices etiam post mortem nobilitari volunt, quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cùm inscribi non liceret*. Lex etiam erat, qua nullis, qui liberalitate non necessitate debiti, reditus suos ad opera facienda impẽdebant, prohibèbatur capere fructum munificentiæ suæ de inscriptione sui nominis. Exempla plurium inscriptionum publicarum habentur apud Grutterum, ipsum consule. Deniq́ue nemò poterat auferre vicino prospectus publicè scripturæ, quatenus ea, quæ scripta erant cognosci poterant, vnde ad rem nostram Harmenopolus in Prochyro Iuris lib.2.tit.4.& 62. *Tanto interuallo abesse oportet eum, qui ædificaturus sit, vt publicæ scripturæ prospectum vicino prærepturus, quanto quippiam, ex ibi descriptis, aut pictis historijs percelebre spectari potest, & vt si quis ipsam spectans picturam agnoscit, et ex suis ædibus depictos videt Achillem Aiacem, aut eiusmodi quempiam. Tunc enim potest eum prohibere, qui se velit huius picturæ prospecta fraudare; Si verò neque eorum, quæ ibi descripta sunt quicquam notum est, ac celebre, neque quisquam eam videt historiam, quam ex eius prospectu voluptatem capiat, quis ædificantem prohibet?* hæ omnes leges erant de publicis inscriptionibus. Circa priuatas inscriptiones Honorius, & Theodosius Imperatores vetuerunt, ne priuati homines titulos patrimonijs suis, & domibus ãdhiberent, vt videre est lib.2. cod. tit. 16. cap. 1. At claros viros fundos suos inscribere potuisse arguunt idem Honorius, & Arcadius lib. 2. eiusdem Codicis tit. 14. cap. 1. vbi sanxerunt, ne tituli potentum inscriberentur alienis fundis ad terrendos illos, qui eos vendicare tentant. Varro etiam harum inscriptionum meminit in fine præfationis ad Pinnium, ait; *Cum enim villam haberes opere tectorio, & intestino, ac pauimentis nobilibus Lithostrotis spectãdã parũ putasses esse, ni tuis quoq́; litteris exornati parietes essent.*

Hæ inscriptiones imprimebantur in marmore, vel in ære, vel in ligno, sic Plinius in Panegyrico Traiani: *Quod ego titulis omnibus speciosius reor; quando non trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur:* & Horatius in Poëtica, *& leges incidere ligno*, & Pomponius lib. 1. Pandect. tit. 2. c. 2. *Vt ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulis eboreis conscriptas pro nostris composuerunt.*

Insuper hoc quoque notandum, quod olim Romani omnia scribebant ijs litterarum formis, quas hodiè maiusculas vocamus: neque vlla ferè erant inter singulas voces interualla, sed punctis interiectis vocem à voce distinguebant tali pacto VIXIT. AD. DESIDERIVM. POPVLI. PARVM. AD. RES. GESTAS. SATIS. AD. MEMORIAM. OPERVM. SEMPER.

EXPENSIO QVARTA.

De Stylo Inscriptionum.

INscriptiones haudquaquam id temporis sunt perpetuis numeris adstringendæ, nec inter carminum cancellos debent detrudi; magis numerosum esse quidquid dicitur, & concinnum nullus vetat, numeros verborum vbique habere, frigidum est; quippè quì inscriptio, nec verborum futiles circuitus, nec prolixas periodorum redundantias amplectitur, nec regulas, ac leges carminum seruat; sed exlex stylus pede libero currit inter carmina, ac solutam orationem, gaudet enim libertate orationis, & simùl breuitate carminum.

Quamquam Inscriptionum periodi compedes non habeant, vt carmina; comparari tamen debent, ac commensurari strophis, & antistrophis lyricorum, pro exemplo subiectam habes hanc inscriptionem funeream in commendationem CLEMENTIS PAPAE NONI acerbæ Libithinæ fato è viuis abrasi;

Heu Cæci Cæcam Libithinam, qui fingimus!
Vidit hæc Clementiam in solio triumphantem,
Hinc euertit, vt humanitatis spem euerteret.
Inexorabilem credite Parcam, quæ nec Clementiæ parcit.
Imò montium celsitudines in cinerem proterit
CLEMENS NONVS.

pure

Puro Anagrammate lege

EN MONS LVCENS.

Inuida Mors noluit diù ſeptenis collibus,
Octauum hunc ſupereſſe ad miraculorum coronidem.
Non obijt tamen, ſed abijt
Terram ſatis excoluerat, à qua
Sentés, tribulos, vepres, diſſidij
Auulſit; antequam hinc auelleretur:
Nam cognata regum capita odijs diſſidentia, fœdere iunxit.
Et Galli ardores contra Aquilam excitatos,
In Turcas repetijt, vt Veneto Leoni
Vires adderet, ac flammas.
In eius munificentiam verè ROMA AMOR fuit,
Hunc amorem, vt meliùs aleret, annonam laxauit
Vt augeret, vectigalia minuit.
Vndè ſine triſtitiæ tempeſtate, non obijt Clementiæ ſerenitas,
Cùm nubili animi lachrymarum pluuias
Per oculos ſtatim effuderunt.

Hæ autem Inſcriptiones ſunt magis encomiaſticæ, ac plurimum habent ſalis, ac aucupij, aliæ ſunt inſcriptiones; quæ ſine metricis lineis currunt grauiores, ac rem heroicè exprimunt, ac laconicè; talis eſt illa Pauli Quinti Pontificis Maximi, quæ legitur Romæ in interiori facie Magnificæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum: *PAVLVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS VATICANVM TEMPLVM A IVLIO II. INCHOATVM; ET VSQVE AD GREGORII, AC CLEMENTIS SACELLA ASSIDVO CENTVM ANNORVM OPIFICIO PRODVCTVM: TANTAE MOLIS ACCESSIONE, ET VNIVERSVM CONSTANTINIANAE BASILICAE AMBITVM INCLVDENS CONFECIT*; vbi tu vides laconiſmum ſententiarum; verborum proprietates, ac ſimùl ædificij ſtructuram adamuſſim explicatam. Maiorem tamen elegantiam iactat hæc alia inſcriptio, in qua explicatur magnificentia Vrbani VIII., qui Tyberim è propria egreſſum ſede, ac plura de die in diem abſorbentem ædificia priſtino reſtituit loco: *VRBANVS VIII. PONTIFEX MAXIMVS, TIBERIM VIA PVBLICA EVERSA VETEREM REPETENTEM ALVEVM; NOVI EFFOSSIONE, AD DEXTERAM DEDVCTVM AGGERIS OBIECTV, VALIDAQVE*

COM-

COMPAGE LIGNORVM, SVB PONTE, QVEM DECLINABAT CONTINVIT ANNO SALVTIS M.DC.XXVIII., PONTIFICATVS SVI VI. In hac inſcriptione vides proprietatem ſubiecti non poſſe eſſe maiorem, quia à Tiberis Ponte Pontificis nomen ſuam traxit originem. Conceptus etiam eſt heroicus exprimens, illud regium flumen aureo Pontificiæ liberalitatis fræno coercitum, & vi reductum ſub priſtini pontis pedem, quem dedignabatur, voces etiam perfectè latinæ ſine ſalebris fluunt. Inter cæteras tamen inſcriptiones palmam ſtringit hæc alia eiuſdem Pontificis Vrbani VIII., quæ inſculpta legitur Romæ in pronao Magni Fani Sanctæ Mariæ Rotondæ, quod olim Pantheon vocabatur vnica Ethnicæ ſuperſtitionis ſuperſtes reliquia; quæ de voraci temporis dente triumphauerit, cuius exteriora, ac interiora æra iam facta inutilia pondera, ac otioſa; modò Apoſtolorum confeſſionem magnificè exornant, vbi in quatuor gigantheas columnas æneas eriguntur, ac in tormenta bellica fuſa vrbium reginam tuentur; inſcriptio eſt, quæ hic ſubijcitur, VRBANVS VIII. PONTIFEX MAXIMVS *vetuſtas ænei lacunaris reliquias, in Vaticanas columnas, & bellica tormenta conflauit, vt decora inutilia, & ipſi propè Famæ ignota fuerint in Vaticano Templo Apoſtolici ſepulchri ornamenta: in Hadriana arce inſtrumenta publicæ ſecuritatis Anno Domini* M DC XXXII.: nec credatur diminutum ornamentum huius Templi, quia æneas amittens trabes onerantes potiùs, quam ornantes; hanc acquiſiuit auream inſcriptionem.

EXPENSIO QVINTA.

De Perfectionibus, & vitijs Inſcriptionum.

STylus inſcriptionum breuitati præcipuè debet ſtudere, ità vt nequaquam ſit otioſus; ſed acer, velox, grauis, ſententioſus, preſſus verbis; & licèt floridam illam dicendi amænitatem, ac leni tractu, atq; æquabili tenore fluentem orationis ambitum non habeat, tamen acumina non reſpuit; & ſolùm à fuco, & calamiſtris puerilibus diſcedit. Cæterùm ità dilucidè geſta narrat, ac rem exprimit, vt videatur amnis ſine ſalebris fluere: & tot inſuper veneribus debet eſſe perfuſus, vt non mediocriter lectores

ſuos

suos oblectet. Errant qui verborum nouitate, ac periodorum insolentia in hoc dicendi genere iuueniliter exultant, & vt videantur Ciceroniani verborum circuitus quærunt: huiusmodi instituti stylus laconismo magnoperè gaudet, seruans in grauitate ornatum, in ornatu grauitatem. Periodi debent esse concisæ, expeditæ, quæ nihil habeant obscuritatis; prærupti, ac suspiciosi sermonis; affectatos titulos, tumida verba adulationem indicantia reijciant, quæ voces ob exilitatem ad plebeium sermonem vergentes excludant, vt etiam superfluas phaleras; nam in hac facultate nimis iucunda fastidiosos animos satietate obruunt, & summæ voluptatis extrema tædium occupat: exemplum periodi concisæ, ac perbreuis habetur apud Porcium contra Vestalem declamantem tali pacto; *Sacerdos nostra adhuc in lupanari viueret ---- nisi hominem occidisset ---- inter barbaros, quid passa sit, nescio; ---- quid potuerit scio ---- Sacerdoti, ne purus quidem contigit Dominus ---- Absint ex hoc foro Lenones: ---- Absint meretrices: ---- ne quid parùm sanctum occurrat, dum Sacerdos legitur ---- si nihil aliud ---- certè osculatus est te quisquis puram putabat ---- ò egregium Pudicitiæ patrocinium*! ---- militem occidi! ----

Insuper Voces inscriptionum debent esse perfectè latinæ, limpidæ, sonantes, est enim error multorum recensiorum, qui credentes elegantes scribere inscriptiones verba abstrusa in Calepino, vel Amalthea Onomastica, veluti gemmas in Eritræo expiscantur; vide quàm sit abstrusa istorum eloquentia, quæ in abstrusis dumtaxat consistit vocibus, ideam perfectæ inscriptionis censeo illam Sulpitij. *SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS SERVIO SVLPITIO QVINTI FILIO LEMONIAE RVFO. QVOD DIFFICILLIMO REIPVBLICAE TEMPORE, AVCTORITATEM SENATVS, SALVTEMQVE POPVLI ROMANI VITAE SVAE PRAEPONENS; ET IN LEGATIONE MORTEM OBIERIT VITAE CONSENTANEAM*; in qua tu nec legis illam titulorum superfluitatem, quam multi affectant; nec verba abstrusa, aut dissona; sed expeditam breuitatem, sermonis candorem exprimentem. E conuerso si tu legeres inscriptionem sculptam Romæ in arcu triumphali Constantini Magni post debellatum Massensium titulorum superfluitatem, verba tumida legeres, inscriptio est ista: *IMPERATORI CAESARI FLAVIO CONSTANTINO MAXIMO, PIO, FELICI, AVGV-*

AVGVSTO. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS, QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO, TAM DE TYRANNO, QVAM DE TOTA EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS: ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT; quamquam hæc inſcriptio magnifica tibi videatur propter nobilitatem ſubiecti, ac ſonantes vocales; pulchra propter nobilitatem obiectorum, attamen ibi legis illam affectatam ſuperfluitatem titulorum ad oſtentationem nimij honoris *Maximo, Pio, Felici*, illam vanitatem terminorum inſtrumentalium *instinctu Diuinitatis, mentis magnitudine* ſuperfluitatem illius expreſſionis *cum exercitu ſuo*: ſupponitur enim ſuperaſſe Maſſenſium armis, & exercitu: inſuper improprium eſt illud, *De Tyranno Rempublicam vltus eſt iuſtis armis*, licèt *iuſtis armis vlciſci remp.* ſit optima phraſis, & forſan excerpta ab Ouidio in apologo Minois; *Androgeique necem iuſtis vlciſcitur armis*; attamen grammaticaliter non perfectè dicitur; & propoſitio *De*, quando reſpicit offendentem, non offenſam nullo modò poteſt reſolui in ſenſum latinè vſitatum, tandem meliùs dixiſſet, *dedicauit arcum trophæis inſignem*; quam *triumphis*; deindè latino in idiomate vox *Factio*, rarò inuenitur; nec mirum, ſi temporibus Conſtantini Magni idioma non fuerit perfectè latinum; nam ſtylus talis erat, qualem corrupta militiæ ſæcula; marcida iam eloquentiæ laurea, ferebant: homines enim Bellonæ potiùs, quam Palladis ſectantes veſtigia, latinum idioma conſortio exterarum gentium corruperant; ac violarunt homines turpes, hiſpidi, qui potiùs ſub quercu glandem eructabant, belluis, quam viris ſimiliores.

Propoſui tibi Inſcriptionem peccantem in ſuperfluitate, ac vanitate titulorum; modò aliam hic ſubijcio vitioſam ob vocum aſperitatem; talis eſt illa inſcriptio in commendationem Titi poſt partam victoriam. IMPERATORI TITO CAESARI, DIVI VESPESIANI FILIO, VESPESIANO AVGVSTO &c. PATRI PATRIAE, PRINCIPI SVO S. P. Q. R. QVOD PRAECEPTIS PATRIS, CONSILIISQVE, ET AVSPICIIS GENTES IVDEORVM DOMVIT, ET VRBEM HIEROSOLIMAM, OMNIBVS ANTE SE DVCIBVS, REGIBVS, GENTIBVSQVE; AVT FRVSTRA PETITAM; AVT OM-

OMNINO INTENTATAM DELEVIT, quæ inſcriptio ob geminatam octiès eandem vocalem, i, in illis vocibus *Præceptis patris, conſilijsque, & auſpicijs*; redditur aſpera, nec habet illam perfectam concinnitatem, quam exigit perfecta inſcriptio.

Inſcriptio perfectā ſeruans concinnitatem vocum inter mille vnica habetur Bononiæ, tam celebris, ac elegans, vt ſi non eſſet potiùs indiſſolubile ænigma, inter inſcriptiones principem facilè occuparet locum: inſcriptio igitur ſepulcralis multa complectens antitheta eſt ſubiecta:

Aelia Lælia Criſpis,
Nec vir, nec mulier, nec Androgyna;
Nec puella, nec iuuenis, nec anus,
Nec caſta, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia.
Sublata, nec fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus.
Nec cælo, nec aquis, nec terris,
Sed vbique iacet.
Lucius, Agatho, Priſcus;
Nec maritus, nec amator, nec neceſſarius,
Neque mærens, neque gaudens, neque flens,
Hanc nec molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum,
Sed omnia.
Scit, & neſcit, cui poſuerit.
Hoc eſt ſepulchrum, intus cadauer non habens,
Sed cadauer idem eſt, & ſepulchrum ſibi.

Ad hanc dilucidandam inſcriptionem, quamplura deſudarunt ingenia, Marius Patauinus vir ad omnes elocutionis flores natus, verum ſēſum huius inſcriptionis conatus eſt enucleare, & *Aquam pluuiam* interpretatus eſt. Turrius verò Brugenſis, *Materiam primam*: Bernardus Gallus *Mercurium chimicum*, Richardus Anglus *Niobem*, Alij *mentis ideam*; ſi tamen benè perſcrutetur inſcriptio hæc ſepulchralis; *Amoris* epitaphium eſſe facilè inueniemus; Amor veluti Aegyptius Proteus omnium rerum induit formas; licèt ſemper informis, nec enim mas ille eſt, nec fœmina, neque homo, nec ſapiens, nec fatuus, ſed coagmentatus ex omnibus, quia in cunctis ſuas accendit tedas.

Quapropter *Amor* vocatur in ipſo inſcriptionis initio, *Aelia*,

Lælia, Crispis, quia in vtroque sexu crescit, ac triumphat Amor, sensus igitur est: Amor est in *Aelia, Lælia, Crispi*, prima duo nomina à Poëtis tribuebantur fœminis meretriculis, in quibus magis æstuat Amor, & Mart. lib. 1. epig. 19.

Si memini fuerant tibi quattuor Aelia dentes,
Exspuit vna duos Tussis, & vna duos.

Lælia quoque meretrix erat; dicitur Crispis à crispo crine, quia homines crispo capilitio sunt cæteris molliores, ac magis Amoris illecebris dediti, & Martial. lib. 5. epig. 61.

Crispulus iste, quis est, vxori semper adhæret.
Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?

dicitur *Nec vir, nec mulier, nec puella, nec iuuenis, nec anus, nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia*, quia Amor ne dum suas exercet vires in fœminis, & viris, sed in omnibus, dicitur *nec Androgyna*, quia vt loquitur Aristophanes apud Platonem in Symposio; fabulantur Poëtarum commenta, tria extitisse in ipsis nascentis orbis cunabulis hominum genera, marem, fœminam, Androgynum, id verò temporis non existere hoc tertium genus, quia cùm superbia elatum, dijs se vellet æquare ab Ioue vibratis fulminibus fuit euersum. *Nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia*. quia duplex datur amor, sincerus vnus, impudicus alter; sincerus æstuat in castis, & pudicis; impudicus in meretriculis; subiungitur *Sublata, neque fame, neque ferro, neque veneno, sed omnibus*; quia Amasij varios sortiti sunt infelices exitus, alij fame, alij veneno, alij ferro periere, additur *Nec cœlo, nec aquis, nec terris; sed vbique iacet*, quia amor ne dū reperitur in terra, sed per omnia elementa diffunditur, sequitur *Lucius, Agatho, Priscus*; quia hic iuuenis erat, qui ob præstantem formam omnium amorem ad se se trahebat; sic amor omnia ad se trahit, subiungitur, *Nec maritus, nec amator, nec necessarius, nec mærens, nec gaudens, neque flens*; primò, quia maritus esse quis potest, & simul amore præpostero aliam adamare; secundò, quia varius est Amasij affectus, gaudet enim, dolet, timet, sperat, desperat; hinc veteres gemino armatum arcu Amorem pinxerunt, vt vno lætitiæ, altero mæroris sagittas euibraret: subiungitur. *Hanc neque molem, neque pyramidem, neque sepulchrum; sed omnia*; quia Amor filiorum in parentes, vel vxorum in maritos defunctos varios construxit tumulos; sic Aegyptij giganteas erexere pyramides, Artemisia

missa Mausoleum construxit, clauditur tandem Sepulchralis inscriptio *scit, & nescit, cui posuerit*, quia author huius ænigmaticæ inscriptionis scit quidem se amori posuisse, sed nescit insuper quid sit Amor, per tot antitheta, ac ænigmata explicatus, vnde scit, & nescit cui posuerit.

EXPENSIO SEXTA.

De Stylo, quo recentiores inscriptiones sunt texendæ.

PRisca elocutio licèt ob antiquitatem venerabilis, concinnitatis tamen oblita argutiarum sales, ac flores benigno non fouebat in sinu; sed simplicitate magis, quam phaleris gaudens; stylo candido sine fucis suas texebat inscriptiones, vt patet in singulis Romanorum inscriptionibus: politissima verò huius ætatis ingenia, quia amant inter flores argutæ Palladis vernare; ideò ad maius inscriptionum condimentum sale, ac flore elocutionis suas spargunt inscriptiones. Negare tamen haud possum, floruisse in ipsis natæ eloquentię cunabulis ingenia politissima nata ad omnia disciplinarum ornamenta; floruit enim Demetrius Phalereus, cui ob grande eloquentiæ illicium, quot anni dilabuntur dies; tot fuerunt erectæ statuæ, vt staret diutiùs eius gloria, licèt postea ipsius fortunæ turbine excussus, extorris in Aegypto aspide ad corpus admota diræ necis subierit fatum; eiusque statuæ contritæ sui nominis integritatem quoq; fregissent. Resplenduit Theophrastus, cui nomen dedit loquendi diuinitas, cũ antea Tyrtamus vocaretur, hic in Aristotelis sinu educatus, ingenio acri, dulce elocutionis fastigium appulit, ac omni elegantiarum flore suos exornauit compositiones. Claruit Demosthenes, qui inter Rhetores principatum facilè obtinuit; ac Atticos flores, sic coluit; vt in fructum erumperet immortalitatis; qui nihil lysiæ subtilitate cedit; nihil argutijs, & acumine Hyperidi; nihil lenitate, & splendore verborum Aeschini. Illuxit Isocrates sirenula illa blandula, is enim eloquentiæ lenocinijs animos, & vincebat, & vinciebat, & licèt tibiarum fabri filius; didicit canere maioribus fistulis ad eloquentiæ decora natus. Resplenduit grandis Homerus delicium illud Pindi, quem Musæ proprio educarunt in sinu; Floruit Lysias viua quædam, ac spirans Mercurij imago; non

tamen isti propria exercuerunt ingenia in scribendis inscriptionibus argutis.

Character inscriptionum hisce temporibus breuitati studet; sed simul argutiarum sales exigit; rem clarè exprimit, sed simul elocutionis flore allicit; grauitatis leges ad amussim seruat, & simul inter vireta amænioris Parnassi iocatur. Rude exemplum subiectę inscriptiones dabunt, quas composui appendendas Niceæ Acropoli in genethliacis festis Victoris Amedei, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis protonati.

Vernante Pacis olea Sabaudiæ in solo;
Materna ex aluo caput extulit
VICTOR AMEDEVS CAROLI EMANVELIS Protonatus;
Omine Athleta, Victorias præfert nomine;
Oleum, quo liniatur, Pacis ministrat olea.
Nisi Victorias à Victore expecta.
Subalpinæ Regiones, ac Allobrogica iuga
Hoc triumphatori nomine (VICTOR AMEDEVS) mugiere.
Post cruoris imbres, dissidijque hyemem,
Taurini, hoc est Solem in Tauro ortum lætata sunt.
Propè quem lætabundæ volitant Nicenæ Aquilæ;
Et ne huic deessent sydera Soli;
Nicena arx pensilibus eius ortum coronat flammis:
Nouam crede Aetnam Acropolim,
Flammas euomit illustrandis VICTORIS Genethliacis:
quid ni? suis periturus flammis oritur igneus mons?
Sibi Pyra erit, & Pyrausta? falleris;
Lætitiæ flammis immori, non est mori, sed Phęnicio more nasci.

Alia Inscriptio appendenda in prospectu quorumdam iocorum igneorum.

Nouo orto Soli Sabaudiæ in cælo,
Erumpentes è rogis stellulæ triumphalia texant diademata.
Nox inuideat noua sydera, Dies nouum Solem.
VICTOR AMEDEVS vix natus, nactus Victorias nomine,
Pugnas præcedit palmis;
Quæ, vt clariores fiant hisce illustrantur flammis.
Hercule maior vincere discit ante cunabula.
Adoreas canunt Victori flammeis linguis volitantes radij,
Et Vulcanus Aetnæ in iugis fulminum,

Hic

Hic Faber extat gaudiorum.
Bombardarum tonitrua communi plaudant lætitiæ,
Et serenitatis fiant præsagia tempestatum genitores.
Serenà hac in malacià flammarum pluuijs
Irrigentur gaudiorum semina;
Vt vberiores crescant in fructus:
Et hoc extincto elemento, ne alimento careant;
Ministrate ciues de cordis ardoribus suppetitias.

Alia Inscriptio appendenda pronao templi.

Ad Victorias nascere VICTOR
Heroum heros, herus, ac hæres felicissime
Sabaudiæ stirpis columen, & culmen,
Omnibus non tam clarus, quam carus:
Iani foribus clausis; has triumphales tibi Victori aperit Nicea;
Vt sanctior Alcides, vel in ipsis cunis,
Nomine, ac omine palmas disceres admouere palmas.
Io triumpha? alicubi, si nasceris; vbique nosceris.

Alia Inscriptio appendenda interiori faciei templi.

Festis vndique Pyris luceant compita;
Ludis personent theatra; corruscet cælum missilibus ignium iocis;
Mugiat tellus repetitis tormentorum fragoribus;
Accensis augeatur dies funabulis.
Nouus ortus est Sol lustraturus suis gestis terram:
Taurini, hoc est in Zodiaci *Tauro* natus, nactus felicitatem
Floridum virtutis ver secum trahet;
Ac de Iouis fabula triumphans, aureas beneficiorũ pluuias fundet.
Vtraque lauro Apollinea, Martiali coronabitur.
Ita Mineruæ arborem oleam adamat;
Vt vel ipsa pacificè vernante nascatur.
Ita Bellonæ victorijs adhæret, vt ipsas vel nomine præferat.
Exultate ciues, si Patris vigilantiam obtinet: quis solertior?
Si matris dignitatem, quis spectabilior?
Si parentum clementiam referet: quem non vincet officijs?
Morum suauitate, vel asperos sibi conciliabit animos:
A Cotijs Alpibus, quibus imperat
Animi celsitudinem, ac inconcussam firmitatem apprehendet.
Io? albo signetur lapillo Genethliaca dies
Delicium Cæli, ac Pindi edidit.

Tibi

Tibi propoſui genethliacas inſcriptiones; ſubijcio modo quaſdam funereas inſcriptiones, quas cõpoſui in funere Ill. Domini Honorati Leotardi Senatoris Nicienſis, viri vtraque lauro redimiti, qui celebrem de Vſuris ſcripſit librum, & carminibus ferè omnes Cælites commendauit.

Luceant funalia lugeant,
In liqueſcentis ceræ ſoluantur lachrymas;
Heù cecidit virtus, in Libithinæ vmbras, abijt ſapientiæ lumen,
Nox atra triſtitiæ omnium corda occupet:
Et vna compreſſa VITA lachrymarũ vindemiam ab oculis eliciat,
Quà ebrius dolor inſanire ediſcat in cordibus.

Secunda Inſcriptio à latere dextero pyræ.

Accedite ciues, & illuminamini ad funereas faces,
Quæ lucent, & lugent abraſum è viuis
HONORATVM LEOTARDVM, Senatorem Eximium.
Funereum choragium vos indicat mortales, illuminamini;
Magis illuminant Libithinæ ferales vmbræ; Sole ipſo.

Tertia Inſcriptio à latere ſiniſtro Pyræ.

Squalore vallatus, merore compreſſus
Legito quiſquis es, lugeto.
Extinctus iacet; qui ſtans, vbique famam accendit.
Inanem deſijt in cinerem virtutis ſplendor;
Non tamen obijt, abijt ſapientum Phœnix è labili cinere
ad inuiolabilem gloriam.
Caue tamen ne ita alienam lugeas necem, vt nõ memineris tuam.

Quarta Inſcriptio in tergo Pyræ.

Quam vides molem penſilibus irradiatam flammis
Parnaſſus eſt, ab Aetna hoſce mutuauit ignes
Extincto ſuo Apollini parentaturus,
Totus liqueſceret in lacrumas, niſi in cælum raptum crederet.
Sapiens enim dominabitur Aſtris.
Tu tamen has ad flammas, ni cales adamas es, non adamans.

Quinta Inſcriptio in baſibus Pyramidum.

Triſtes vlulate gentes: fractis oculis fractum ſtamen
A Parca, quæ nulli parcit; lugete.
Pluuij ſint oculi ſerenitate ſepulta,
Et qui alienas lachrymas exſiccauit viuus; excitet mortuus.
Præficæ adſint virtutes, & quæ regnarunt in viuo, lamententur
in mortuo.

Ne

Ne miremini, si liquescente cera plorant funalia:
Etiam defuncto Sole Stellarum succenduntur Myriades,
Ac roscidis lachrymantur stillis suo parentaturæ principi.

Sexta Inscriptio in basibus Pyramidum, sexagenarius moritur æstiuo tempore.

Heù quale Libitinæ est gelu!
Non potuit æstas mortis hyemem prohibere,
Ne caderent è sapientissimo capite venerabiles canitiei niues:
Pluuiosa est hyems? non mentitur Fatum:
Periere virtutum flores, cecidere fructus honoris, ac gloriæ,
Elapso Autumno; non poterat, nisi hyems succedere.

Septima Inscriptio in basibus Pyramidum.

Inserat vrbs mærens ferales Apollinis lauro cupressus.
Lacrumarum ad flumen lugeat populus;
Non Phaëtontem, sed lapsum Phebum;
Qui Zodiacum ingressus ea æquitate omnia cucurrit signa,
Vt à libra nunquam discesserit.
In Scorpio tũ nunquã resplẽduit, quia nullius erat capax veneni.
Licèt Leotardus, in domo Leonis velox fuit ingenio.
Demũ, qui inconcussa animi firmitatẽ aduersæ Fortunæ obiecerat
Libitinæ falce è viuis abraditur.

Octaua Inscriptio in basibus Pyramidum.

E viuis ereptum, ne credas Honoratum,
E mortalibus crede raptum:
In terras cum ipso descenderat Astræa;
Non obijt, abijt vndè venerat,
Vitæ suppetitius æternitati fœneraturus.
Sol in Libra Ecclipsim est passus, non necem.
Nec mirum si omnes fecit excordes;
Quia omnes diligebat excorde.

EXPENSIO SEPTIMA.

De Elogiorum nomine, ac origine.

DIspliceant huic rosæ, ac lilia, cui non placet elogiorum stylus, hortus namque est varijs consitus arboribus, innumerisque florum distinctus areolis; ex quo argutiarum spirant odores.

res. Myrtus, Cypariſſus, Platanus, & Laurus, quia nullum è ſenſibus præter oculos paſcunt excluduntur à prædio pauperum; in horto verò diuitis, cui vel ipſa vmbra genus fructuum eſt, facilè aluntur: ſic laconicæ argutiæ ad ingeniorum dũtaxat illicia ortæ; non in quocumque compoſitionis campo efflorеſcunt, ſed ab ingenijs ad politiſſime elocutionis decora natis erumpentes, elogijs gemmarum intexunt diademata.

Ad fugandam omnem æquiuocationis vmbram *Elogium* ſumitur à nonnullis pro teſtamento morientium; ab alijs pro teſtificatione de aliquo honoris, vel ignominiæ cauſa; aliquando etiam ſumitur pro ipſa ſignificatione expreſſa teſtamento datæ, vel negatæ hæreditatis. *elogia* etiam, ſeù *ellogia*, ſeù *eulogia* vſurpantur ad ſignificanda carmina, ac adagia. At *Elogium* provt hic ſumitur nihil aliud eſt, quam arguta, ac laconica compoſitio honoris gratia; ſeù eſt ſeries argutiarum, quà aliquod peculiare geſtum alicuius herois, ac præclari viri commendamus.

Hæc argutiarum catenula metricis lineis, in quibus triumphet laconiſmus eſt texenda, ſeruat enim elogiorum ſtylus eaſdem methodi regulas, ac inſcriptio; nec verborum redundantia fluit, vti oratio; nec ſyllabarum quantitati alligatur, vt verſus: ſed hilari fruitur libertate.

Licèt exlex videatur, leges tamen inuiolabiles ſeruat inter oratorium, ac poëticum ſtylum. Genus hoc ſcriptionis, ſeù Lapidariæ Elocutionis adhuc ſuis pubeſcit in cunabulis, & licèt noſtro natum ſæculo plura exercuerit ingenia politiſſima, nata ad elocutionis ornamentum, vti fuerunt Emanuel Theſaurus, & Aloyſius Iuglaris; primus quorum elegantem, ac argutum ſcripſit ſuper veteris legis Patriarchas elogiorum libellum, qui tot includens gemmas, quot voces; tot margarita, quot periodos; tot lumina, quot aureas ſententias verè theſaurus eſt, ac Theſauri filius: ſecundus Chriſto paſſienti hecatombem elogiorum immolauit, ac varios flores Chriſti ſpinis inſeruit. Attamen nemo hucuſque præcepta conficiendi elogia tradidit, ſed omnes à regulis abſtinuerunt, quod non exile videtur afferre Reipublicæ litterariæ detrimentum; præſertim tyronibus, qui præceptis deſtituti in varios temeritatis errores prolabuntur.

Inoleuit tamen opinio quamplurium aſſerentium elogiorum regulas, ac præceptiones; naturæ, atque ingenij viribus potiùs efferue-

efferuefcere, quam vllis artis regulis contineri: atqui libenter fateor multum in cæteris difciplinis; in elogijs verò plurimum valere præftantis, ac elegantis ingenij felicitatem, affidua præfertim exercitatione corroboratam; fed tyrones huius inftituti deftituti regulis, necefsè eft in frequentiffimos errores impingere: quapropter operæ pretium duxi hic nonnullas dilucidare huius inftituti regulas ob maiorem facilitatem tyronum.

EXPENSIO OCTAVA.

De optimo charactere Elogiorum.

HVius inftituti alumni argutæ breuitati præfertim debent ftudere; ità vt verborum circuitus, periodorum prolixitates, omninò fugiant; plures enim vt videantur Ciceroniani hanc corrumpunt facultatem; alij quia mollioribus vtuntur orationis cincinnulis vim argutiarum, delicatæ dictionis aucupijs infringunt. In elogijs non voces, fed conceptus mentis, ac argutiarum feries veluti gemmæ auro diftinctæ debent fplendefcere; fateor tamen vocum amænitatem non effe reijciendam; fi mentis conceptum, ac argutiam fuci non obnubilant: periodus non eft hic quærenda, nec latini medulla fermonis; acutus videri, qui vult latinus femper effe non poteft. Stylus non oratorius, fed potius libera poëfis effe debet; ità vt breuitatem lyricorum inuiolabilem feruet, verborum nitorem, ac omnem elegantiam, quæ argutiarum claritati non officiat, ac laconifmo.

Quamobrem vt texatur elogium in honorem, ac commendationem alicuius præclari viri: primò erunt fumenda gefta commendanda; deindè per regulas fupra traditas cùm de argutijs, multiplices debent fieri argutiæ fuper eadem gefta: & licèt omnes non videantur habere eafdem amænitates; erunt tamen eligendæ pulchriores, & poftea inuicem connectendæ laconicè tamen, ac per lineas metricas; ità vt fi fieri poteft quælibet lineola fuum lumen, ac argutiam includat: modum nectendi has argutias docebo infra: nunc vt veniamus ad praxim; commendemus elogio heroicum Sufannæ geftum; & ponatur hoc thema, *Sufanna infanos canofque fenes, à quibus ad libidinem prouocabatur egregiè reijcit;* Vt variæ conficiantur argutiæ fuper pofitum thema fumatur

castitas Susannæ, & *libido* senum; & per decem Aristotelis prædicamenta inueniantur metaphoræ tali pacto.

SVSANNAE CASTITAS.	SENVM LIBIDO.
Substantia.	
Lilium inter spinas; pretiosum margaritum, quod non infuscatur; Noëtica arca, nix, Aretusa, quæ dulcissima deuoluitur per salsas maris vndas.	*Flamma, crudele incendium, syrenula blandula, Sodomiticum pomum, Sardonica herba, quæ meri cogit in risu. Pantera odore alliciens, vt enecet. Taxus arbor, quæ vmbra voluptatum interimit.*
Quantitas.	
Grandis virtus, æternum pariens gaudium; maximum animi ornamentum.	*Perbreuis voluptas, prolixa pœna, grande monstrum, informis fera.*
Qualitas.	
Niuea virtus, illustris qualitas, pretiosa animi Dos; nobile, clarum, perspicuum decus.	*Hylaris pœna, crudele gaudium, blanda mors, suauis dolor, obscura flamma suo fumo, ad lachrymas cogens.*
Relatio.	
Parens æterni gaudij, illibatæ mentis filia, sapientiæ soror, niui similis, Religiosis cara, Veneris inimica.	*Aeterni ignis genitrix, impuræ Veneris filia, virtutum hostis, vitiorum amica, amentibus amantibus cara, monstro similis, iuuenum carnifex.*
Actio, & Passio.	
Animam ornat, mentem clarificat, mores componit, rempublicam regit, legibus paret, conscientiam lætificat.	*Venena fundit, candorem animi suo fumo denigrat, mentem obnubilat, virtutes eradicat, animam enecat, gehennam aperit.*
Locus, & Situs.	
Floret in mente, alitur cum cæteris virtutibus, religionis claustra colit, solitudinem peramat.	*In lupanaribus fouetur, in plateis succenditur, in contubernijs gaudet, in diuersorijs triumphat, cum mulierculis tripudiat.*

Motus.

Ad gloriam euolat, virtutes auget, inter pœnitentiæ dumeta crescit.	*Cito fugit, cum vmbra perit, per vrbes serpit, mulierculárum domos ingreditur.*

Quando.

Cadente Sole non cadit, semper vere nouo effloreſcit: æternùm in cœlis olebit.	*Breui illicio æternum sibi comparat cruciatum, nunquam hyemat, semper aſtuat, vel sub canæ ſenectutis niuibus calet.*

Habere.

Decoris splendore vestitur: intactas suas seruat niues, lilia spargit, ac candore ornatur.	*Cupidinis obarmatur telis, flammis circumsepitur, fumosa lacrimas ab oculis elicit.*

Modo ex hoc metaphorarum choragio facilè poſſunt argutiæ confici, lepidè vniendo per anthiteta eaſdem metaphoras tali pacto. 1. *Amantes amentes, eò insaniores, quò seniores flammis tentant niuem comburere, ac perdere.* 2. *Crudele incendium lilium combuſſiſſet, niſi fontium latices flammis obiecisset.* 3. *Vnda olim Venerem peperit, modo perdidit.* 4. *Noua metamorphosis: niues olim aſſuetæ flammas extinguere, in Suſannæ nudis, ac niueis membris mutata natura ignes excitant.* 5. *Niues, & ignis diſcordes olim riuales, ſocordes modo contubernales in ſenibus conuiuunt.* 6. *Hos ſenes crede Aetnas; nam ſub canitiei niuibus inſani ignis fouent incendia.* 7. *Non amplius commendentur Dodonæ fontes, in quibus extincta funalia ſuccendebantur, etiam Suſannæ latices de fabula triumphantes ignes excitant in ſenibus.* 8. *I modo vince Amorem ſi potes, quando ipſis vndis ſuccenditur, non extinguitur.* 9. *Non miror ſi propè fontem creſcit amoris ignis, libido ſardonica eſt herba, quæ mori cogit in riſu hiſce irrigata vndis non poterat non creſcere.* 10. *Castitatis Aretuſa per amaras Amoris vndas dulcior deuoluitur.* 11. *Non extinguitur vndis libido, quia impura Venus aquis innata; aquis neſcit immori.* 12. *Pudoris niues propè libidinis incendium, nec liqueſcunt, neque diſſoluuntur; imò nec obſcurantur accenſæ libidinis fumo.* 13. *Virtutis ſunt hi triumphi; diſcite, & vos moleſtis ignibus perculſæ puellæ tales niues Veneris flammis obijcere; vt de Sagittario Cupidine triumphetis.* 14. *Nobile animi decus à blanda morte hoc niueo pharmaco dumtaxat tuetur.* 15. *Inter ſpinas candicans lilium flammis obrutum non igneſcit, hæc ſunt prodigia*

castitatis: Nunc istæ argutiæ sunt inuicem laconicè, ac metricè nectendæ.

Amentes estis non amantes,
Qui Cupidinis retibus, Pudicitiam hoc in fonte expiscamini:
Non parit hæc vnda Venerem, sed in ipsa perit.
Procul hinc naturæ nefandæ reliquiæ, eò insaniores, quò seniores
Iam tempus vestras arauit frontes; fontes linquite,
Palmas demetere, ne expectetis, elapsa est æstas
Abijt iuuētutis ver, solū vobis superest decrepita senectutis hyems:
Hoc indicant vestrorum capitum niues.
Cerne tamen viator Amoris metamorphosim:
Iuuenescunt senes, non ætate, sed libidine.
Quia Aetnam, non fingunt, sed figunt dementes in mente,
Sub canitiei niuibus æstuant Veneris ignes.
Amoris Ver hyemat in niue senectutis;
Et senectutis hyems vernat in amoris vere.
Heù quam speciosum est damnum, puellæ species;
Eius faciem, facem crede;
Etiam ad accendendas senectutis niues aptam.
Niuea membra dulci lauabat latice Susanna.
Cuius nomen Rosam sonat.
Spirabant auræ, & simul conspirabant in pudicitiam,
Nam latentes angues in herba, vti fuci ad Rosam volitant
Illum violaturi florem,
Qui semel amissus, nullo fit amplius pretio venalis.
O monstrosam libidinem! quæ excitauit incendium
Etiam inter frigidos fontium latices!
Candori insidias tendunt cani,
Et ante artus æuo trementes intremuit Pudor, qui tamen vicit,
Quia impudico igni, Pudicitiæ niues obiecerat.
Discite, & vos molestis ignibus perculsæ puellæ,
Has niues obijcere Veneri.
At quam meliùs hæc vnda extinxisset flammas, quas excitauerat;
Si vbi vitam incępit Venus; finirent Venerei
Estote formidolosæ formosæ puellæ, & discite
Difficilis sanè est rara custidia formæ
Vix tutum est multis, quod placet, atque patet.

EXPEN-

EXPENSIO NONA.

De Artificio reducendi argutias laconicè ad lineas metricas.

DEprompto argutiarum choragio ex decem prædicamentorum fontibus non statim ex omnibus argutijs texendum est elogium, sed seligendæ sunt amæniores, & quæ laconicè possunt clarè exprimi; eodem fermè pacto, quo qui ex varijs arboribus varia decerpsit poma, non omnia in disco adaptat: vt apponantur mensæ, sed maturiora; est enim maximus error, qui per tyronum ingenia semper irrepsit, ponere omnia inuenta in compositione; ità vt ne vnica quidem fabella, aut verbum relinquatur; opsonium hoc panem, ne putes: Genus hoc compositionum excitandis ingenijs natum est, non pascendis, nisi cum moderatione sumatur nauseam nimium auidis mentibus procreat: farta laconismis oratio breuitati, ac acuminibus debet studere; gemmæ, ac lapilli non in quantitate, sed qualitate pretium habent. Gratissima erunt illa elogia, quæ laconicè argutias exprimentia styli leges inter prosam, & carmen inuiolabiles seruabunt, ac veluti in metrica tabula solutis lineolis, inæquali, sed pulchra, ac eleganti proportione acumina sua exprimeent. Hoc vt faciliùs cõtingat, argutiæ debent componi verbis proprijs exprimentibus, quæ inter se, vel similitudinem, vel oppositionem seruent: deindè obtruncando superflua, reijciendo minus amæna, ac arguta; vniendo, quæ inuicem magis opponuntur; nonnulla addendo, aliqua immutando; in concisis, ac laconicis membris argutias, seù conceptus mentis inuolues, exemplum horum membrorum potest esse subiectum ex Cicerone.

Quid enim tàm commune;
Quam spiritus viuis, mare fluctuantibus
terra mortuis, littus eiectis.
At illi ita viuunt, dùm possunt
Vt ducere animam de cœlo nequeant:
Ita moriuntur,
Vt eorum ossa terram non tangant:

Hæc tamen membra licèt sint concisa, & laconica non tamen sunt arguta, nec stylum seruant medium inter oratorium, & poëticum, sed totus oratorius est; stylus verò elogiorum præter con-

cisas

cisas periodos exigit maiores; ac frequentiores argutias ipsis orationibus: ità vt quamquam membra elogiorum non sint quantitati syllabarum illigata; debent nihilominùs laconicè suas exprimere argutias, istæ enim lineolæ perpenduntur, non percurruntur à lectore; à quo omnem attentionem exposcunt, flores sunt; carpuntur per se singuli summis, ac delicatis digitis, non tota immissa falce metuntur. Ideò ad reducendum oratorias argutias ad methodum concisam elogiorum, debent tales argutiæ, & immutari, & obtruncari pro claritate praxis, sic immuto hanc oratoriam Inscriptionẽ in commendationem Cęsaris sub pede Alpium. *Imperatori Cæsari Diui filio, Augusto Pontifici Maximo Imperatori XIV. Tribunitiæ potestatis XVII. Senatus Populusque Romanus. Quod eius ductu auspicijsque Gentes Alpinę omnes, quę à mari supero ad inferum pertinebant, sub Imperium Populi Romani redactæ sunt;* tu vides hanc inscriptionem esse oratoriam simplicem sine argutijs posset tamen sic reduci ad Elogium.

Caius Cæsar
Armis auspicia; auspicijs arma fortunauit:
Ipso surgente armis, statim Alpes ceciderunt;
Quo lapsu surrexit Italia.
Alpium claustra aperuit, vt Ianum clauderet:
Hoc tamen patefacto spiraculo Italia respirauit,
Superbis alpium iugis, iuga imposuit.
Vt discerent exterę regiones colla submittere Romano Imperio.
Quæ Gens contra Cæsarem poterat stare? si Alpes ceciderunt.
Discant sibi diffidere gentes, cùm se defendere montes nõ possint.
Nisi cæsa montium viscera, Cæsari palmas pariunt.

EXPENSIO DECIMA.

De Arte nectendi argutias in Elogijs.

GOrdius nodus huius instituti est taliter inter se nectere argutias, vt optima Elogij simetria conficiatur, nec enim ad conficiendum elogium sufficit argutiarum aceruum construere; quid aliud hoc esset, quam anticum reuocare chaos, in quo rerum elementa in vnũ coagulata confundebantur? amenta igitur serica, quibus

quibus in vnum elogium argutiarum series illigatur sunt ipsæ figuræ patheticæ: illas voco figuras patheticas, quæ exprimunt aliquem motum, siuè intellectus, siuè voluntatis.

Figuræ exprimentes motus, seù actus intellectus sunt Cognitio, Ignoratio, Ostensio, Narratio, Didaschia, Affirmatio, Negatio, Ironia, Reticentia, Præteritio, Iuramentum, Testatio, Animaduersio, Parenthesis, Correctio, Repetitio, Admiratio, Exclamatio, Extenuatio, Memoratio, Præsagitio, Dubitatio, Inquisitio, Interrogatio, Responsio, Interpretatio, Occupatio, Fictio, Imaginatio, Expressio, Prosopopæia, Apostrophe, Ratiocinatio, Conclusio, Epiphonema, Compendium.

Figuræ exprimentes motus, ac actus potentię Appetitiuæ sunt, Imperium, Perplexitas, Approbatio, Admonitio, Obsequium. Quæ exprimunt motus partis Concupiscibilis sunt Blanditiæ, Salutatio, Apprecatio, Veneratio, Abominatio, Obiurgatio, Irrisio, Execratio, Optatio, Inuocatio, Votum, Obsecratio, Commendatio, Concessio, Gratiarum actio, Recusatio, Exultatio, Iactantia, Gratulatio, Plausus, Exultatio, Improperium, Pœnitentia; quæ demum exprimunt motus Irascibilis sunt Spes, Desperatio, Verecundia, Timor, Audacia, Ira, Impudentia, Nemesis, Miseratio, Confessio, Deprecatio.

Cognitio, quæ græcè *Gnosis* vocatur est actus intellectus, seù sensus circa sua obiecta, qui actus exprimitur hisce vocibus, *Intelligo, scio, agnosco, experior, sentio, audio, video, miror* Virgilius. *Nunc scio, quid sit Amor: duris in cautibus illum.* Ausonius, *Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt; mors etiam saxis nominibusque venit.* *Ignoratio* est motus animi, quo indicamus rem nobis non innotescere: sic argutè dixit, qui introduxit Callimacum loquentem, qui occisus in prælio non cecidit, sed stans Libithinæ fata subiuit. *Sepulchrum ambire debeam, nescio, an recusare. Nemò mihi statuam erigat: sufficit hoc cadauer.*

Per ignorationem habetur etiam illud fucatæ mulieris;

Virgine, si nescis, nulla est formosior illa;
Cui non colla rubor, sed notat ora pudor.

Ostensio, quæ à Græcis *Dienymia* dicitur est motus animi, quo rem ante oculos ponitur hisce notis *Ecce. En. Adspice. Vide. Audi.* Seneca contra illum, qui pueros verberabat, vt pro illo emendicarent enutriens propriam barbariem publicæ misericor-

diæ

diæ eſca; ſic linguam acuit: *Intuemini huic erutos oculos: illi effractos pedes. Quid horreſcitis? ſic iſte miſeretur*, & Seneca Tragicus, *Viden, vt laudis conſcia virtus, non lethæos horreat angues.*
Per oſtenſionem habetur ſculptum illud nobile epitaphium Virginis Dimpnæ à Patre Rege Hybernorum occiſæ Antuerpiæ, quia recuſauerat ab illo violari.

Dimpna triumphali iacet hìc mactata pudori
Rex Pater eſt lictor, cauſa furoris, amor.

Narratio eſt motus, ac forma præparans animum ad audiendum. Horatius *diram inſigne recens adhuc, indictum ore alio*, & ſuper ſepulchralem lapidem gemini ſponſi, quos prima Hymenei nocte ignis combuſſerat inſculptum legebatur hoc epitaphium, *Grande Vulcani facinus enarro: audi viator, & luge.* *Didaſchia* eſt quædam dicendi forma, quæ dat aliquod documentum; ſic in illa Romana inſcriptione, *Hoſpes diſce nouum mortis genus: improba felis, dum trahitur, digitum mordet, & intereo.* *Affirmatio* eſt quæ affirmat ante dicta. Horatius: *Sic eſt: acerba fata Romanos agunt;* Vel hæc alia de hominis infelicitate,

Cor niſi cura nihil; caro nil niſi triſte cadauer,
Naſci ægrotare eſt, viuere ſepè mori.

Negatio ſemper negat aliquid, Cicero: *Nego eſſe quicquam à teſtibus dictum.* *Ironia* eſt, quæ ſub vmbra laudis vituperat, vel è contrà per hanc figuram Iuno Venerem pungit, *Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla tuliſtis, Tuque puerque tuus.* *Reticentia* eſt, quà exprimimus aliquod omittere, vt eſt illud Iunonis apud Virgilium, *Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.* *Præteritio* eſt, quæ fingit ſilere, quæ de facto dicit. Cornificius, *Non dico te à ſocijs pecunias accepiſſe: non ſum in eo occupatus, quod ciuitates, Regna, domos omnium depeculatus es: furta rapinas omnes tuas omitto.* *Iuramentum* eſt efficax dicendi forma. Quintilianus, *Iuro per filij manes Numina doloris mei.* *Teſtatio* eſt, qua alios vocamus, vt ſint teſtes, vel confirment, quæ dicimus Cicero, *Vos Dij Patrij, ac Penates teſtor, integro me animo, ac libero Publij Syllæ cauſam defendere*, *Animaduerſio* conſiderat aliquam obiecti circumſtantiam, ſic Hecuba apud Senecam Tragicum, *Regina quondam: ancilla nunc quidem tua.* *Correctio* eſt quædam animaduerſio ſuper id quod dictum erat; per hanc figuram ſatyrica eſt illa inſcriptio ſuper illum, cui nomen, vel Roderiqus, vel Fridericus

erat:

erat: *Hìc iacet Henriqus, vel Roderiqus, vel Fridericus, non benè recordor, tamen exit nomen in-iqus*. *Repetitio* eſt, quæ pluriès repetit, quod iam dictum eſt, vt magis imprimat: Seneca, *ò Lares miſeri Lares*. Argutum eſt per prædictam figuram Repetitionis nobile epigramma Mariani ſuper geſta Vrbani VIII. vſque ad Pontificatum, alludendo ſemper ad Apes, ſtemmata gentilitia Barbarinæ domus;

Si tua floreſcens fouet incunabula Flora;
Lactea Nutricis Lilia paſcit Apis;
Siuè Lyrà reuoces Mauortia ad arma Camænas;
Mellea Farneſij Lilia paſcit Apis:
Siuè caput primùm ſacra Nazaret Infula cingit,
Candida Nazareum Lilia paſcit Apis.
Mitteris ad Gallas ſi Romæ Nuncius oras;
Regia Gallorum Lilia paſcit Apis.
Princeps Felſineam, ſi tandem vergis ad Vrbem,
Aurea Felſineum Lilia paſcit Apis.
Dum Romam remeas, quid Apis tua paſcit in Vrbe?
Florida deficiunt Lilia; paſcat Oues.

Admiratio eſt vehemens conſideratio ſuper nouitatem obiecti, vt eſt illud Epitaphium, quod Romæ legerat Diuus Hieronymus, *Miraculum vir, & vxor hic non litigant*. *Exclamatio* eſt vehemens animi motus, quo miramur ſuper aliquod obiectum hiſce interiectionibus, Proh, o, Cicero, *O tempora! ò mores*. *Memoratio* eſt, qua recordamur rerum præteritarum. Horatius, *Aequam memento rebus in arduis ſeruare mentem*. *Præſagitio* eſt, qua futura præſagimus: *Neſcio quid animus grande præſagit malum*. *Dubitatio* eſt, quæ mentis ambiguitatem indicat; vt de milite, qui occiſus non cecidit. *Dubito, an moriendo vicerit, an vincendo ſit mortuus*. *Inquiſitio* eſt, qua aliena quærimus, vel alios interrogamus. Martialis; *Vxorem quare locupletem ducere nolim quæritis?* vel *quæris cur aurum fugiat? aura eſt*. *Reſponſio* eſt, qua interrogationi reſpondemus Martialis;

Eſſe putas cynicum deceptus imagine falſa?
Non eſt hic cynicus, Coſme, quid ergo? canis.

Echo eſt repetitio trunca eiuſdem vocis, vt de naui comparata cum aue;

Puppis cauda, carinaque venter, proraque roſtrum:

Velaque sunt alæ; totaque nauis auis.

Et de Cygno moriente,

Cum me fata vocant, ad amæni fluminis oram,

Me moriens, mæsto carmine solor olor.

Interpretatio est, qua alienam mentem interpretamur, celebris est in hoc genere responsio illa Iuuenis Terētij, cui dixerat seuus Pater: *Abi cito* respondit ipse, *visus est mihi dicere, abi cito, & suspende te*. *Fictio* est, qua supponimus, vel fingimus id, quod non est, vt *Fingite vobis videre nudatos enses, sauciata membra, fractos artus, hic cadere occisos milites, alibi iacere pallida cadauera*. *Imaginatio* etiam est, qua imaginamur, quæ non sunt. Virgilius; *Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri sedibus*. *Expressio* est, quà vnum obiectum mediante alio exprimimus magis patheticè, vt, *Non Goliam credidimus pugnasse cum puero Dauide, sed carneam turrim*. *Prosopopeia* est, quæ inducit res inanimatas loqui, vt, *Adesdùm viator; Chartago sum, qua loquor, terror Romæ; modo meis sepulta cineribus iaceo, nec me in me ipsa amplius video*. *Apostrophe* est, quà loquimur cum rebus inanimatis. Horatius, *O fons Blandusiæ splendidior vitro, dulci digne mero*. *Ratiocinatio* est forma dicendi, quæ exprimit actus tertiæ operationis intellectus, & reddit rationem rei, quam proposuit: vt est illa inscriptio super Palladem virginem alludens ad illud Diogenis HOMINEM QVAERO, *Cur Pallas non nupta? Virum non inuenit vllum*.

Vel hoc aliud argumentum de somno;

Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus,

Quo plus in vita dormio, viuo minus.

Principium vrbis Romæ lepidè per argumentum deductum à pari comparatur cum mundi initio;

Incapto fratrem Cain orbe occidit Abelem,

Incapta fratrem Romulus vrbe Remum.

Roma Remi polluta recens, & mundus Abelis

Sanguine: principium est Orbis, & Vrbis idem.

Et super tempus;

Tempus edax rerum, nos, & terit omnia tempus,

Nos terimus tempus, iam sumus ergo pares.

Ex eo, quod omnia flumina ingrediantur mare;

Salsa sitim pariunt: nil æquore salsius: ergo

Quid mirum dulces, quod bibat æquor aquas.

Epi-

Epiphonema est dicendi forma, quæ per modum conclusionis perstringit antedicta exprimens ferè semper aliquod documentum morale; sic Valerius Maximus postquam expresserat tragicum Crassi infortunium concludit: *Sic Dÿ spreti exardescunt: sic humana consilia castigantur; vbi se cælestibus præferunt. Epithome*, seù *Compendium* est neruosa figura, quæ in vnum colligit plura; hæc figura egregiè relucet in sepulchrali inscriptione Iusti. Lipsij, *Humana cuncta sumus, vmbra, vanitas, & scena imago: & verbo vt absoluam nihil. Interrogatio*, & *Responsio* simul, est quædam dicendi forma; qua interrogamus, & simul respondemus, vt

Interrogatio, *Rex regnat solus, cur non regit omnia solus?*
Responsio, *Qui regit, & regitur rectius ille regit.*

Figuræ exprimentes motus, seù actus voluntatis sunt *Imperium*, quà dicendi forma alijs imperamus, vt de laudibus spernendis;

Quærito virtutes, virtutum spernito laudes,
Nominis est enim gloria, non hominis.

Martialis. Barbara Pyramidum sileant miracula memphis: hæc figura plurimùm valet in sepulchralibus inscriptionibus, & potest exprimi hisce formulis, *Lege viator luge. Tristes vlulate gentes. Lugubri tondete manu Cæsariem vestro è viuis abraso Cæsare: Viator lumina corrumpe fletibus. Siste gradum quisquis es. Adsta, & perlege. Perplexitas* exprimit voluntatem ambiguam. Cicero: *quò me vertam nescio. Approbatio* est confirmatio rei. Seneca; *Sic agendum est, age quidem bene est. Admonitio* est, quæ monet alios vt legitur in quodam sarcophago: *Te seù notum, seù ignotum moneo, mori cogites, antequam moriaris.*

Formæ exprimentes motus animi concupiscentis sunt, *Blanditia*, vt *veni blandulæ, accede dulcis animula amo te. Apprecatio* est, qua bonum alteri precamur, & plurimùm valet in epitaphijs vt *Valeas quisquis es. Dÿ te ament. Veneratio* est, qua res inanimatas colimus, *vt quisquis es viator loci sanctitatem supplex flexoque poplite venerare; subterranea Roma est, Vrbi latens, Orbi patens, inter tumulos iacet, sed vel mortua viget. tot hic sunt palmæ, tot coronæ, quot tituli, quot tumuli, cineribus sordescunt adhuc Athletæ nobiles; victoriam loquuntur muta fragmenta, quæ ideò fracta, quia integritatem non fregerunt. Abominatio* est, quà detestamus aliquid. Virgilius, *Heu stirpem inuisam, & fatis contraria*

traria nostris, Fata Phrygum. huic similis est *Obiurgatio*, quæ neruosa viget in hoc satyrico Epitaphio;

Contemptor fidei; vitæ corruptor honestæ;
Fons, & origo mali clauditur hoc tumulo.

Execratio est, qua aliquod malum alicui precamur. Cicero: *Dij te perdant fugitiue*. *Optatio* est, qua absentia desideramus, *O me felicem; si è corporis solutus vinculis ad æterna euolarem gaudia*. *Inuocatio* est, qua aliquem in opem inuocamus, solemnis est illa inuocatio nuptiarum *Hymen, ò Hymenae veni: Hymen ades, ò Hymenae*. *Votum* est, quo alicui vouemus, vt est illud votum pro victoria Cæsaris, *Voueo tibi vict mam fortuna redux pro itu, ac reditu Augusti*. *Obsecratio* est, qua oramus aliquem, vt votis nostris obtemperet. Nutrix apud Tragicum Senecam, *Per has aniles ecce te supplex comas: atque vbera ista pænè materna obsecro: depone tumidas pectoris læsi minas*. *Commendatio* est, qua alterius auxilio nos commendamus, hæc figura legitur in Epitaphio, cuiusdam nobilis Veneti: *Amici, Cognatique vobis me commendo*. *Recusatio* est, quà aliquod, quod nobis videtur malum reijcimus. Martialis *Nolo boletos, ostrea nolo: tace*. *Exultatio* est dicendi forma, qua gaudium animi exprimimus: Ouidius;

Dicito Io Paan, & Io bis dicito Paan:
Decidit in casses præda petita meos.

Festiua est etiam illa exultatio super Delphinum martyris corpus in mare proiectum ad littus reuehentem,

O felix vector, cui non cytharædus Arion,
Sed Christi Martyr sarcina grata fuit;
O vtinam viuas, cæli superadditus astris,
Sitque pius Delphin sydus in axe nouum.

Gratulatio est, quà de bono alicui gratulamur. In Tragico Seneca *Lætare, gaude gnata: quam vellet tuos Caßandra thalamos*. *Plausus* est lætitiæ nota. In epitaphio Sulpitiæ: *Valete, & Plaud te, mea peracta est fabula*. *Eiulatio* exprimit mæstitiam animi, & versatur circa obiectum malum; Virgilius: *Heù, quam pingui macer est mihi Taurus in aruo! Improperium* est figura, quà conquerimur, quod alij non correspondent nostris meritis. Medea in ingratum maritum apud Senecam: *O ingratum caput. Reuoluat animus, igneos Tauri halitus. Adijce expetita spolia Phryxei Arietis. Hac dote nupsi: redde fugienti sua*. *Pænitentia* est animi tristi-

tia

tia oriens ex patrata culpa. Apud Senecam; Nouerca; *Quod volueras consecuta es: damnasse iam pœnitet.*

Figuræ exprimentes motus animi irascentis sunt sequentes, *Spes*, quà bonum absens speramus hinc habetur præclarum illud scomma, *Dum spiro, spero*. *Desperatio* è contra est, qua exprimimus impossibile esse, quod desideramus. *Occidimus: aures pepulit Hymenæus meas*. *Timor* etiam exprimit tristitiam animi, qua tristamur de aliquo malo imminenti. Seneca, *Sudor per artus frigidus totos cadit: omen tremisco, misera feralis Dei*: & alibi, *Pauet animus, horret: magna pernicies adest*. *Vereoundia* est etiam timor alicuius dedecoris; Horatius: *Heu me: per vrbem (nam pudet tanti mali) Fabula quanta fui?* *Audacia* est, quà malum imminens contemnimus, Seneca, *Resistam: inermes offeram armatis manus: Dabit ira vires*: ex hac figura oritur Impudentia, quà temerè loquimur. Pontanus super quædam balnea scripsit hęc duo carmina endichassyllaba. *Nil istis Petulantius Lacunis: Infractum magis, impudentiusque*. *Excandescentia*, est motus animi, quo irascimur, in quem nos offendit: Seneca, *Accingere ira: teque in exitium feras furore toto*. *Nemesis* est, quæ lætatur de alieno malo, vel tristatur de alieno bono meritò; Virgil.

Istic nunc metuende, iace: non te optima mater,
Condet humo, patrioque onerabit membra sepulchro.

Miseratio verò est, quæ dimittit iniurias, & parcit hosti, sic habetur illud lemma equitis Christiani, *Agnosco*, sed *Ignosco*. Inter omnes figuras patheticas *Didaschia*, in Inscriptionib⁹, Epitaphijs, & Elogijs plurimum valet, hęc figura dicitur etiam documentū, quia tradit semper aliquod documentum morale, vt

Immunem, qui culpæ animam seruare laborat
Muneribus puras debet habere manus,
Commoda diuitiæ vitijs alimenta ministrant,
Nomen idem pęne est, res quoque pęne pares.

Nunc hisce figuris patheticis possunt optimè connecti in Elogijs argutiæ, quia verò praxis in hoc instituto rem clariùs dilucidat, ac explicat, introducamus per Ethopæiam Angliam loquentem, ac enarrantem propria infortunia tali pacto;

Imperium Legito hospes lugeto, ferales eiulatus meos;
Echo Meq; inuiolabilem, labilem repetita echo pronuncia;
Correctio Illa ego sum, quid dico? non sum, sed fui.

Ethopęia

Ethopœia Clypeus fidei, munimen Religionis,
Echo Veritatis columen, lumen virtutis, culmen Pietatis,
Affimatio Celebris quondam illibata.
Expressio Nunc vigens cladibus, deturpata erroribus,
Desperatio Deflorata, deplorata,
Eiulatio Squalore deformata, fractis oculis fractas leges ingemisco.
Memoratio Exciderunt Odoardi, candidissimi Mori
Affirmatio Fractæ sũt, fracto ab impijs Thoma, Cãtuariẽses infulę,
quibus meis illigabantur vulnera.
Animaduersio Nati sunt viri hispidi, qui me in cruce distorquerẽt.
Ostensio Anni sũt triginta supra cẽtũ, ex quib⁹ quotidiè distrahor.
Ecclipsis Alij macie me enecant, falsis dogmatibus violant.
Repetitio Alij me Hecubam, vel vnam ex furijs me faciunt.
Correctio Mille quotidie induo formas, in omnib⁹ sẽper informis
Iam Protheus ille fabula non erit.
Ratiocinatio Poëtarum figmentis meæ fidem dederunt miseriæ.
Descriptio Hęresis Hydra in plura iã pullulauerat Authorũ capita
Cũ è Germaniæ egressa syluis venenũ euomuit meo in sinu.
Abominatio Apage te ad vmbras tartareas immanis fera:
Improperium Me me deflorasti, me violasti.
Apostrophe Iacis noui dogmatis perniciosa semina,
Ratiocinatio Vt in libidinum vireta succrescentia:
tutiùs lateant angues in herba.
Narratio Verũ narro Henricus nomine Octauus, libidine primus
Compendium Venereæ flammę fumo, meum denigrauit cãdorem;
Expressio Solutus legibus, soluit in scelera populus.
Lares meos nefando violauit lupanari,
Affirmatio Et Fidei candorem, innocentis cruoris
purpurà maculauit,
Sententia Quia vitium vitio viam emollit,
Epiphonema Libidinum ortu, Fidei vocauit occasum.
Tales amat casus vecors libido Regum.
Apostrophe Soluite crines, spargite cineres, rumpite pectora,
Stolatæ matres, inclite nurus, puellæ insignes.
Repetitio Cecidit Anglia, Anglia cecidit.

EXPEN-

EXPENSIO VNDECIMA.

De fine Elogiorum.

VLtimis hisce temporibus, quibus docti homines argutæ elocutionis rationem acriùs perpendere cœperunt, & ad elocutionis condimenta, honestamque delectationem traducere; emersit hoc inscriptionum genus, quod vt plurimùm habet floris, ac gratiæ; sic aures, ac animos allicit, ac delectatione replet; vnde in publicis Athenæis, ac theatris frequentissimo plausu fuit exceptum, in gymnasijs enim super Epistolarum munditiam, narrationum, descriptionumque Veneres, eclogarum amænam rusticitatem, elegiarum rigorem, Lyricorum iucunditates eminet, ad pompam potiùs, quam ad pugnam natum.

Reducitur hoc elocutionis genus ad epidicticam eloquentiam, quæ sic dicitur, quia plurimùm habet floris, ac aucupij, ex quo sequitur, quod finis epidictici, seù demonstratiui generis, sit etiam finis elogiorum, quia verò hoc genus demõstratiuum ad laudem, vel vituperationem refertur, elogia etiam, vel virtutẽ laudabunt, vel vitia pungent; quia ex Cic. partic. num. 71. *Omnia sunt profectò laudanda, quæ coniuncta cum virtute sunt; & quæ cum vitijs vituperanda.*

Licet elogia ob argutiarum series animos suaui quadam perfundant delectatione; non tamen sequitur delectationem, quam solam affectant Lectores, esse finem vltimum vituperationum, vel laudationum; alioquin hoc institutum inane foret. Legitimus igitur elogiorum finis est Amor virtutis; ac honestatis, & odium turpitudinis, seù vitij, quæ duo oriuntur ex commendatione virtutis, & vituperatione vitij; vndè fit quod sub vmbra satyræ possimus etiam encomia texere; hoc vnum subijcio pro exemplo elogium in commendationem cuiusdam prætoris viri integerrimi;

Dente caret, qui alienam non mordet famam
In præsenti virtutum penuria;
Nec ingenium acuit; qui alios non pungit.
Arduum igitur est satyras non scribere,
etiam contra te Prætorem.
Conquærimur de te, quia populum decepisti:

Cui

Cui te prætorem promisisti Patrem gesisti,
Pollicebaris te nunquam fore personarum acceptorem,
Et maximus fuisti personarum acceptor,
scilicet omnium.
Iterùm conquerimur de te;
Prætores mittuntur, vt ius dicant
Tu muneris tui contemptor:
Vnicuique ius suum potiùs dedisti, quam dixisti,
Et magis profuisti, quam præfuisti.
Etiam mali meritò conquæruntur de te,
Quos vel inuitò optimos fecisti,
Si diù fuisses prætura functus,
Potuissent carceres in carcerem mitti,
Et vincula in vinculis detineri,
Non enim necessaria est iustitia, vbi iustitia seruatur:
Nec opus est leges exarare in albo Prætoris,
Vbi niger nullus est.
Herodias Christi Prodromi, scilicet Præcursoris Ioannis Baptistæ Caput saltationum pretio poscit. Pungitur vitium.
Sic oderat integritatem vecors libido,
Vt non integrum, sed fractum petierit Ioannem.
Caput duntaxat poscit, quia amans, & amens egebat capite;
Cui totum ingenium fluxerat in pedes, vacuum remāserat caput.
Non fuit demens puella, si relicto Regni dimidio
Caput Ioannis petijt; elegerat pretiosiùs.
At, i pessùm peior mercatrix;
Cùm tantum thesaurum poscis, non vt habeas, sed vt perdas.
Maluit Innocentiæ candorem immeritò purpurà cruentare,
Quam Regiam purpuram induere.
Puncta Venus cruoris rosas amat, non innocentiæ lilia:
Et tunc lætatur, cùm canit epicedia pudori.
In aulico freto, vbi vitia fluunt, vt refluant;
Virtus non poterat in Charybdim non impingere.
Venefica Circe conuiuium in tragediam vertens
Prologum initiatura *Vocis* indicat silentium; Ioannis necem.
Impudicitia non poterat exposcere, nisi interitum castitatis;
Non fuit Aula illa Herodis, sed Caula,
Vbi Lupa Agnum perdidit.

Principijs

Principijs suis affines semper sunt fines.
Vitam è choreis auspicatus, in choreis perdidit,
Et qui materna in aluo salijt, cecidit puellæ saltu.
Odium peperit Veritas, non potuit æquo animo tolerari.
Ite abite Galileæ Principes
Non tam conuiuij socij, quam testes flagitij,
Et discite: plus feritatis habere Aulas, quam syluas.

D. Ludouicus Episcopus Tolosanus Regis Siciliæ filius, reiecto Regni Diademate, onus Franciscanæ Religionis subit. Cōmēdatur virtus.

Ludouicus è Regio sanguine, natus ad Purpuram,
Nunquam se Regem credidit, nisi cùm omnibus se subderet.
Vix natus, nactus virtutem,
Cum lacte talem ebibit morum candorē, vt nunquam denigrauerit.
Virtus senilis in puero, puerile nil habuit præter ætatem;
Correxerat auaritiam naturæ liberalior Gratia,
Et puerum fecerat senem non ætate, sed prudentia, ac virtute;
E cœlo delapsus ignis in aureū pectus, mox illud secernit ab auro;
Nempè Diuini Amoris succensus igne;
In Franciscanos cineres statim soluitur.
Erubescit aurum repulsam patiens.
Superbit saccus prælatus clamydi.
Certè dignus erit laude, qui non solùm post aurum non abijt,
Sed opes, gloriam, incendit, vt horum cinere pannum coloraret, quem induit,
Nempè Diuini Amoris flammam sub cinere abscondit, vt seruet.
E Regià exul extrà Patriam veram Patram inuenit.
Libertate se abdicauit, vt foret liber.
Aliorum nutui obtemperaturus
Vix vt moneretur, cùm moueretur
Molimina tarda verus obediens amolitur.
Ad insulas inuitò vocatus, ab ipsis pluriès se auocauit.
Sed quia fugientem sequuntur honores, sequentem fugiunt;
Ad dignitatem rapitur, non ascendit.
Tolosanos ita excoluit, vt similes sibi fecerit
Virtutum namque semina voce, manuque iaciens
Sudore, ac lachrymis alluens dignam laboribus messem obtinuit.
Demùm abijt iste colonus feliciori solo hæc germina cōmissurus;
In Cœlum ea transtulit, æterno illic vere fruiturus.

DIVVS LAVRENTIVS *Christi Leuita, ac Martyr sęuiente Ethnicorum persecutione, ab impio Tyranno præcipitur igne torreri super ferream cratem.*

Vulcanus olim Fulminum; nunc Palmarum Faber
Flammas excitat, vt clariores cudat triumphos.
Adeste Sophorum barbaræ classes:
Sterilitatis probro dediscite obscurare ignem,
Fęcundum imposterùm, eum credite:
En Laurentio laureolam, ac palmam parturit.
Nam Christi Atleta Olympium stadium nactus in pyra,
Flamma si murmurat, triumpho plaudit;
Imò non Flammæ, sed Famæ sunt linguæ;
Ideò ignescunt, vt vehementiori ardore adoreas canant:
Armatur ignis, & alitur pice;
Sed hoc agit inscia Barbaries, vt Pugilem magis Deo glutinet,
Si perfunditur oleum: linitur Atleta ad palmam,
In conum si erigitur flamma, fit gloriæ monumentum;
Si circumdat, amplectitur; si cingit, coronat.
Carbones cedunt in gemmeos carbunculos, victricis coronæ,
Vt in honorem Triumphi
Etiam transeant instrumenta supplicij,
Et ne currus triumphanti desit,
Subijcitur ferrea crates non prunis,
Sed more triumphantium, purpureis stipata rosis,
Etiam Scipio, nisi coronatus rosis
Victor Romanum ingredi voluit capitolium.
Quid ni? torrentur Martyris artus:
At decoctis carnibus, quam lautè epulatur spiritus?
Ad prandium etiam Tirannum inuitat, inquiens,
Assatum est iam versa, & manduca.
Cœlestis Salamandra in igne Libitinæ vultum non horruit;
Nouerat fidei Phœnices,
E rogo ad immortalitatem dumtaxat euolare.
Nec mirum, si de igne triumphauit.
Quia Laurus, quam nomine præferebat Laurentius
Vulcani fulmina non poterat, non illudere.

BEATI

BEATI CAIETANI THIENAEI
Vita, & virtutes explicatæ elogiorum decade.

Nascitur Vicentiæ è parentibus, quà pietate, quà sanguinis nobilitate illustribus tres ante annos, quam è Tartareo specu erumperet in mundi perniciem, Religionis corruptelam, virtutum excidium fax illa infaustissima, cometes nequissimus, Martinus Lutherus; scilicet Anno à reparata salute octuagesimo supra millesimum quadrigentesimum.

Elogium I.

Ingruente vitij procella.
Materna ex aluo caput extulit
CAIETANVS.
Vniones, quia innocentiæ soboles
Nisi corruscante Cœlo, ac reboante tonitru, nascuntur.
Hunc matrem votiuum suscepisse ferunt,
Nempè viros natura donat; sanctos Deus.
Vt ad victorias imbueretur, Vicentiæ natus,
Orcum vicit, cùm vixit.
Adoreas præiuit suas triumphali patriæ nomine;
Scilicet Hercule maior
Priùs cæpit triumphare; quam nasci.
Natum Virgini Matri alendum dedit pia genitrix,
Vt cæli moribus illicò assuesceret.
Auitam nobilitatem, trabeatam stirpem,
Nouo auxit iubare, cùm contempsit.
Lacernæ purpuram, inopiæ opes posthabuit.
Sileant Poëtarum commenta
Vnà cum Saturno natum aureum sæculum;
Veriorem hunc aureæ ætatis Parentem credant:
Institutum pariet, quod post aurum non ibit.
Lutheri ortum antecessit,
Voluit Cœlum anthidoto præuenire venenum.
Habuerunt semper Bellerophontes suos erroneæ Chimeræ,
Non vt Ethnici ludos, sed laudes dedicemus
Huic Apollini; Pithonem vitij confodiet.
Imò genethliacon pangamus nouo Orto Soli
Caligantem meridiana in luce Orbem illuminabit.

B. CAIETANVS *à prima ætate puerilia ludicra respuens summis virtutibus aßuescit.*

Elogium II.

Habent, & nomina, sua omina,
Crebrò veriora, quam ex aureo Delphis Tripode,
Seù Dodonæi Iouis è lucu sortita oracula.
Caietanus Dei suspector interpretatur,
Et quando, vel puer
Terrena non despexit, suspexit Cœlestia?
Ab Auita nobilitate illustris editus
Illustriorem fecerunt virtutum Myriades.
Vix lustralibus irrigatus aquis,
In lilium effloruit puritatis.
Innocentiæ lacte ad pinguedinem fartus,
Diuino priùs spiritu cæpit viuere, quam suo:
Parùm naturæ debuit, virtuti plurimùm.
Nam vix natus, sanctitatem nactus,
Dubium fecit, an cœlo priùs, quam terræ cæperit viuere.
Immaturus ætate, maturus virtute,
Fructiferum Autumnum, ante ætatis ver cęlitibus dedit.
Naturæ auaritiam in ipso correxerat liberalior Gratia;
A parentum sinu frequenter exulans
Solitudinem frequentauit, vel in media domus frequentia,
Vt cælitum sese iucundiores in amplexus insinuaret,
Quarè nunquam minùs solus visus est, quam cùm solus:
Ad colloquia Cęlitum allicit terrena solitudo:
Hic sua cum Cælo amoris fœdera,
Inter preces puellus eloquens balbutiebat.
Supplex Pietas, quamuis balbutiat eloquens est.
Sodales illaritate alliciens, modestià componens.
Ad virtutis magisteria accersebat:
Et ne templa deessent multiplici sacrabat Ara domum,
Vbi licèt sine charactere, non tamen sine charitate Sacerdos,
Supremo Numini puerilia ludicra mactauit.

B. CAIETANVS *mundi illecebras fugiens iuuentutis suæ florem Pœnitentiæ spinis circumsepit, ciliciјs, ac catenarum ictibus se cruciat; ingenti auri, argentiue copia Pauperum erumnis subuenit, è Patria discedens, Venetijs in incurabilium Nosocomio infe-*

stis

Illis ægrotis inseruit, marcida vlcera linguâ lambit. Romam confugiens in Larario Diuini Amoris adscitus in sodalium animis imprimit vestigia virtutum.

Elogium III.

Florem inter spinas vernantem summis digitis carpito;
Lilium est cruentatum in Rosam,
Summæ virtutis odorem redolet, quem odoreris,
Quia Deum colit, carnis suæ terram excolit,
Vulnerum sulcis arat, cruoris riuulo rigat.
Felix cultura, quæ in floridam virtutum messem erumpens
Deum ipsum allexit.
Cilicio clamydatus animosus sub Crucis vexillo Tyrunculus;
Vel sepe hortum cordis circumdat;
Vel rudia retia in aucupium dolorum,
Ac venationem cruciatuum assumit:
Deliciosas ei fuisse pœnas crede,
Quas sedulus Auceps, vel setosis retibus aucupabatur.
Saucios si vides artus, trophea sunt virtutis.
Totus scriptus, totus sculptus
Emblema charitatis composuit, in quo apprehenderes,
Virtutem per vulnerum spiramenta maiores haurire spiritus.
Auri pretio pauperum erumnas coëmens
In aliena paupertate veras sibi cumulat diuitias.
Opes tunc benè possidentur, cùm aspernantur.
Plura appetijt, quò plus daret.
Profusus in homines, ne foret auarus in Deum.
Felicior Aesculapius; Venetijs, vt virtutem curaret
Incurabilium Nosocomium ingressus
Ita salutem curauit corporum, vt nō negligeret illam animarum,
Dum ægri maderent marcido cruore;
Madebat ipse largiùs lachrymis.
Amorem suum ostensurus in pauperes
Illorum vlcera deosculatur,
E quibus tamen plurimùm suxit gloriæ:
Nusquam fuit Cœlo dignior,
Quam marcido hoc in cœno.
Quia fortia hic iam fecerat, & passus fuerat,
Romam petijt, non victus ad Asyllum,

Sed

Sed victor ad capitolium :
Vbi Diuini Amoris in Larario suum augens ignem,
Incendit quàcumque incedit.

B. CAIETANVS *Romæ in Lario Diuini Amoris meditatur restaurationem vetustæ normæ viuendi Apostolorum, super collem Pincium iacit prima fundamenta Clericorum Regularium, ipsa exaltatæ Crucis die.*

Elogium IIII.

Horoscopum attendite Genethliaci,
Renatæ è sanctioris amoris rogo Phœnicis.
Capitolij in Vrbe, sub Crucis vexillo noua struuntur castra,
Mihi credite; adoreis præueniunt pugnam.
Diuino ab Amore, mutuatis telis, vitium confodient.
Paucos Strategus legit milites, nimirùm sui similes,
Præclara enim, rara sunt.
Ibant olim milites in aurea veste sub Antiocho,
In picta clamyde sub Sertorio,
In purpura sub Cleomene,
In rubenti sagulo sub Artaxerse,
In candenti tunica sub Cyro,
In scuto puniceo sub Agesilao;
At sub Crucis vexillo;
In humili lacerna milites nobiliorem induunt hominem:
Non veste ad delicias molli est induendus miles,
Sed ad militare robur accincta:
Ferro, non auro miles indiget.
Ecce Prudentissimi bellatores omnia bona secum portant,
Vnicum scilicet caducorum bonorum contemptum.
Desertam voluerunt Paupertatem, vt facerent magis disertam,
Mutam, vt vltimam ei imponerent metam:
Nec Serto caruerunt aurei contemptores auri.
Nemo æquiùs, ac illustriùs coronatur,
Quam, qui aurum aspernatur.
Summis encomijs dignos cense, qui post aurum non abierunt.
Aureum sæculum reuocauit, cùm homines auocauit ab auro.
Pincianum super collem iaciuntur noui instituti fundamenta
Non poterit non eminere, cuius basis super colles erigitur.
Accensa fax erat in alto collocanda,

Vt

Vt totum illuminaret Orbem.
Benè ipsa die cum Cruce debuit exaltari;
Quæ Crucis vestigia iam sequebatur.

Irruente Romam Borbonico exercitu B. CAIETANVS *aggreditur, à quibusdam militibus, à quibus varios patientèr perpessus cruciatus, ac vulnera, tandem in carcerem Vaticani propè horologium detruditur cum socijs, vbi hilari vultu psalentes omnes, Strategum exercitus cicurarunt, à quo pristinæ libertati restituuntur.*

Elogium V.

Septem collium Hydram Mars ingruit;
Herculem credite sanguinis auidum:
Et aurum æquè sitit, ac cruorem
Illud vt auarus rapiat; hunc vt prodigus fundat.
Tarpeiam rupem, sanguineis irrigat riuulis,
Vt Capitolium
Palmas olim Cæsarum, Cæsorum nunc cupressus
Germinet, clades geminet;
Nudum difluit cum sanguine ferrum,
Et virgines, quas non potest violare, sanguine maculat:
Quid ni? gaudet Virginitas frangi, integritate non læsa:
Fundunt alij cruorem, Caietanus lachrymas
Ante aram, quam floribus concinnauerat;
Vt ornatior caderet victima in eodem Templo,
In quo steterat paulò ante Sacerdos.
Verùm inflexit sub gladio caput, non animum,
Et percussus in maxilla, plus roboris, quam ruboris monstrauit;
Imò magis erubuere militum genæ ad inuictam constantiam.
Integer vitæ, nunquam timore frangitur.
Eius artus securi cadunt; imò surgunt, sub securi;
Si palmas ei obtruncat ferrum,
Faciliùs palmas rapit:
Si pedes scindit, velociùs ad Capitolium currit.
Igne, quem è Diuini amoris incendio arripuerat,
Cùm homines ad virtutem incendisset
Barbarorum etiam in se iras accendit,
A quibus varia perpessus, sed magis perpexus virtute,
Aduersa exercitium, non exitium, ei præbuerunt.

Omnia

Omnia ridet, cui Dei amor arridet.
Stricto fune etiam vincitur, non vincitur.
Inter funes innocens arctiùs adhęret Deo.
Vaticani carceris in tenebras trusus à tenebrionibus hæreticis,
Nitidiores delegat in tenebris splendores virtutis,
Primæ classis sydera nitidiùs fulgent in tenebris.
Ibi defuit ipsi martyrium; non defuit ipse martyrio,
Nam humanissimus barbaris crudelissimus sibi adamantinus pęnis,
Purissimus Cygnus lętus propè lethum canit,
Non epicedium, sed epinicium:
Quia è vinculis emancipatus de barbaris triumphauit,
Quos prece, & lachryma ab Vrbe eiecit.

B. CAIETANVS *æstuans charitate assiduè illachrymatur, & virtutibus vacat, fractam sodalis tibiam sanat; plura miraculosè perpetrat.*

Elogium VI.

Igneus amore, more niueus,
Sanctitatis celsitudine, excelsior Aetna;
Perpetuò fędere impunitas cum niuibus iunxit flammas:
Tales sunt sacri Hymenæi tedæ,
Vt alia non alantur cera, quam puritatis niue;
Imò lachrymis assiduè maditus, quia charitate ebrius:
Ab igne aquam; ab aqua ignem posse exoriri comprobauit:
Non lachrymas, sed vniones fudit;
vel vt tali glutino arctiùs vniretur Deo,
Vel vt venale sibi faceret Dei regnum.
Diuini Amoris lampadas oculos crede,
Vbi lachrymarum aquæ charitatis lychnum alunt.
Hic ludus nisi amoris esse poterat.
Humilitatis vmbris clarior factus,
Veræ Perfectionis magister docuit;
Veram dignitatem esse, ipsas dignitates contemnere.
Alienæ saluti, vt consuleret, multos exantlauit labores:
Fallor: omnis labor amanti, non labor est, sed quies,
Quescit cum laborat amans, laborat cum quiescit.
Amorem, quem in se extinxerat, excitauit in alios.
Odium sui dumtaxat exercens,
Ita se afflictabat; ac si carneus non esset, sed ferreus;

Nempè

Nempè amoris proprij hostis; hostia est Diuini Amoris,
Salutem ægris attulit, amentibus mentem, mortuis vitam:
Heù quantum spiritus in eo fuit,
Qui, vel extinctas vitæ faces reaccendere potuit!
Fractam sodalis tibiam quoque sanauit,
Vt eius integritas clarior resonaret.

B. CAIETANVS *ipsa reparatæ salutis nocte orans Romæ, in Augusto Sanctæ Mariæ Maioris templo, ante aram Præsepis, Puerum* IESVM *à Virgine Matre accipit; quem iucundissimis amplexibus, ac osculis diù inter vlnas habet,*

Elogium VII.

Nox non est Caietane, fallitur sensus:
En diuinus adest Sol, qui criminum vmbras eliminans
De nocte triumphauit.
Cuncta in luce clarescunt; quia vbi Sol est, dies est.
Errat quoque tempus;
Licèt niuea Decembris canitie senescat annus,
Hyems non est, Autumnum crede;
Sol in Virgine, non in Capricorno tibi lucet.
Amaltheæ cornu fructuum messem iterum fundat:
Dum fructus vteri virginalis carpendus etiam traditur;
Imò hanc plorantis hyemis intemperiem,
Ridentis veris crede temperiem;
Vbi tàm ingens cælorum apertio facta est,
Vt Virgæ Iesse flos, ac lilium conuallium in terris appareat,
Tuisque in vlnis floridè iocetur, & iocosè florescat.
Olim hunc Solem, quia ortum propè Taurum
Senserunt Engaddi vineæ, statim floruerunt;
Vt indicarent, vel in centro hyemis floridum ver.
Natus tamen in medio Tauri, & Virginis
Medius patefecit ardentiorem sui amoris æstatem,
Vndè spicas in celo; hoc est messis tempus,
Statim viderunt homines,
Et benè spicas in Cœlo mirati sunt,
Qui debebant de Cœlo panem Eucharisticum sperare.
Amplectere hunc Solem, deosculare;
Et Diuino æstua amore eius flammam de cœlo irroratam
In sinu foues:

Mortem noli amplius timere, in manibus tuis vita est,
Non miror si Hyems, Aestas, Ver, Autumnus miscentur.
Et naturæ ordo confunditur,
Proprium Amoris est chaos reuocare.

B. CAIETANVS *patientis Christi intentiùs meditatus tormenta, ac viribus penè deficiens ad se venientem videt Christum, qui detecto pectore vulnus sugendum illi porrigit, à quo crebra per oscula plurimùm liquoris, ac roboris exsugit.*

Elogium VIII.

Olim Christus paraturus de seipso conuiuium homini
In Betleem hoc est in ciuitate panis, voluit fieri caro.
Nunc carni merum addit, quod sub Crucis torculari
Diuina è Vite expresserat Iudaica barbaries.
Præter fel, & acetum;
Quid propinet mundus sitientibus non habet:
Hoc expertus fuerat Christus propè necem fele, & aceto potatus,
Vndè, vt huic consuleret incommodo:
Nouum fontem aperuit in latere, etiam post mortem;
Ex quo biberent nobiles animæ; inebriarentur sine culpa.
Quidni? admouens, & ipse languidum os bibiturus hoc in fonte,
Suxit crebra per oscula liquidam diuinitatem;
Quà æternam adipatus ad vitam,
Non nisi arcana mox eructauit eloquia.
Olim ad agni esum suos vocans discipulos Christus,
Peregrinari eos secum iussit in cęna:
Nã præcinctis lumbis, festinantes voluit cum baculis in manibus,
Quia illos hærere in huius vitæ delicijs noluit
Mox hærentem nouum discipulum nouo vult in conuiuio,
Vt diuinis assuesceret delicijs,
Qui terrena iam à se abdicauerat.
Quam benè in foramine petræ nidificauit innocentię Columbula
Nisi heroicæ virtutis fœtus proindè peperit.
Verè cum sponsa dicere poterat
Introduxit me Rex in cellam vinariam,
A quà Diuino recessit amore ebrius.
Vel artificiosa apes,
Vt dulciora efficeret perfectionis mella,
Quorum dulcedine ad virtutem alliceret homines

Ab

Ab alio flore noluit liquorem fugere;
Quam purpurea ab hac vulneris rosa.
Ecce flos campi, & lilium inter spinas etiam cruentatur in rosam,
Vel languentium animarum sedulus medicus,
Quæsiturus pharmaca, quæ alienis vlceribus opponeret,
Opobalsama ab hoc vulnere legit.
Balsami Plantam fuisse Christum, ne dubita:
Cùm suo vulnere, nostra vulnera sanauit.
Veri Amoris Magister
Idiomate amantium loquuturus, non os, sed cor aperuit,
Vt sinceram discipulus apprehenderet doctrinam.
Ni vellem dicere, lactaturum, quem ediderat filium
Mammillam cordis aperuisse.
Parcat tandem vndis impiger mercator
Extremos currens vsque ad Indos;
Carbaseos ventorum carceres scindat,
Et assuescat hanc ad aurifodinam properare,
Veras inueniet gazas, in quibus suam collocet Beatitudinem,
Fluxum argentum, & aurum in gazofilacio cordis Deus custodit.
Vt ad eum properantes, sine alio argento, & auro
Suum regnum emant.

B. CAIETANVS *Diuino exardens amore cor amisit, quod geminis alis visum est in cælum euolasse.*

Elogium IX.

Totus iam factus charitate spiritus,
Ne quidem cor carneum in pectore tolerat;
Sed ingressurus Dei regnum, vbi cœlestes triumphant spiritus,
Quia hoc vim patitur, vi amoris expugnat:
Pectore vsus pro bombarda, sphærico corde pro glande:
Nec defuisse ignem credas, cui ignis amor erat,
Eia cor fuge, pectoris claustra rumpe; sed rumpe moras.
Charitate igneum cœlum conscendes,
Ignis enim fuga in sublime est.
Excordem ne credas virum: quia dilexit ex corde.
Si volitat per aëra cor, Amorem crede,
Sub cordis specie, cui non desunt Amoris alæ.
Natus diues, paupertatis parens
Opes solùm habuit, ne opibus opus haberent inopes.

Thesauros suos pauperibus erogauit,
Quos collocatos voluit in Coelo.
Benè igitur vbi thesauri sunt cor euolat:
Quia vbi thesaurus hominis est, ibi & cor eius.
Veri Amoris discipulus in Lycæo charitatis,
Hoc est in pectore Christi, Amoris dogmata apprehendit,
Mox lectionem repetiturus, quam didicerat;
Idiomate amantium vtitur, scilicet corde, non linguâ,
Vel strictioris paupertatis magister;
Cùm omnia erogauisset pauperibus.
Corde etiam voluit spoliari, quod daret Deo.
Præcipua animæ sedes cor est,
Benè terras deserens, in cœlum euolat;
Anima magis est vbi amat, quam vbi animat;
Et nobiliores aquilæ illic congregantur vbi est corpus.
Parce iam cordi tuo, Parce.
Igneus erat è Dei ara calculus,
Defæcandæ telluri translatus è cœlo.
Cùm omnia incendisset,
Iam suo functum munere cor; redit vndè venerat.

B. CAIETANVS *in extremis vitæ cineres poscit, ac cilicium, & inter Pœnitentiæ cruciatus animam Deo redit.*

Elogium X.

Eia Atleta nobilis
Salutari iam munitus viatico, oleoq; vnctus,
In vltima vitæ lucta cineres collige,
Vt palæstrico sordescens puluere pulchriùs triumphes,
Initijs suis, affines semper, sunt fines.
Vitam è victorijs patriæ auspicatus, etiàm moriendo vincis.
Supremo spiritu cineres poscit;
Nempè in cineres tandem solui debuit,
Qui totus fuerat charitate igneus.
Mihi crede hunc ignem mortis gelu non extinguet,
Cùm tam benè sit cinere tectus.
Metanœæ discipulus, ne dum sedere, sed mori in cinere voluit,
Veh Charitatis Phoenix
Inter cineres mortalitatem exuit,
Seu e moriens bis, vt viuat, Cœlo, Posteritati.

Sunt,

Sunt, qui asseuerent,
Apes semimortuas aspersas oleo, & cinere reuiuiscere.
An vt omni ex parte Deo reuiuisceret,
Iam oleo vnctus cinere quoque voluit inspergi?
At reuiuiscere non poterat, qui nunquam fuerat Deo mortuus.
Heroum maximus,
Si non per lacteam; saltem cineream viam
Debuit ad immortalitatem migrare,
Vbi à Patre familias ad æternum inuitatus conuiuium
Cilicio clamydatus, vestem etiam induit nuptialem:
Nempè, qui rudia retia in dolorum venationem assumpserat,
Iisdem retibus gaudiorum regnum voluit quoque venari.
Gauisus est innocens noxiorum remedijs;
Sciens non aliter, quam per pœnas, & infortunia
Fortunari homines.

VITA, ET GESTA BEATI ANDREAE AVELLINI CLERICI REGVLARIS

Elogiorum Decade expressa.

Castrum Nouum Lucaniæ Oppidum Andream Orbi dedit, in sacrò fonte lustrali vnda tersus Lancellotus vocatur. In cunabulis sola adiuuante Diuina Gratia è fascijs dexteram manulam soluit, ac Crucis signo prod giosè se munit.

Elogium I.

Nouum Castrum, nouum Martem
Christianæ militiæ donat.
Qui soli fœcunditate palmarum messem demetet.
Caueat Tartarus,
In castris natus, pugnæ locum præuenit
Expectaturus, quæ debellet Phlegethontea monstra.
Nouerat militiam esse vitam hominis;
Hanc, vt illicò exerceret in castris voluit nasci.
Quamobrem si Christi Atleta
Non oleo, sed lustrali linitur vnda
Sacri fontis inter latices,
Prouidè Lancellori gaudet nomenclatura,
Ne nomen quidem foret inerme;
Sed Lanceis armatum nomen, omen foret cladium.
Initia-

Initiaturus bellum ſanctior Hercules,
Vel in faſcijs aptus ad faſces,
Si vngues non aptauit ad angues;
Manum è vinculis ſoluit, muniturus ſe Crucis ſigno:
Nempè alter Conſtantinus,
Meliùs in hoc ſigno voluit vincere:
Vel ſequuturus Chriſti veſtigia Crucem apprehendit,
Nemo Chriſtum ſequitur, quin tollat crucem ſuam;
Mihi credite ſyrenularum illecebras, quæ alliciunt ad necem,
Illudet hic Vlyſſes, crucis arbori, tam benè adhærens.
Mundum (quia ſupremi Numinis templum eſt)
Sic ingreditur, vt eleuatis manibus, ſtatim Sacerdotem agat.
Et ne ei deeſſet victima totam vitam ſacrificium fecit,
Oculatior Argo primo telluris offenſus aſpectu,
Nihil in ea ſe dignum inuenerat.
Vndè aliò conatus eſt auolare, nempè in cœlum
Expanſis Crucis alis:
Et quis eum in terra detineat,
Quem, vel naſcentem Cœlum cæpit attrahere?

B. ANDREAS *à primo ætatis flore ſummis virtutibus aſſueſcit; caſtitatem maximè colit. Manus admouens oculos, vt eos ſibi erueret, mulierculam fugat; quæ eius oculorum venuſtate capta illum deperibat.*

Elogium II.

Errauit,
Qui cæcum Cupidinem finxit, pinxit velatum:
Argum peperit hæc Venus;
Totus in oculis ſiſtit, quia oculorum venuſtate capta mulier
Iuuenem ſæpè impugnat, licèt expugnet nunquam.
Illum auſa abripere florem, qui nullo auri prętio venalis eſt,
Niſi dumos carpit, quibus puncta Venus
Roſas parit in genis; ſed verecundiæ;
Infelix Pyrauſta Cupidinis alis
Iuuenis circumuolitans lumina
Pudicitiam in cineres forſan redegiſſet
Niſi oculatior, lumina tentaſſet extinguere,
Non ſemper malè agit, qui lucem odit.
Imò vt melius ageret; tentauit lumina extinguere.

Amoris

Amoris tela oculi sunt, arcus supercilia.
Ne arma perderet Amor, ac inermis fieret
Palmas libentiùs ei cessit.
Melius tamen vidisset sine lumine,
Sol erat tot ornatus virtutibus, quot radijs,
Vt luceret; duplici non egebat frontis sydere.
Bipatentes tamen has animi fenestras
Tentauit claudere; quia vicinos nouerat fures.
Mare feruens est vita hominis,
Piscatorem agit Amor, eius retia oculos crede,
Quibus insidias pudicitiæ tendit, tentat illam expiscari:
Benè euasurus periculum insidias audet frangere.
Cæcum ampliùs, ne credas cupidinem,
Qui tantùm oculis potest.

B. ANDREAS *noctu preces fundens ante supremum Numen Cruci affixum aggreditur à quadam muliercula, à qua varijs illicijs ad venereos amplexus prouocatur, at statim iuuenis fugiens aspero se induit cilicio, ferreisq; catenulis se totum cruciat.*

Elogium III.

Suas palliatura insidias Venus
Noctu aggreditur expugnandam Pudicitiam,
Eò securior palma, quò vmbrosæ cupressus aërem funestabant,
Accensas syderum facies, faces credebat funereas,
Quæ roscidis lachrymis simul, & defuncto Soli
Et extinctæ pudicitiæ parentarent.
Cubiculum ingressa blanda syrenula
Allicit, vt enecet,
Et sæuior omni fera
Tunc magis efferatur, cùm illicijs mulcet.
Ceù nouercali odio virile pectus crudeliùs prosequitur,
Cùm blanditias ferit.
Quid nisi sanctior Vlysses
Crucis arbori Diuini Amoris vinculis hærens
Syrenulæ ludos illudit, & fugiendo triumphat,
Castitatis Athleta libidinis est fugitiuus:
Qui in Veneris pugna vult palmas demetere;
Parthorum more, fugiendo pugnet.
Castitatis Pugil non pectus, sed tergum dat hostibus.

Solet

Solet fuga militis imbecillitatem prodere;
At in libidinis castris;
Pugnantis fortitudo in fuga est sita.
Inermis est, qui non fugit: armatus, qui fugit.
Hercule fortiorem crede,
Quem non vna, sed plures Omphales
Pudicitiæ veste non potuerunt spoliare.
In alio clausus cubiculo
Genua flectit, vt Deum in vota sua flectat.
Fractis oculis, non fractam pudicitiam illachrymatur.
Olim in maris vndis nata Venus,
Nunc in lachrymarum vndis emoritur.
Luctus flumina, lumina perpluunt:
Veneris flammæ, nisi hac vnda extinguuntur.
Et ne purpura victrici deesset Pudicitiæ,
Se flagris cruentat;
Totusque frangitur, magis integer perseueraturus,
Si victricis Pudicitiæ phrenoschema quæris;
Corpus iam habes, hemistichium adde
Vulneror, ne vulnerer.

B. ANDREAS *legitimè se opponens iuueni Amasio tentanti Virginem monialem, quam deperibat violenter rapere, ter ab illo in vultu gladio vulneratur, nec ab incoato opere desistens irritos facit iuuenis conatus.*

Elogium IIII.

Mirari volueram, si sanguinis amica Venus
Sine cruoris effusione venisset.
Tèr nudato ferro sauciatur aureus vultus:
Fluxit tamen de læso ore plus gloriæ, quam cruoris,
Quia trophea, non probra fuerunt vulnera.
Seù inuicti animi characteres,
In quibus veram Fortitudinis Ideam legeres.
Hoc tamen de Achille plus habuit;
Quod vulnera cum posset eludere pati maluit,
Vt fractus, meliùs alienam integritatem defenderet.
Nam è saucio ore plus ardoris, quam cruoris fluxit.
Sacerdos iamdudùm initiatus
Nouerat, sui muneris esse sanguinem fundere.

Vt

Vt oblatam Deo seruaret victimam.
Ideò audacem iuuenem increpaturus;
Quia vnicum os non erat satis, tria alia in vulneribus aperuit,
Quibus facundior fieret.
Et ne verbis deesset pondus
Suum ipse sanguinem fudit:
O viuacem Suadam, quæ sanguine loquitur!
Castitatis summus cultor fędari amat, ne fędetur pudicitia.
Immutetur iam lemma illud Armenici muris
Malo mori, quàm fædari,
Dùm ipse ne moriatur pudicitia, fœdari amat.
Lilium fuerat puritatis, inter spinas pœnitentiæ;
Venerem punxerat, pungitur modo triplici vulnere;
Difficile est versari inter spinas sine vulnere.
At quis crederet? candori consulit, cùm fœdatur,
Et lilia metit, cùm purpureas è vultu ferit rosas.
O rosas mirabiliter purpureas,
Quas non in turpibus fabulis natas impudicus cruor infecit,
Sed in virginibus niuibus vernantes
Pudicus sanguis ornauit?
Purpurat os: expectet vltimum excidium Veneris regnum,
In eius fronte, hoc est innocentiæ in cælo
Tres purpurant Cometæ.

B. ANDREAS *Iuris prudentiæ peritissimus, dum amici causam nimio patrocinatur ardore inopinatè leue incidit in mendacium, aperiens verò vesperi de more Sacram Scripturam, & fortuitò legens illud Sapientiæ*, Os quod mentitur occidit animam, *diuinitùs admonetur, quarè vltimum vale indicit mundo, onusque Religionis subit inter Clericos Regulares.*

Elogium V.

Antheos suos etiam cœlum habet,
Qui è lapsibus neruosiores surgunt;
In mendacium lapsus; sequuturus Veritatem,
Mendacem mundum surgendo vicit, cùm fugit.
Felix error, qui rectitudinem docuisti.
Ex Iuris Prudentiæ iudicibus,
Selectus pro virtutis causa patronus,
Hanc tam benè tuetur, vt propriam faciat.

Solem æmulatus illustriorem incoaturus vitam;
Eum non puduit è tenebris mendacij erupisse:
Vnicam tamen vitæ suæ maculam,
Vel vt obrueret, vel elueret
Lachymarum cataclysmum effudit;
Vel iam solutam in lachrymas per oculos eiecit.
Crebras fudit lachrymarum pluuias,
Quia talibus viuit aquis ignis ille;
Quem Deus vult in homine vehementer accendi.
Obscura indutus lacerna, clariùs micaturus,
Humilitatis vmbras adamauit,
Ostensurus, vel in meridie ornamenta Cæli.
E mortis imagine vitam hauriens,
Sibi didicit mori, vt disceret sibi viuere.
Ecclesiæ in Cœlo primæ classis sydus
In tenebris debuit clarius effulgere.
Disce Lector
Sibi mori, est sibi viuere.

B. ANDREAS *pro subucula asperrimum induit cilicium, assiduis flagris se cruentat, ac in omnibus pœnitentia generibus exercetur.*

Elogium VI.

Puritatis lilium; nisi inter pœnitentiæ spinas
Voluit efflorescere,
Vt suauiorem redoleret cælo fragrantiam.
Si in regno patientiæ nil melius coronat,
Quam, quod cruciat;
Dignum coronà crede hunc florum regem,
Qui cruciatus ambit, vt delicias: delicias fugit, vt cruciatus.
Veræ deliciæ sunt, delicias fugere.
Pœnæ, solatia illi fuerunt;
Gaudet enim, cùm patitur iustus,
Cruentis flagris innocentes artus feriebat,
Sed ad sanitatem, vt de Achillis hasta triumpharet;
Vel vt Puritatis lilium etiam purpurasceret in rosam,
Me thanceæ in pugna ipsa vulnera, sunt pharmaca,
Et cruoris effusio, purpuræ indumentum;
Arctum vitæ genus iniuit, vt arctius adhæreret Deo.

Dura

Dura humus non semel cubile præbuit,
Vel vt cominus Tartarum expugnaret,
Vel vt mollius cubile se præberet Deo,
Vel, ne quies ipsa sine labore, somnus sine dolore esset.
Temperantia, quæ in alijs virtus est summa,
In ipso natura fuit.
Summa inedia dies absorbuit
Nulla re in stomachum missa, aut instillata,
Lachrymarum profluuijs sitim auget, non extinguit.
Scilicet, qui totus euaserat spiritus, corporis alimonio, nõ egebat;
Si Methaneæ cinere sparsum vultum cernis:
Argue, quale sit cordis incendium;
Cuius cinere etiam ora pallescunt.
Nobilis Pugil luctaturus cum Tartaro
Non alio linitus oleo, quam lachrymis,
Hoc quoque voluit olimpico puluere sordescere,
Vt pulchriùs triumpharet,
Quamobrem, vt velociùs Victor ad cœleste curreret capitolium
Calcaria quoque adhibuit, quibus latera pungeret:
Cilicio si cingitur, condona lanienam.
Charitatis Rosæ, ac puritatis lilia
Nesciunt suauiùs florere, quam inter spinas.

B. ANDREAS *Neapolin impositurus obstaculum Dei offensis, quæ per Bacchanales ferias perpetrabantur: lachrymabundus in precibus pernoctans pluuiarum ferè cataclysmum à Deo obtinet, quamobrem perniciosæ omittuntur choreæ, ac cætera spectacula.*

Elogium VII.

Tibi gratulor Parthenopæa Syren,
Herculem habes, qui Gallicano facundior,
Ipsum Deum scit in sua vota vincire, ac flectere.
Per bacchanales ferias, non feriante;
Sed operante otiosæ lasciuiæ licentia,
Veneris flamma plures vssisset:
Nisi æmuli elementi timuisset ruentes vndas.
Tam grande excitauerat Venus incendium,
Vt nisi ab aquarum cataclysmo potuerit extingui.
Non amplius asseuerent Pythagorei;
Vnicam Saturni lachrymam peperisse mundo oceanum:

De fabulis hic triumphat, dum lachrymis pluuias obtinet,
Zelus in fulgura, preces in tonitrua,
Lachrymæ in imbres, suspiria in turbines abierunt.
Imò non pluuias, sed lachrymas fuderunt cœli,
Quibus plangerent terræ infortunia.
Vicerat olim Iosuë Amorrhæum,
Sed Solis statione, ac adblandiente cœli serenitate,
Triumphat hic de virtutis hoste sæuiente procella.
In castris Iosuë stetit Sol, ne staret Amorrheus;
Et exhibuit se stationarium militem,
Vt statiuam in castris Amorrhęorum prosterneret fortunam;
Metam distulit diei attingere, vt palmas demeteret:
Illustris fuit victoria,
Quia defixos tenuit cœli oculos, Solem, Lunam,
Qui hæserunt, vel allecti spectaculo;
Vel obstupefacti virtute.
Verùm ex hoc vitij conflictu
Clariorem crede progerminatam victoriam
In qua elementa ipsa pugnarunt.
Supra naturam triumphauit, qui imperauit naturæ;
Cœli suo obtemperantes nutui liquerunt.
Eripuit Solem, vt eriperet vitij caligines;
Plaudat interim suo Herculi Parthenopæa Syren,
Qui charitatis face, ac laboris claua
Vitij Hidram in septena capitalium criminum capita
Semper repullulantem profligauit.

B. ANDREAS, *vt homines à vitij tirannide auertat nulli parcit labori; concionaturus Oppidis, ac Vicis; per niues transit hyberno tempore, per torridos calores æstiuis diebus, dum Sacramentales audit Confessiones assiduè illachrymatur.*

Elogium VIII.

Atlanteos habet humeros Charitas
Sub ærumnarum, ac laborum pondere non trepidat,
Sæuientis hyemis niues, geluque illudit:
Nempè tota ignea frigus non sentit,
Si feruescentis Leonis ruentes flammas, nec patitur;
Mirum non sit, quia maius erat incendium,
Quam ab ardoribus posset intendi;

Indignari

Indignari potuerat philosophia, si vidisset
A simili simile passum esse.
Ne peregrina foret hominibus virtus, diù peregrinatus,
Iouis fulmen deterrebat; Mercurij flumen demulcebat
Obdura corda, prurientes aures.
Nunquam mentem suam acuratiùs coluit,
Nisi cum coleret, etiam alienam:
Solum hoc benè subegit, quia subiecit Deo soli;
Arauit, cùm sanctitatis characteres exarauit:
Virtutum semina postea voce, manuque iaciens,
Sudore, ac lachrymis alluens
Copiosam fructuum messem obtinuit.
Gallicano Hercule felicior
Homines vinciebat, vt strictius adhærerent Deo.
Quia crimina non habuit, quæ plangeret
Habuit, quo defleret aliena.
Nam expiatas sordes, vt ablueret
Vndas ab oculis fudit;
Vel quæ auribus hauserat crimina, oculis depluebat,
Ne intimæ innocentiæ lux
Alienæ noxæ maculam pateretur.

B. ANDREAS *iter habens, ac ingenti aggressus ab imbre miraculosè seruatur illæsus, nihilque madefit.*

Elogium IX

Inter elementa mordax quoque regnat inuidia:
Olim ignis babylonico in camino,
Quia tres pueros non tetigit, immortalitatem attigit.
Quid ni? parem gloriam, vt sibi compararet aqua,
Andream, nec est ausa tangere,
Sed dumtaxat illum circumsepiens
Diadema texuit ex cadentibus è Cœlo margaritis;
Ne elementorum triumphatori deesset corona.
Olim in fornace ignis non nænia audita est, sed pæan;
Imò, & cantus rerum omnium conditarum;
Quid mirum si refrixerit flamma?
Glaciem simul, & niuem, ac aquam accersiuerunt:
Ideò de igne triumphati pueri,
Virgæ, quas Tyrannus iniecerat in fomitem flammæ
Laureatos

Laureatos cessere in fasces:
Et vestes, quas retulerunt intactas, in trophea victoriæ.
At si niue, & aqua vicerunt pueri ignem;
Igne vicit hic aquam.
Nec ei defuisse ignem crede, totus enim æstuabat charitate:
Nempè propè tam grande charitatis incendium
Ruentes è cælo aquæ non poterant non exsiccari.
Quam feruens ignis, quem aquarum procella
Obruere nec potuit, nec valuit.
Virtutum propè Arcam, si non Iordanis;
Aquarum flumina reuertenda erant retrorsum.
Olim rubri maris vnda, vt Mosi foret mitis obduruit;
Vt esset hostibus dura, relapsa est liquida:
Nam cedente mari, incedentes hæbreos:
Eodem vado sequutus Pharao in vndis fuit demersus.
Memor elementum easdem pœnas dedit,
Quas nascenti Mosi decreuerat.
Sic crebrò suis artibus pereunt Tyranni.
Suppar prodigium prodijsse ab aquis crede;
Quando nouum legislatorem non sunt ausæ tangere.
Nec mirum videatur, quia diuino æstuabat amore;
Aquæ multæ non possunt extinguere,
Nec flumina obruere charitatem.

B. ANDREAS *pœnitentijs consumptus, ac annorum pondere pressus sacrificaturus se confert ad Altare, vbi ter repetitis illis verbis; Introibo ad Altare Dei, deficientibus viribus cadit in terram; in cubiculum vectus omnibusq; munitus Sacramentis, Animã Deo reddit, quod autem supra naturam fuit, post mortem semel, & iterùm vulneratus viuum effudit sanguinem.*

Elogium X.

Nouum sacrificij institutum attende.
Non amplius Sacerdos immolat,
Sed infulatam cedit in victimam; quia cadit.
Pluriès sacerdotio functus, vt semel disceret hostia fieri,
Tandem, vt victima moritur,
Cuius tota vita sacrificium fuit:
Mactanda cadit ante aram, effusura cruorem post necem.
Gaudeant Cęlites habent, quo tripudient

In tam

In tam benè farta victima.
Cecidit, vt lapsu verus Antheus neruosior fieret.
Qui ascensurus vsque in Cœlum erat,
Nouas vires mutuare debuit à lapsu,
Ne deficeret in tam prolixo itinere.
Felix lapsus! quo erigitur Sacerdos super sydera.
Olim Iosuë Hierocontina mœnia arietauit,
Non ferreis machinis, sed æneis tubis:
Nec opposuit bellicas testudines muris,
Ne in victoria tarditas experiretur;
Sed inflauit tubas, vt ore, non manu parta victoria
Maiori foret digna præconio.
Supparem victoriam hic habes,
Vbi ad primas huius euangelicæ tubæ voces,
Fortior ex hominis hostibus caro victa cecidit.
Interim triumphaturus in cœlesti capitolio;
Decumbens, contra itineris malignitatem
Salutari se muniuit Viatico.
Et prudentes quoque virgines æmulatus
In ornamento suæ lampadis sumpsit oleum secum.
Quidni vnctum lacescere Atletam
Tentauit tartareus Antagonista;
Armatus in illum horribili larua
Solo terrere, ac vincere aspectu crediderat;
At; qui carnem, & mundum vicerat,
Sciuit quoque & Tartara vincere;
Et ne tanto deesset purpura victori,
Etiam post fatum;
Sanguinem propinauit fracta cutis,
Vel qui in vita, nisi spinas calcauit.
Post mortem dare cœpit, purpureas rosas.

DE EPITAPHIIS.

MOnumenta Documenta crebrò dilucidant; ac è sepulchrorum tenebris clariora prodeunt sanioris doctrinæ lumina, quam olim ex Platonis vmbrifera Platano: ineruditos, ne censeas Manes, licèt non super exedram loquantur; verùm sub sarcophago inuio-

go inuiolabiles seruēt silentij leges, franguntur tamen ipsa saxa, vt incisis characteribus etiam ipsa marmora parentent consepultæ virtuti: hoc superest vitæ, sepultæ virtuti; facundia lapidum: sub quibus inanis cinis sani amoris persæpè excitat ignes, nosq; à fluxis mortalis vitæ illecebris extrahit: quapropter, vt cecinit ille,

Maiorum tumuli meritò monumenta vocantur,
Nam qua sint homines conditione docent.

Sepulchrum eruditum est lycæum, vbi non se-pulchrum nouit ampliùs iuuenis, sed docente mortuo, facundo silentio, cuius ossa tumulis exanguibus albent, veritatem ediscimus, ac suadente experientia fluxas agnoscimus opes, vanam pulchritudinem, somnium præsentem vitam; nam

Nomina Maiorum tumulis inscripta recense
Addendumque breui, noueris esse tuum.

Importunæ Libithinæ falcem marmoreo sarcophago credētes infringere superstites, vel saxeum suis ictibus obijcere clypeum, mortuorum nomina, conditiones, virtutes duriora super marmora insculpunt; vel licèt post fata, vt viuant mortui; vel lapides excruciant, vt tormentorum vi ad loquendum coacti, muti oratores, loquaci silentio, è viuis abrasis, & parentent, & epicedia canant; verùm, & de saxis, & de ipsis insculptis nominibus triumphat Libithina, teste Ausonio, qui humidas oculorum acies in quædam inijciens monumenta iam diruta, cecinit.

Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

EXPENSIO DVODECIMA.

Quid sit Epitaphium, & quomodo ab Elogijs, & Inscriptionibus distinguatur.

EPitaphium est quædam inscriptio super sarcophago, ac sepulchrali insculpta lapide, quà defuncti nomen, conditiones, ac virtutes, commendantur cum aliquo morali documento alludente, vel ad fluxas opes, vmbriferas voluptates, seù præsentis vitæ vanitatem; quo documento viator licèt à mortuis, ediscat viuere, ac è cadauerum cineribus aliquem exhauriat Diuini Amoris ignem: albicantia tumulis in exanguibus ossa semina sunt:

ſunt, quæ in aliena excepta mente in fructuũ meſſem erumpunt; non ſolùm Ceres in camporum planitie, verùm Libithina in ſepulchrorum vallibus vberem ſpiritualium fructuum meſſem progignit; quia è ſepulcrali lapide adamantina ediſcunt emolleſcere corda, ac virtutis lineamenta faciliùs excipere: cæterùm, qui è tumulorum vmbris virtutum non recipit ſplendores, ac è frigidis cineribus Diuini Amoris flammas, adamas eſt, non adamans.

Licèt Elogia, Inſcriptiones, & Epitaphia, militent ſub eodem genere inſcriptionum, attamen epitaphium diſtinguitur ab elogio, & inſcriptione; quia elogium, vt dixi ſupra, eſt ſeries, vel nexus argutiarum in commendationem alicuius geſti, vel peculiaris perſonæ; inſcriptio verò eſt dedicatio alicuius operis fabrefacti, vel breuis expreſſio alicuius virtutis, epitaphium verò de ſua eſſentia debet tantùm fieri in commendationem defunctorum, ac exprimere nomen, conditionem, ac virtutem defuncti, cùm aliquo doloris ſigno, vt eſt ſubiectum epitaphium afflicti Patris in extinctum filium. *Parens infeliciſſimus, afflictus præ poſteritate naturæ, filium hoc tumulo condidit, quem importuna mors ademit, præripuitque ſenij baculum; cui iam defeſſa ætas adnitens, per breues annos ſuos alleuabat; nunc autem mors adſequitur, quam triſtes lachrymæ deſeruerunt, diſce viator, cæca mors falce ſua, & iuuentæ flores, ac ſenectutis maturos fructus ſimul demetit*, vel hoc aliud, quod metricis lineis compoſui;

Adeſdũm viator
Saxum hoc manante iugiter lacruma excaua,
Ac ſepulcrales diſcute cineres:
Extinctum reperies virtutis ſplendorem,
Exſiccatum iuuentutis florem.
Heu quam cito mei amoris flamma in cineres abijt!
Puerum me; ne credito amiſiſſe;
Virum; eheu amiſi, amiſi eheu Heroem,
Immanes ecce ille diutini morbi cruciatus
Tam mirifica tulit patientia,
Vt parentibus circa ſe flentibus, nunquam fleuerit.
Tu verò illachrymare ab ardenti febri
Combuſtum fortiſſimum Scęuolam,
Et in hos cineres ſolutum.

Inſuper epitaphium differt ab inſcriptione, & elogio, quia in-

ſcriptio inſculpitur in calce operis fabrefacti, vel ſtatuæ, vel obeliſci, vel in fronte arcus triumphalis, vt ſunt illæ inſcriptiones, quæ leguntur Romæ in arcubus triumphalibus Titi, Veſpaſiani, ac Magni Conſtantini ad radices montis Tarpei; Epitaphium verò non ſculpitur, niſi ſuper ſepulcrales lapides ad oſtendendum locum, vbi frigida quieſcunt cadauera; ac dormiunt, qui naturæ penſum ſoluerunt. Tum quia inſcriptio dumtaxat enarrat cauſam, ob quam opus fabrefactum excellenti viro dedicatur, vndè non eſt de eſſentia inſcriptionis commendare virum, cui opus dedicatur; ſed tantum cauſam dedicationis exprimere; de eſſentia verò epitaphij eſt commendare defunctum, & locum vbi ſepulcrali cinere ſordeſcunt mortalis corporis exuuiæ, ac oſſa indicare. Demùm differt ab elogio, quia hoc quocumque in loco poteſt inſcribi: ſecùs epitaphium tantùm ſuper ſepulcrum, vtpotè exprimens eſſentialiter locum, vbi quieſcit defunctus; tum quia elogia tanta argutiarum amænitate texuntur, vt videantur perpetuò inter Parnaſſi vireta iocari, ſecùs epitaphium in luctu in ſqualore iacens dolorem exprimit, ac mæſtitiam, vt eſt ſubiectum epitaphium CLEMENTIS PAPAE NONI inſculpendum ſepulcro, quod compoſui in eius nece;

Lugete Muſæ veſtrum extinctum Apollinem.
Tundete capita fideles; veſtro è viuis abraſo capite.
Obijt Clemens vlulate: Clementia abijt;
Nempè ſepulta hic eſt ſerenitas, in lachymarum pluuias erumpite.
Gratiæ ſuo viduatæ delicio inſolabiliter lugeant,
Et muſæ ſqualore obſitæ Parnaſſum quærelis impleant,
Apollinis laurus in cupreſſum abijt:
Et Pontificiæ dignitatis ſplendor, pallidum in cinerem.
Nimia erat deſiderij flamma
Propagandi religionem, augendi virtutis vires;
Miniſtrandam materiam, qua aleretur tantus ignis,
Non habuit tellus.
Non poterat diù durare ſine pabulo flamma.
Occupato ab Ottomanica Luna Cretæ Regno moritur:
Turcica Luna niſi mortis noctem poterat præſagire.
Tertium Pontificatus annum non abſoluit;
Hoc eſt regnauit votis Gentium parùm,
Diutiùs regnaturus in cælis.

Epita-

Epitaphium igitur est oratio in defunctorum sepulchris scribi solita, vel vexillis super sepulchra pendentibus, debet tamen continere nomen defuncti, necis genus, Maiorum nobilitatem gestorum præcipuorum perbreuem commemorationem. Super inscriptionem sculpi solent hi characteres D. O. M. scilicet, *Deo Optimo Maximo*, vel *Aeternitati*. Epitaphia alia versu, alia soluta prosa texuntur. Epitaphium versu textum est illud Francisci Pacini;

Inueni Portum, Spes, & Fortuna valete,
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios;
Hospes eram mundo, per mundum semper eundo,
Nunc suprema dies fit mihi summa quies.

Et super tumulum Angeli Politiani viri linguarum peritia clari;

Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, vnum
Qui caput, & linguas (res noua) tres habuit.

Ex epitaphijs alia sunt iocosa, vt est illud Vespiæ litigiosæ vetulæ;

Tres habuit furias quondam, sed Vespia Manes,
Vt petijt, furias quatuor orcus habet.

Aliquando inducitur ipse mortuus de se loquens cum viatore, vt

Hic decumbo viator, vide quid sum.
Fui quod es, eris quod sum. Vale.

Vel hoc aliud *Mortales cum simus,*
Quid futura dies nobis vehat nescimus,
Fui non sum, estis non eritis.

Interdum ipsa instrumenta inducuntur loquentia, quæ defunctorum tumulis olim solebant sculpi. v. c. Agricolis *aratrũ*, Pastoribus *baculus*; Nautis *Remus*; venatoribus *falco*, aut *Canis*, militibus *framea*; sic in subiecto epitaphio ipsa framèa loquitur:

Acuta fui olim Framea,
Sed nunc ad mortis saxum hebetata sum:
Fulgebam olim splendore Martio, nunc rubigine Lethi corrodor
Et cum Domini N. brachio hoc cecidi super sepulchrum.

Hisce verò temporibus gentilitia stemmata, aut symbola imprimuntur tumulis, vt Oratoribus *Fulmen*, Poëtis *Cygnus*, Ducibus *Aquila*, aliquando etiam ipsi symbolo additur aliquod perbreue hemistichium, seù lemma, vt si sculpere velles super sepulti principis tumulum eius amorem in subditos, hoc symbolum bellè exprimere posset *Pelicanus sanguine pullos suos fouens*, hoc

lemmate *Pro Lege, & Grege*; vel *Aquila expansis alis*, cum epigraphe; *sub vmbra alarum meearum*, vel *Leo apertis oculis indormiens*, hoc hemistichio; *Non dormiuit, qui custodiuit*: Epitaphia debent quoque abundare sententijs, ac doctrinis moralibus, vt habes in subiecto epitaphio Saladini Aegyptiorum Regis;

Floruit in toto, qui Rex Oriente potentem;
Nunc iacet; ex tantis quid tulit? ecce nihil.

Vel in hoc alio, quod legitur Caietæ in sepulchro Marmoreo Scipionis Africani;

Deuicto Annibale, captâ Carthagine, & aucto
Imperio; hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, & non obstitit Africa quondam.
Respice res hominum, quam breuis vrna premit.

Et in tumulo cuiusdam Eleemosinarij sculptum fuit hoc Epitaphium. *Quod dedi habeo; perdidi quod seruaui.*

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De optimo Epitaphiorum charactere.

Gelida mortis hyems vernantibus gaudet coronari floribus, quales ab eruditæ Palladis sinu erumpentes suauitèr pungunt; hoc est mortuorum epitaphia stylum amant, qui licèt in luctu in squalore iacens dolorem in legentium, ac lugentium animis excitet; attamen ab illa argutiarum amænitate, quæ animum mulcet haudquaquam discedit; obnubilato Aprili, aut pluuio Veri debet assimilari, & eruditionis flores lachrymarum profluuijs irrigare.

Hoc scribendi genus licèt sub primis eloquentiæ initijs natum, tamen propè sepulcra pluries mortuum: hoc sæculo vbi homines ad eloquentiæ culturam nati, etiam ipsa saxa faciunt esse diserta, noua phœnix reuiuiscit, noui styli eloquentia, virore, ac delicijs mirificè alliciens.

Cæterùm epitaphium easdem styli leges seruat, ac elogium; nempe libera poëtis suis solummodo legibus viuit, nec syllabarum quantitate illigatur; nec verborum ambitus, ac prolixos periodorum circuitus amplectitur, quippequi lyricorum gaudens conformari concisis periodis, nullam respicit syllabarum quantitatem.

Stylus

Stylus igitur Epitaphij debet esse acer, velox, grauis, pressus verbis, rebus affluens moralibus sensibus diues, sublimis, qui facilè dolorem valeat excitare; & licèt fluentem orationis ambitum non habeat, suis tamen ornatur argutiarum gemmis, ac acuminum telis, quæ Achillis diceres; nam pungunt, ac feriunt, sed ad animi sanitatem; stylus mæstus illachrymatur, sed ad spiritualis vitæ lætitiam; dolet, sed ad animi solatium; super acumina, grauitatem fouet; super elegantiam, politissimi sermonis morales sententias; ità vt farta laconismis compositio plura dicat, & paucis se expediat; sententiarum copia breuitati litet; & vibratis argutijs punctim feriat ad pietatem; pungat, ac stimulet ad virtutem; & aliena morte ad vitam reuocet; vt cum cultu acumina ità innectet, vt cultus ipse feriat, acumen ornet pro praxi subiectum do epitaphium sculpendum Marcelli Tolosæ Clerici Regularis, egregij concionatoris tumulo.

Gelidos in Libithinæ cineres
Abijt hoc sub lapide disertæ Suadæ ardor.
Pangit epicedium insculptus lapis
MARCELLO TOLOSAE Clerico Regulari
Marmora plangunt, ad æternitatem
Musarum mella, Gratiarum decus, Eloquentiæ robur,
Abijsse, obijsse.
Extinctæ virtuti, id superest vitæ, facundia lapidum,
Arida ne censeas ossa facundiæ sunt, ac Suadæ,
Infæcunda non erunt.
Frigidos ne credas cineres, qui frigida corda
Ad virtutem succendunt, gelidæ mortis imagine.
Marcellus claro stirpis genere natus,
Virtutis splendore sanguinis claritatem auxit.
Nobilitas non est, quam virtus non nobilitat.
In crepundijs puerulus, parentum risus, Charitum lusus fuit.
Puer sine pueritia, infantilia ludicra eierans,
Virilis maturitatis rudera strauit;
Humili indutus lacerna abdicatur cœno, dicatur cælo,
Diuinus orator voce, manuque iaciens semina
Sudore, & lachrymis alluens
Dignam laboribus messem obtinuit;
Quia Iouis fulmen perterrebat, Mercurij flumen demulcebat

Obdura

Obdura corda, prurientes aures:
Demùm à cęlitibus vocatus inter preces carne exuitur,
Qui totus euaserat angelicis moribus spiritus.
Candidissimus cygnus moriens in suauiores erupit cantus,
Quia Epicedia sibi debuerat canere.
At tu viator immortalis spiritus, mortales exuuias
Hac in vrna contemplare, & abi.

Ad Tumulum Honorati Leotardi Senatoris Niciensis, viri eruditissimi, quà Apollinea, quà Palladis lauro redimiti, hoc sculpendum olim inscripsi Epitaphium:

Lugete ciues lugete,
In Occasum huius tumuli delapsus est scientiarum Sol:
Extincta in hac vrna cinesit vestra lux;
HONORATVS LEOTARDVS Senator eximius,
Quem ferebatis in oculo, en iacet in loculo.
Extincto soli mestitiæ tenebris parentate,
Vestrorum Sydera oculorum fletibus corrumpite,
Qui de vsuris tam lucidè scripsit; lucis vsuram amisit.

Propono quoque tibi hoc aliud epitaphium, quod legitur, ab alijs insculptum, tumulo, VVALENSTEINII viri tumidi, qui se iactabat Iouis filium, ac in Cæsaream Maiestatem insidias nectebat, vt crearetur ipse Imperator.

Hanc nec molem, nec Pyramidem, nec Sepulchrum;
Sed exiguam Ruderum struem; ne despicias viator;
Quam ingentis machinæ ruinam
Ipsemet Iupiter Germanicus exhorrescit, ipsa Gigantem tegit,
Qualem terram parentem ira Deorum irritatam
Extremo Encelado fratrem peperisse dicas.
Hunc ex claris, sed modicè fastigiatis penatibus ea sors suscepit:
Quæ ligones sceptris, vel gaudet, vel audet æquare.
Nouum Herculem dixisses genitum,
Nisi ille serpentes in cunabulis necasset, vt monstris interficiendis
Adultus assuesceret;
Hic ab incunabulis malos genios fouisset,
A quibus posteà interficeretur.
Iamque ità excreuerat, vt ipsum Iouem suam prolem
Agnoscere credidisses;
Ille supremus Bellorū Minister; summus Imperij Administrator,
Olympum

Olympum ſolus ſuſtinere videbatur.
Cur autem in tanto culmine non validè ſteterit, quæris?
Ambitionis turbo eum deiecit.
Siquidem non ipſe, ſed Fortuna fatigata,
Dum majus, quod ſibi parabat pondus leuis illa, detrectat,
Degeneres Ortus prodidit, & ex filio Iouis Rebellem indicauit;
Vt quem ſimulata fides euexerat; aperta perfidia deprimeret
Religionis ſacra polluere; Imperij Maieſtatem euertere;
Tot Regum, tot Cæſarum,
Ipſique penè cœlo cognatum ſanguinem innoxium perfundere
Omnia ſuperbo pede calcare, Regem ſe facere,
Sacrilegus moliebatur.
At moles tanti furore ignis ante tempus diſiecta
Molitorem ipſum egit in cineres.
Sic Imperia iiſdem, quibus parta ſunt artibus amittuntur.
Tu antequam abeas
Lapillum ſaltem congerere, ne graueris,
Vt in Gigantis olim excreſcat tumulum,
Qui Gigantis nunc operit auſus.

EXPENSIO DECIMAQVARTA.

Quæ Figuræ ſint in Epitaphÿs adbibendæ.

QVia bonus huius inſtituti character ad excitandos affectus præſertim doloris, timoris, deſperationis, miſericordiæ adinuentus fuit; ideò de figuris, quæ ad id valeant, habeantque aliquid nerui erit agendum; & hæ figuræ præſertim erunt patheticæ, quæ ad epitaphiorum ſtructuram, ac venuſtatem plurimum habent roboris, ac nerui; cauendum tamen eſt; ne heroicis neglectis ſenſibus totus labor in literulis, ſyllabiſque aucupandis, & in tornanda periodo videatur hærere: primò quia hoc inſtitutum laconiſmis potiùs fartum, quam verborum redundantijs flores alit, qui carpuntur per ſe ſinguli ſummis digitis, non tota immiſſa falce metuntur; tùm quia vocum titillationes heroicis præponere ſenſibus, hominis potiùs eſt literis, ac eloquentia abutentis. Figuræ igitur ad epitaphiorum ſtructuram valentes ſunt, quas hic ſubijcio. Imperium vt, *Lege viator luge*; vel *Triſtes vlulate*

vlulate gentes, vel *Lugubri tundete manu Cæsariem*, vel *Soluite crines : spargite cineres: sistite gemitus*, vel *viator lumina corrumpe fletibus; siste gradum quisquis es, adsta, & perlege, lugeant oculi extinctam suam lucem*. Didaschia, *Discite superbi soluendum est semel naturæ pensum: hæc angusta Augusti vrna docet, quàm parua sint mundi maxima*. Cognitio, *Vis scire, quam magnus fuerit Augustus ex angusta vrna metire*. Ostensio, *En vide viator, quam facilè vita cymbula ad sepulcri scopulum allidens frangatur*. Negatio, *Nego Augustum fuisse Cæsarem; vix paruulam vrnam æquat*. Narratio, *Magna Paruis narro; Imperatorum finis exilis est cinis; & maximæ dignitatis splendor in paruulum citò soluitur cinerem*. Reticentia, *Quæris an grandis fuerit Cæsar? hac quiescit in vrnula, satis dixi solum quate, & abi*. Iuramentum, *Iuro per hos Manes, Maxima; aut paruula, aut nihil esse, dum sic citò in inanes abeunt cineres*: vel *Per hos Manes iuro, nil morte tutius, nil morte certius, nil morte incertius*. Animaduersio, *In hac paruula vrna iacet Magnus Alexander, cui si dum vixit mundus totus non suffecit; ecce mortuo loculus sufficit*. Legitur etiam hæc alia Animaduersio in quodam saxeo lipsano ex antiquæ Romæ ruderibus: *Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis: hic homonæa breui condita sum tumulo*. Correctio, *Hic iacet Augustus! fallor; hic non est, imò nunc est, quod verè fuerat*, satyrica pariter est hæc alia correctio; *Hic iacet Henricus: Roderiqus: vel Frideriqus; non bene recordor: tamen exit nomen in-iqus*. Præteritio, habetur in illa inscriptione mordaci; *Herodotus Historiographus hic iacet: non dico mendacem fuisse, sed Græcum*; hoc morbo enim laborabant Græci. Repetitio, *Adsis superbe adsis, sepulcrali in hoc lapide franges tumentes fluctus tuos*. Admiratio habetur in illo Romano epitaphio apud D. Hieronymum, *Miraculum! hic vir, & vxor non litigant*. Ex hac figura oritur etiam Exclamatio, quæ plurimum valet in epitaphijs, vt est ista, quæ olim in quodam sarcophago legebatur. *O Genus Humanum lachrymabile triste, caducum: Quod viuens miserum, post obitum cinis est*. Memoratio, *Exilitatis vestræ memores estote magni principes; exilis hic Cæsaris cinis memoriam iuuat*. Præsagitio, *Sepulcrali ab hoc cinere verum vaticinor: cras nihil eritis magni Principes*, vel hoc aliud epitaphium, *vixi vt viuis, morieris, vt sum mortuus*. Dubitatio, *Anceps es, an magnus fuerit Cæsar? paruum gesta negant, magnum exilis vrnæ cinis*. Inquisitio,

tio, *Cæsarem quæro, & in ipso Cæsare Cæsarem non inuenio*. Interrogatio, *Quò parua deuenient? si Maximi soluuntur in nihilum.* Responsio, *Audi viator scire cupis, qui sim? fui*. Interrogatio, & Responsio simul. *Quæris vbi quiescat Clemens? exutus mortalitatem, spolia hic deposuit; at non ideò nudus cælum petijt, clamydatus virtutum auro*. Occupatio, *Magnum fuisse Cæsarem credis? falleris, hac paruula vrna magnum non capit*, & in epitaphio Callimaci: *Putas Callimachum viuere! falleris: mortuus est; & Græciam sustinet*. Fictio, *Fingite orbem vniuersum hos circumspicere cineres Magni Alexandri, & affirmabit se de nihilo trepidasse*. Prosopopæia, *Adesdùm viator audi, quid mortuus loquatur ex ossuario. Ille ego sum Alexander, quem magnum effecit fama: minorem facta: nullum fata: imò non sum, sed fui, hoc si non credis, saxum quate, & abi*. Apostrophe, *Dicite pallidi Manes, quis sub hoc lapide diues? quis purpuratus? quis mendicus? nescimus, quia Libithinæ falx æquat inæqualia:* & Martialis de puero extincto in aqua. *Vbi mors non est, si iugulatis aquæ?* Ratiocinatio, *Sepulcrales in hos cineres abijt Venus, ergo ignis erat*; vel, *Quæris cur post fata in puluerem soluatur homo? humus erat*. Compendium, & habetur in Epitaphio Iusti Lipsij. *Humana cuncta sumus, vmbra, vanitas, & scenæ imago: & verbo, vt absoluam, nihil*. Admonitio, *Moneo te quisquis es, mori cogites, antequam moriaris*. Salutatio, *Salue viator lege, non luge, hic iacet Ferrandus Spinula nomine, & constantia ferreus, moribus aureus, anceps tamen mens est, an pretiosior fuerit ferreus, quam aureus, spinam quam Sui gerunt in stemmate, ipse vt magis Christo adhæreret patienti, suo fixit in corde, cilicio nempè indutus atrociùs sauciauit Spinula Venerem, quam olim spina, at si spina Rosam, spinula puritatis lilium ornauit, demùm lilium inter cilicij spinas exuuias in hac vrna deposuit mortalitatis post pallidæ mortis gelu æterno fruiturum vere*. Apprecatio, *Bene valeas quisquis es*. Veneratio, *Venerare hos cineres; Diuini Amoris sunt Lipsana*. Obiurgatio legitur in hoc satyrico epitaphio. *Contemptor Fidei; vitæ corruptor honestæ. Fons, & origo mali, clauditur hoc tumulo*. Irrisio, *Audi viator ridendus est Magnus Alexander paruula in hac vrna, qui olim Diogenem risit in dolio*. Optatio est, quæ legitur in quodam epitaphio mulieris mortuæ in ipso partus dolore. *O si nulla forent connubuia, nulli Hymenæi*. Inuocatio pariter habetur in epitaphio cuiusdam viri illicijs carnis dediti. *Hùc*

Laureatos cessere in fasces:
Et vestes, quas retulerunt intactas, in trophea victoriæ.
At si niue, & aqua vicerunt pueri ignem;
Igne vicit hic aquam.
Nec ei defuisse ignem crede, totus enim æstuabat charitate:
Nempè propè tam grande charitatis incendium
Ruentes è cælo aquæ non poterant non exsiccari.
Quam feruens ignis, quem aquarum procella
Obruere nec potuit, nec valuit.
Virtutum propè Arcam, si non Iordanis;
Aquarum flumina reuertenda erant retrorsum.
Olim rubri maris vnda, vt Mosi foret mitis obduruit;
Vt esset hostibus dura, relapsa est liquida:
Nam cedente mari, incedentes hæbreos:
Eodem vado sequutus Pharao in vndis fuit demersus.
Memor elementum easdem pœnas dedit,
Quas nascenti Mosi decreuerat.
Sic crebrò suis artibus pereunt Tyranni.
Suppar prodigium prodijsse ab aquis crede;
Quando nouum legislatorem non sunt ausæ tangere.
Nec mirum videatur, quia diuino æstuabat amore;
Aquæ multæ non possunt extinguere,
Nec flumina obruere charitatem.

B. ANDREAS *pœnitentijs consumptus, ac annorum pondere pressus sacrificaturus se confert ad Altare, vbi ter repetitis illis verbis; Introibo ad Altare Dei, deficientibus viribus cadit in terram; in cubiculum vectus omnibusq; munitus Sacramentis, Animã Deo reddit, quod autem supra naturam fuit, post mortem semel, & iterùm vulneratus viuum effudit sanguinem.*

Elogium X.

Nouum sacrificij institutum attende.
Non amplius Sacerdos immolat,
Sed infulatam cedit in victimam; quia cadit.
Pluriès sacerdotio functus, vt semel disceret hostia fieri,
Tandem, vt victima moritur,
Cuius tota vita sacrificium fuit:
Mactanda cadit ante aram, effusura cruorem post necem.
Gaudeant Cęlites habent, quo tripudient

In tam

In tam benè farta victima.
Cecidit, vt lapsu verus Antheus neruosior fieret.
Qui ascensurus vsque in Cœlum erat,
Nouas vires mutuare debuit à lapsu,
Ne deficeret in tam prolixo itinere.
Felix lapsus! quo erigitur Sacerdos super sydera.
Olim Iosue Hierocontina męnia arietauit,
Non ferreis machinis, sed æneis tubis:
Nec opposuit bellicas testudines muris,
Ne in victoria tarditas experiretur;
Sed inflauit tubas, vt ore, non manu parta victoria
Maiori foret digna præconio.
Supparem victoriam hic habes,
Vbi ad primas huius euangelicæ tubæ voces,
Fortior ex hominis hostibus caro victa cecidit.
Interim triumphaturus in cœlesti capitolio;
Decumbens, contra itineris malignitatem
Salutari se muniuit Viatico:
Et prudentes quoque virgines æmulatus
In ornamento suæ lampadis sumpsit oleum secum.
Quidni vnctum lacescere Atletam
Tentauit tartareus Antagonista;
Armatus in illum horribili larua
Solo terrere, ac vincere aspectu crediderat;
At; qui carnem, & mundum vicerat,
Sciuit quoque & Tartara vincere;
Et ne tanto deesset purpura victori,
Etiam post fatum;
Sanguinem propinauit fracta cutis,
Vel qui in vita, nisi spinas calcauit.
Post mortem dare cępit, purpureas rosas.

DE EPITAPHIIS.

MOnumenta Documenta crebrò dilucidant; ac è sepulchrorum tenebris clariora prodeunt sanioris doctrinæ lumina, quam olim ex Platonis vmbrifera Platano: ineruditos, ne censeas Manes, licèt non super exedram loquantur; verùm sub sarcophago inuio-

go inuiolabiles seruēt silentij leges, franguntur tamen ipsa saxa, vt incisis characteribus etiam ipsa marmora parentent consepultæ virtuti: hoc superest vitæ, sepultæ virtuti; facundia lapidum: sub quibus inanis cinis sani amoris persæpè excitat ignes, nosq; à fluxis mortalis vitæ illecebris extrahit: quapropter, vt cecinit ille,

Maiorum tumuli meritò monumenta vocantur,
Nam qua sint homines conditione docent.

Sepulchrum eruditum est Lycæum, vbi non se-pulchrum nouit ampliùs iuuenis, sed docente mortuo, facundo silentio, cuius ossa tumulis exanguibus albent, veritatem ediscimus, ac suadente experientia fluxas agnoscimus opes, vanam pulchritudinem, somnium præsentem vitam; nam

Nomina Maiorum tumulis inscripta recense
Addendumque breui, noueris esse tuum.

Importunæ Libithinæ falcem marmoreo sarcophago credētes infringere superstites, vel saxeum suis ictibus obijcere clypeum, mortuorum nomina, conditiones, virtutes duriora super marmora insculpunt; vel licèt post fata, vt viuant mortui; vel lapides excruciant, vt tormentorum vi ad loquendum coacti, muti oratores, loquaci silentio, è viuis abrasis, & parentent, & epicedia canant; verùm, & de saxis, & de ipsis insculptis nominibus triumphat Libithina, teste Ausonio, qui humidas oculorum acies in quædam inijciens monumenta iam diruta, cecinit.

Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

EXPENSIO DVODECIMA.

Quid sit Epitaphium, & quomodo ab Elogijs, & Inscriptionibus distinguatur.

EPitaphium est quædam inscriptio super sarcophago, ac sepulchrali insculpta lapide, quà defuncti nomen, conditiones, ac virtutes, commendantur cum aliquo morali documento alludente, vel ad fluxas opes, vmbriferas voluptates, seù præsentis vitæ vanitatem; quo documento viator licèt à mortuis, ediscat viuere, ac è cadauerum cineribus aliquem exhauriat Diuini Amoris ignem: albicantia tumulis in exanguibus ossa semina sunt:

sunt, quæ in aliena excepta mente in fructuũ messem erumpunt; non solùm Ceres in camporum planitie, verùm Libithina in sepulchrorum vallibus vberem spiritualium fructuum messem progignit; quia è sepulcrali lapide adamantina ediscunt emollescere corda, ac virtutis lineamenta faciliùs excipere: cæterùm, qui è tumulorum vmbris virtutum non recipit splendores, ac è frigidis cineribus Diuini Amoris flammas, adamas est, non adamans.

Licèt Elogia, Inscriptiones, & Epitaphia, militent sub eodem genere inscriptionum, attamen epitaphium distinguitur ab elogio, & inscriptione; quia elogium, vt dixi supra, est series, vel nexus argutiarum in commendationem alicuius gesti, vel peculiaris personæ; inscriptio verò est dedicatio alicuius operis fabrefacti, vel breuis expressio alicuius virtutis, epitaphium verò de sua essentia debet tantùm fieri in commendationem defunctorum, ac exprimere nomen, conditionem, ac virtutem defuncti, cùm aliquo doloris signo, vt est subiectum epitaphium afflicti Patris in extinctum filium. *Parens infelicissimus, afflictus præ posteritate naturæ, filium hoc tumulo condidit, quem importuna mors ademit, præripuitque senij baculum; cui iam defessa ætas adnitens, perbreues annos suos alleuabat; nunc autem mors adsequitur, quam tristes lachrymæ deseruerunt, disce viator, cæca mors falce sua, & iuuentæ flores, ac senectutis maturos fructus simul demetit,* vel hoc aliud, quod metricis lineis composui;

Adesdùm viator
Saxum hoc manante iugiter lacruma excaua,
Ac sepulcrales discute cineres:
Extinctum reperies virtutis splendorem,
Exsiccatum iuuentutis florem.
Heu quam cito mei amoris flamma in cineres abijt!
Puerum me; ne credito amisisse;
Virum; eheu amisi, amisi eheu Heroem,
Immanes ecce ille diutini morbi cruciatus
Tam mirifica tulit patientia,
Vt parentibus circa se flentibus, nunquam fleuerit.
Tu verò illachrymare ab ardenti febri
Combustum fortissimum Scæuolam,
Et in hos cineres solutum.

Insuper epitaphium differt ab inscriptione, & elogio, quia in-

ſcriptio inſculpitur in calce operis fabrefacti, vel ſtatuæ, vel obeliſci, vel in fronte arcus triumphalis, vt ſunt illæ inſcriptiones, quæ leguntur Romæ in arcubus triumphalibus Titi, Veſpaſiani, ac Magni Conſtantini ad radices montis Tarpei; Epitaphium verò non ſculpitur, niſi ſuper ſepulcrales lapides ad oſtendendum locum, vbi frigida quieſcunt cadauera; ac dormiunt, qui naturæ penſum ſoluerunt. Tum quia inſcriptio dumtaxat enarrat cauſam, ob quam opus fabrefactum excellenti viro dedicatur, vndè non eſt de eſſentia inſcriptionis commendare virum, cui opus dedicatur; ſed tantum cauſam dedicationis exprimere; de eſſentia verò epitaphij eſt commendare defunctum, & locum vbi ſepulcrali cinere ſordeſcunt mortalis corporis exuuiæ, ac oſſa indicare. Demùm differt ab elogio, quia hoc quocumque in loco poteſt inſcribi: ſecùs epitaphium tantùm ſuper ſepulcrum, vtpotè exprimens eſſentialiter locum, vbi quieſcit defunctus; tum quia elogia tanta argutiarum amænitate texuntur, vt videantur perpetuò inter Parnaſſi vireta iocari, ſecùs epitaphium in luctu in ſqualore iacens dolorem exprimit, ac mæſtitiam, vt eſt ſubiectum epitaphium CLEMENTIS PAPAE NONI inſculpendum ſepulcro, quod compoſui in eius nece;

Lugete Muſæ veſtrum extinctum Apollinem.
Tundete capita fideles; veſtro è viuis abraſo capite.
Obijt Clemens vlulate: Clementia abijt;
Nempè ſepulta hic eſt ſerenitas, in lachymarum pluuias erumpite.
Gratiæ ſuo viduatæ delicio inſolabiliter lugeant,
Et muſæ ſqualore obſitæ Parnaſſum quærelis impleant,
Apollinis laurus in cupreſſum abijt:
Et Pontificiæ dignitatis ſplendor, pallidum in cinerem.
Nimia erat deſiderij flamma,
Propagandi religionem, augendi virtutis vires;
Miniſtrandam materiam, qua aleretur tantus ignis,
Non habuit tellus.
Non poterat diù durare ſine pabulo flamma.
Occupato ab Ottomanica Luna Cretæ Regno moritur:
Turcica Luna niſi mortis noctem poterat præſagire.
Tertium Pontificatus annum non abſoluit;
Hoc eſt regnauit votis Gentium parùm,
Diutiùs regnaturus in cælis.

Epita-

Epitaphium igitur est oratio in defunctorum sepulchris scribi solita, vel vexillis super sepulchra pendentibus, debet tamen continere nomen defuncti, necis genus, Maiorum nobilitatem gestorum præcipuorum perbreuem commemorationem. Super inscriptionem sculpi solent hi characteres D. O. M. scilicet, *Deo Optimo Maximo*, vel *Aeternitati*. Epitaphia alia versu, alia soluta prosa texuntur. Epitaphium versu textum est illud Francisci Pacini;

Inueni Portum, Spes, & Fortuna valete,
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios;
Hospes eram mundo, per mundum semper eundo,
Nunc suprema dies fit mihi summa quies.

Et super tumulum Angeli Politiani viri linguarum peritia clari;

Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, vnum,
Qui caput, & linguas (res noua) tres habuit.

Ex epitaphijs alia sunt iocosa, vt est illud Vespiæ litigiosæ vetulæ;

Tres habuit furias quondam, sed Vespia Manes,
Vt petijt, furias quatuor orcus habet.

Aliquando inducitur ipse mortuus de se loquens cum viatore, vt

Hic decumbo viator, vide quid sum.
Fui quod es, eris quod sum. Vale.

Vel hoc aliud. *Mortales cum simus,*
Quid futura dies nobis vehat nescimus,
Fui non sum, estis non eritis.

Interdum ipsa instrumenta inducuntur loquentia, quæ defunctorum tumulis olim solebant sculpi v.c. Agricolis *aratrũ*, Pastoribus *baculus*; Nautis *Remus*; venatoribus *falco*, aut *Canis*, militibus *framea*; sic in subiecto epitaphio ipsa framèa loquitur:

Acuta fui olim Framea,
Sed nunc ad mortis saxum hebetata sum:
Fulgebam olim splendore Martio, nunc rubigine Lethi corrodor
Et cum Domini N. brachio hoc cecidi super sepulchrum.

Hisce verò temporibus gentilitia stemmata, aut symbola imprimuntur tumulis, vt Oratoribus *Fulmen*, Poëtis *Cygnus*, Ducibus *Aquila*, aliquando etiam ipsi symbolo additur aliquod perbreue hemistichium, seù lemma, vt si sculpere velles super sepulti principis tumulum eius amorem in subditos, hoc symbolum bellè exprimere posset *Pelicanus sanguine pullos suos fouens*, hoc

lemmate *Pro Lege, & Grege*; vel *Aquila expansis alis*, cum epigraphe; *sub vmbra alarum meatum*, vel *Leo apertis oculis indormiens*, hoc hemistichio; *Non dormiuit, qui custodiuit*: Epitaphia debent quoque abundare sententijs, ac doctrinis moralibus, vt habes in subiecto epitaphio Saladini Aegyptiorum Regis;

Floruit in toto, qui Rex Oriente potenten;
Nunc iacet; ex tantis quid tulit? ecce nihil.

Vel in hoc alio, quod legitur Caietæ in sepulchro Marmoreo Scipionis Africani;

Deuicto Annibale; captâ Carthagine, & aucto
Imperio; hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, & non obstitit Africa quondam
Respice res hominum, quam breuis vrna premit.

Et in tumulo cuiusdam Eleemosinarij sculptum fuit hoc Epitaphium. *Quod dedi habeo; perdidi quod seruaui.*

EXPENSIO DECIMATERTIA.

De optimo Epitaphiorum charactere.

Gelida mortis hyems vernantibus gaudet coronari floribus, quales ab eruditæ Palladis sinu erumpentes suauitèr pungunt; hoc est mortuorum epitaphia stylum amant, qui licèt in luctu in squalore iacens dolorem in legentium, ac lugentium animis excitet; attamen ab illa argutiarum amœnitate, quæ animum mulcet haudquaquam discedit; obnubilato Aprili, aut pluuio Veri debet assimilari, & eruditionis flores lachrymarum profluuijs irrigare.

Hoc scribendi genus licèt sub primis eloquentiæ initijs natum, tamen propè sepulcra pluries mortuum: hoc sæculo vbi homines ad eloquentiæ culturam nati, etiam ipsa saxa faciunt esse diserta, noua phœnix reuiuiscit, noui styli eloquentia, virore, ac delicijs mirificè alliciens.

Cæterùm epitaphium easdem styli leges seruat, ac elogium; nempe libera poësis suis solummodo legibus viuit, nec syllabarum quantitate illigatur; nec verborum ambitus, ac prolixos periodorum circuitus amplectitur, quippequi lyricorum gaudens conformari concisis periodis, nullam respicit syllabarum quantitatem.

Stylus

Stylus igitur Epitaphij debet esse acer, velox, grauis, pressus verbis, rebus affluens moralibus sensibus diues, sublimis, qui facilè dolorem valeat excitare; & licèt fluentem orationis ambitum non habeat, suis tamen ornatur argutiarum gemmis, ac acuminum telis, quæ Achillis diceres; nam pungunt, ac feriunt, sed ad animi sanitatem; stylus męstus illachrymatur, sed ad spiritualis vitæ lætitiam; dolet, sed ad animi solatium; super acumina, grauitatem fouet; super elegantiam, politissimi sermonis morales sententias; ità vt farta laconismis compositio plura dicat, & paucis se expediat; sententiarum copia breuitati liret; & vibratis argutijs punctim feriat ad pietatem; pungat, ac stimulet ad virtutem; & aliena morte ad vitam reuocet; vt cum cultu acumina ità innectet, vt cultus ipse feriat, acumen ornet pro praxi subiectum do epitaphium sculpendum Marcelli Tolosæ Clerici Regularis, egregij concionatoris tumulo.

Gelidos in Libithinæ cineres
Abijt hoc sub lapide disertæ Suadæ ardor.
Pangit epicedium insculptus lapis
MARCELLO TOLOSAE Clerico Regulari
Marmora plangunt, ad æternitatem
Musarum mella, Gratiarum decus, Eloquentiæ robur,
Abijsse, obijsse.
Extinctæ virtuti, id superest vitæ, facundia lapidum,
Arida ne censeas ossa facundiæ sunt, ac Suadæ,
Infæcunda non erunt.
Frigidos ne credas cineres, qui frigida corda
Ad virtutem succendunt, gelidæ mortis imagine.
Marcellus claro stirpis genere natus,
Virtutis splendore sanguinis claritatem auxit.
Nobilitas non est, quam virtus non nobilitat.
In crepundijs puerulus, parentum risus, Charitum lusus fuit.
Puer sine pueritia, infantilia ludicra eierans,
Virilis maturitatis rudera strauit;
Humili indutus lacerna abdicatur cœno, dicatur cælo,
Diuinus orator voce, manuque iaciens semina
Sudore, & lachrymis alluens
Dignam laboribus messem obtinuit;
Quia Iouis fulmen perterrebat, Mercurij flumen demulcebat

Obdura

Obdura corda, prurientes aures:
Demùm à cęlitibus vocatus inter preces carne exuitur,
Qui totus euaserat angelicis moribus spiritus.
Candidiſſimus cygnus moriens in ſuauiores erupit cantus;
Quia Epicedia ſibi debuerat canere.
At tu viator immortalis ſpiritus, mortales exuuias
Hac in vrna contemplare, & abi.

Ad Tumulum Honorati Leotardi Senatoris Nicienſis, viri eruditiſſimi, quà Apollinea, quà Palladis lauro redimiti, hoc ſculpendum olim inſcripſi Epitaphium:

Lugete ciues lugete,
In Occaſum huius tumuli delapſus eſt ſcientiarum Sol:
Extincta in hac vrna cineſit veſtra lux;
HONORATVS LEOTARDVS Senator eximius,
Quem ferebatis in oculo, en iacet in loculo.
Extincto ſoli meſtitiæ tenebris parentate,
Veſtrorum Sydera oculorum fletibus corrumpite,
Qui de vſuris tam lucidè ſcripſit; lucis vſuram amiſit.

Propono quoque tibi hoc aliud epitaphium, quod legitur, ab alijs inſculptum, tumulo, VVALENSTEINII viri tumidi, qui ſe iactabat Iouis filium, ac in Cæſaream Maieſtatem inſidias nectebat, vt crearetur ipſe Imperator.

Hanc nec molem, nec Pyramidem, nec Sepulchrum;
Sed exiguam Ruderum ſtruem; ne deſpicias viator;
Quam ingentis machinæ ruinam
Ipſemet Iupiter Germanicus exhorreſcit, ipſa Gigantem tegit,
Qualem terram parentem ira Deorum irritatam
Extremo Encelado fratrem peperiſſe dicas.
Hunc ex claris, ſed modicè faſtigiatis penatibus ea ſors ſuſcepit:
Quæ ligones ſceptris, vel gaudet, vel audet æquare.
Nouum Herculem dixiſſes genitum,
Niſi ille ſerpentes in cunabulis necaſſet, vt monſtris interficiendis
Adultus aſſueſceret;
Hic ab incunabulis malos genios fouiſſet,
A quibus poſteà interficeretur.
Iamque ità excreuerat, vt ipſum Iouem ſuam prolem
Agnoſcere crediiſſes;
Ille ſupremus Bellorũ Miniſter; ſummus Imperij Adminiſtrator,
Olympum

Olympum solus sustinere videbatur.
Cur autem in tanto culmine non validè steterit, quæris?
Ambitionis turbo eum deiecit.
Siquidem non ipse, sed Fortuna fatigata,
Dum majus, quod sibi parabat pondus leuis illa, detrectat,
Degeneres Ortus prodidit, & ex filio Iouis Rebellem indicauit;
Vt quem simulata fides euexerat; aperta perfidia deprimeret
Religionis sacra polluere; Imperij Maiestatem euertere;
Tot Regum, tot Cæsarum,
Ijsique penè cœlo cognatum sanguinem innoxium perfundere
Omnia superbo pede calcare, Regem se facere,
Sacrilegus moliebatur.
At moles tanti furore ignis ante tempus disiecta
Molitorem ipsum egit in cineres.
Sic Imperia ijsdem, quibus parta sunt artibus amittuntur.
Tu antequam abeas
Lapillum saltem congerere, ne graueris,
Vt in Gigantis olim excrescat tumulum,
Qui Gigantis nunc operit ausus.

EXPENSIO DECIMAQVARTA.

Quæ Figuræ sint in Epitaphijs adhibendæ.

QVia bonus huius instituti character ad excitandos affectus præsertim doloris, timoris, desperationis, misericordiæ adinuentus fuit; ideò de figuris, quæ ad id valeant, habeantque aliquid nerui erit agendum; & hæ figuræ præsertim erunt patheticæ, quæ ad epitaphiorum structuram, ac venustatem plurimum habent roboris, ac nerui; cauendum tamen est; ne heroicis neglectis sensibus totus labor in literulis, syllabisque aucupandis, & in tornanda periodo videatur hærere: primò quia hoc institutum laconismis potiùs fartum, quam verborum redundantijs flores alit, qui carpuntur per se singuli summis digitis, non tota immissa falce metuntur; tùm quia vocum titillationes heroicis præponere sensibus, hominis potiùs est literis, ac eloquentia abutentis. Figuræ igitur ad epitaphiorum structuram valentes sunt, quas hic subijcio. Imperium vt, *Lege viator luge*; vel *Tristes vlulate*

tio, *Cæsarem quæro, & in ipso Cæsare Cæsarem non inuenio*. Interrogatio, *Quò parua deuenient? si Maximi soluuntur in nihilum*. Responsio, *Audi viator scire cupis, qui sim? fui*. Interrogatio, & Responsio simul. *Quæris vbi quiescat Clemens? exutus mortalitatem, spolia hic deposuit; at non ideò nudus cælùm petijt, clamydatus virtutum auro*. Occupatio, *Magnum fuisse Cæsarem credis? falleris, hæc paruula vrna magnum non capit*, & in epitaphio Callimaci: *Putas Callimachum viuere! falleris: mortuus est; & Græciam sustinet*. Fictio, *Fingite orbem vniuersum hos circumspicere cineres Magni Alexandri, & affirmabit se de nibilo trepidasse*. Prosopopæia, *Adesdùm viator audi, quid mortuus loquatur ex ossuario. Ille ego sum Alexander, quem magnum effecit fama: minorem facta: nullum fata: imò non sum, sed fui, hoc si non credis, saxum quate, & abi*. Apostrophe, *Dicite pallidi Manes, quis sub hoc lapide diues? quis purpuratus? quis mendicus? nescimus, quia Libithinæ falx æquat inæqualia:* & Martialis de puero extincto in aqua. *Vbi mors non est, si iugulatis aqua?* Ratiocinatio, *Sepulcrales in hos cineres abijt Venus, ergo ignis erat*; vel, *Quæris cur post fata in puluerem soluatur homo? humus erat*. Compendium, & habetur in Epitaphio Iusti Lipsij. *Humana cuncta sumus, vmbra, vanitas, & scenæ imago: & verbo, vt absoluam, nihil*. Admonitio, *Moneo te quisquis es, mori cogites, antequam moriaris*. Salutatio, *Salue viator lege, non luge, hic iacet Ferrandus Spinula nomine, & constantia ferreus, moribus aureus, anceps tamen mens est, an pretiosior fuerit ferreus, quam aureus, spinam quam Sui gerunt in stemmate, ipse vt magis Christo adhæreret patienti, suo fixit in corde, cilicio nempè indutus atrociùs sanciauit Spinula Venerem, quam olim spina, at si spina Rosam, spinula puritatis lilium ornauit, demùm lilium inter cilicij spinas exuuias in hac vrna deposuit mortalitatis post pallidæ mortis gelu æterno fruiturum vere*. Apprecatio, *Bene valeas quisquis es*. Veneratio, *Venerare hos cineres; Diuini Amoris sunt Lipsana*. Obiurgatio legitur in hoc satyrico epitaphio. *Contemptor Fidei; vitæ corruptor honestæ. Fons, & origo mali, clauditur hoc tumulo*. Irrisio, *Audi viator ridendus est Magnus Alexander paruula in hac vrna, qui olim Diogenem risit in dolio*. Optatio est, quæ legitur in quodam epitaphio mulieris mortuæ in ipso partus dolore. *O si nulla forent connubuia, nulli Hymenæi*. Inuocatio pariter habetur in epitaphio cuiusdam viri illicijs carnis dediti. *Hùc*

Venus, & Genius veniant, ponendus in vrna est nouus hac subter Sardanapalus humo. Votum, *Quieti publicæ ingentem hanc victimam, nempè iugulatum Attilam vouit Libithina; abi viator flagellum Dei, amplius ne timeas.* Obsecratio, *Obsecro te quisquis es, ne ita alienā contempleris mortem, vt non memineris tuæ.* Concessio, *Do quod poscis auara tellus Alexandrum Magnum, posside, qui te possedit.* Recusatio legitur in hoc epitaphio super Virginem Romanam sepultam: *Intus casta cubat procul hinc discedite amantes amentes*, vel in hoc alio super Alexandrum Macedonem: *Tolle sepulcralium inuidiam fornicum: nolo contigua fulminibus Mausolea: respuo illiterata Mempheos literata fastigia, quia fui non sum magnus, angusta me capit vrna.* Exultatio, *Hac in vrna putrescit Attila; gaudete Itali in cineres abijt fulmen, ac flagellum quod timebatis.* Plausus, *Plaudite Populi: peracta est fabula: Alexander personam exuit, ex Semideo fit cinis.* Eiulatio, *Heù rerum vices, ac vitæ inconstantiam, qui pridiè erat magnus, postridiè est nihil*; vel *Heù mors inuida, immatura, acerba.* Improperium, *Ingrata mors, siccine occidis, cui tantum debes? fœnus amittis dum sortem rapis. Quot hic perimeret, nisi perijsset.* Spes, *Sperate populi nullum amplius imminebit malum, flagellum Dei, hoc est Attila, in hos cineres abijt, sine flagello nolite timere.* Pœnitentia habetur in Epitaphio cuiusdam nautæ. *Dijs Manibus, & Neptuno magno; quem verberasse me pœnitet.* Desperatio exprimitur hisce formulis. *Actum est, Conclamatum est, Peracta est fabula*; & super fores inferorum. *Exeas de spe, qui hùc intras.* Timor habetur in Epitaphio cuiusdam viri interempti à fideliori amico. *Metue, quem non metuis:* & super Alexandri tumulum Thesaurus inscripserat. *Timete superi: magnum quoque Iouis filium mors protriuit.* Verecundia erubescit in Epitaphio Annibalis, qui effeminatus perijt inter Capuinas delicias. *O turpe fatum! Venus de Marte triumphauit, Annibalem, quem hastati exercitus non interfecerunt; rosarum spinæ ad necem vulnerarunt.* Impudentia, *Nimis impudens es viator, si ibi siccis oculis stas, vbi alij sicco iacent sub cinere.* Excandescentia, *In exitium se ferant furore suo Parcæ, quia nemini parcunt, nec Alexandro, hoc est, filio Iouis.* Nemesis habetur super tumulum cuiusdam satyrici viri: *Tandem latrare desijsti canis; tace nunc, iace.* Confessio, *Fateor magnum non fuisse Alexandrum paruulam hanc vrnam testor.* Istæ formulæ patheticæ sunt verum condimentum

mentum

mentum epitaphiorum, ac ſpiritus. Subiectum texo Epitaphium per prædictas figuras patheticas inſculpendum tumulo Sereniſſimi, & Inuictiſſimi *Principis* FRANCISCI THOMAE à Sabaudia;

Exclamatio	Heù, quam exilem abijt in cinerem Nitidiſſima Bellonæ fax!
Affirmatio	Splendorem ſuum perdidit has inter Manium vmbras Mars: Mors inuida hoc tumulauit ſub ſaxo
Cõfirmatio	*Sereniſſimũ Principem* FRANCISCVM THOMAM.
Oſtenſio	En ſepulta hic eſt ſerenitas, in lachrymarum pluuias,
Apoſtrophe	Erumpe viator, fractis oculis Fractum à Parca aureum filum ingemiſce:
Affirmatio	Quem opprimere non valuit Mars, protriuit Mors: Et Martis palmæ, in Mortis cupreſſus abierunt.
Narratio	Cuncta reſecat falce ſua Libithina, etiam Palmas:
Sententia	Et Parcæ nemini parcunt. Heroum magnitudinem mentitur Fama:
Teſtatio	Hos teſtor ſepulcrales cineres;
Interpretatio	In quos etiam belli fulmina ſoluuntur. Ite iam magni heroes, ac magnitudini allaborate;
Epiphonema	Heroum maximus vix cotylam implet.
Gratulatio	Gratulor tamen tibi magne Thoma, qui mortalitate exutus, Triumphator nõ obijſti, ſed abijſti ad æternũ capitoliũ.

Ad CAROLI QVINTI TVMVLVM.

Arma non ampliùs miniſtrent Auſtriacæ Aquilæ;
Extinctus hic iacet illarum Iupiter:
Parentent maximo Religionis Parenti.
Obijt, fateor, abijt, ſed taliter, vt huic marmori
Impreſſa firmiter extet virtus poſthuma:
Etiam lapides geſta loquentur CAROLI
Nomine QVINTI, virtute primi;
Solem crede ſuum lapſum in occaſum:
Propè quem pluriès Ottomanica Luna eclypſim fuit paſſa.
Victorijs ſuis iam totum illuſtrauerat Orbem:
Iam Palmarum ſegetem legerat Bellonæ in campo;
Quo tantos reciperet triumphos capitolium terra non habuit,

Hhhh 2 Abijt

Abijt igitur cœleste in capitolium æternùm triumphaturus.
Tu tamen viator ex hisce cineribus,
Quàm parua sint mundi maxima dignosce,
Et assuesce fatis cedere: Fata si vinci possent armis;
MAGNVS CAROLVS paruula in hac vrna non iaceret.

Ad tumulum HYACINTHI CORNARII *nobilis Veneti, Iuuenis omni virtutum genere prediti, ipso ætatis suæ anno octauo supra decimum è viuis erepti.*

Soluite crines, spargite cineres, tergeminæ Gratiæ:
Immatura Libithina falce sua vestrum obrasit Florem:
Hyacinthum in ipso ætatis vere gelidæ necis hyems decoxit.
Cęca est mors; an maturæ, an acerbæ sint plantæ, non videt;
Omnes æqualiter metit.
Vitreum ne putes, qui in tumulum lapsus frangi non potuit,
Nempè morum integritati, ità semper adhæsit;
Vt post fata ab ipsa disiungi noluerit;
Venetijs ortus, solùm communem cùm Venere habuit Patriam, nempè Mare;
Nam vix natus, virtutes nactus
Pudicitiæ niuibus Veneris flammas extinxit; Martis fouit.
Vitijs omnibus in adolescentia debellatis,
Pietatis hostes sibi etiam delegerat impugnandos.
Se cum virtutum exercitu obijcere Turcis cupiens,
Pluriès Cretense appetijt bellum,
Acturus Martem in patria Iouis.
Atqûi ante bellùm victor fui; eius adoreas
Saxeus hic tumulus accinit.

Ad ALEXANDRI MAGNI tumulum.

Timete Superi: etiam Iouis filium Libithina protriuit:
Cessit fato, qui nulli cessit.
Altioribus montium iugis si non parcunt Iouis fulmina,
Non parcit Mortis fulmen.
Sperate tamen populi, bella dediscite;
Belli fulmen hoc sub lapide in cineres abijt.
En Alexander Magnus post Pori regiam;
Post Persicum solium, hoc sordescit in cinerario.
Heù rerum vices? pridie magnus, postridie nullus.
Terrarum terror: orientis occasus, orbator orbis,

Vbere

Vberem post victoriarum segetem, tot post palmas,
Vix quatuor vrnulæ palmos implet.
Credite Principes. Nihil sunt magna, cum Magnus nihil hic sit;
Qui fulgorem natalium, claritate facinorum auxit;
Hoc sub fornice vallatur vmbris.
Aureo homini, ætas solùm fuit ferrea, quia arma tractauit,
Purpureæ gloriæ, non sanguineæ purpuræ auidus.
Nihil in summo viro mediocre fuit; præter corpus:
Cesserat hoc magnitudinem suam animo.
Tu tamen viator, dum pusillo in cinere
Magnum contemplaris Alexandrum,
Alienam vanitatem, ne ita inspicias;
Vt non memineris tuam.

Ad Magni VICTORIS AMEDEI Inuictissimi Sabaudiæ Ducis Tumulum.

VICTORI AMEDEO
Egregio sui victori, vt post fata
De tempore etiam triumphet, hæc scripta parentant marmora.
Taurini natus, Solem in Tauro ortum experti sunt populi.
Virtutum nempè ornatus floribus
Morum suauitate, vel asperos sibi conciliauit hostes.
Ad victorias imbutus adoreas præiuit
Nomine, an omine?
Pudicitiæ candorem, quem cum lacte ebibit
Nunquam passus est, vel leuiter temerari;
Nec delicijs delinitus, nec aduersitatibus fractus
Aduersitates putauit delicias, delicias aduersitates;
Pretiosum, ac adamantinum crede virum,
Qui frangi nunquam potuit;
Sed eandem integritatem, quam materna ab aluo,
Ac à lustralibus excæpit aquis,
hisce custodiendam dedit manibus.
Hos igitur cineres venerare viator,
Et consopitos, quos seruant pietatis ardores hauri, & abi.

EXPEN-

EXPENSIO DECIMAQVINTA.

Quinam affectus sint in Epitaphijs excitandi.

SVpremus rerum artifex cum hominem ex concreto finxisset luto, ac in eum spirasset vitæ spiraculum, simùl cum anima varios illi indidit affectus, quos si Stoica falce velis rescindere, statuam facies ex homine sine vigore, sine sensu; sunt igitur hi animi motus, seù passiones, sentientis animi ex boni, vel mali opinione natæ commotiones; radix omnium affectuum est anima sentiens: ex his animi motibus, alij sunt leniores, alij vehementiores; qui veluti sonantes procellæ animi deturbant serenitatem, mentisque candorem denigrant, testis est humana natura à Protoparentis lapsu variorum affectuum tyrannide vexata; quia vt ait Iuuenalis Saty. 1.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.

Hos affectus D. Thomas diuidit secundum geminam sentientis animi facultatem concupiscibilem, & irascibilem; & in parte Concupiscibili sex collocat Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, & Dolorem: in parte Irascibili quinque Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, Iram: Stoici verò quatuor dumtaxàt assignabant animi motus, Voluptatem, Dolorem, Spem, & Timorem; & Plato sub finem Timæi, duo solummodo permotionum elementa assignat, Voluptatem, & Dolorem: horum affectuum sedes, ac fons est cor humanum; ratio est, quia vehementes affectus spiritu, calore, & sanguine indigent, vt excitentur; spiritus autem subtiliùs elaborati intra cordis receptaculum emicant; hinc in adolescentibus affectus vigent acriores, quia in ipsis plurimum inest caloris; è conuerso in senibus, quia paulatim remittitur calor languescunt animi motus, nec tam facilè excitantur; aliquando etiam praui affectus causa sunt ipsi inferorum spiritus, qui corporis humoribus implexi, varios in corporibus humanis excitant fluctus, mentisque candorem vitijs denigrant; nostrumque animum malis scatentem affectibus labefactant, nobis tamen liberè volentibus.

In Epitaphijs præsertim excitari debent affectus Doloris, Timoris, & Desperationis, & Odij circa fluxas præsentis vitæ opes;

ad

ad mouendos autem hos affectus sunt proponenda, quæ sensibus sunt viciniora; & quia oculorum sensus omnium acerrimus est, sic, quæ oculis obijciuntur, validiùs irritant animos, quam quæ demissa per aures influunt, vt fuit illud Marci Antonij epicedium in encomio Cæsaris: *Heù canos sanguine cruentatos! heù vestem laceram! Cæsar inuictissime, inuictissime Cæsar! Hanc ideò togam sumpseras, vt in ea morereris:* Atqui tota vis huius epicedij fuit vestis cruore aspersa ante Populi Romani oculos explicata. Sic vt narrat Zonoras Romæ seditionem inter tumultuantem plebem, ac milites excitatam, in qua multum cruoris iam effusum erat, senior Pupienus Imperator infantulum Gordianum ostendens Populo seditioso furorem omnem mitigauit: & Gregorius Nonus, vt Populum Romanum Friderico adhærentem ad tuendam Vrbem conuerteret, Apostolorum capita, scilicet Petri, & Pauli, quæ in Lateranensi Basilica id temporis asseruantur asportauit; & sacra Lipsana populo commendauit; mirum sanè, statim omnium animos immutauit, ac sæuientis populi arma in ipsum conuertit Imperatorem. Quamobrem ea, quæ oculis subijciuntur plurimùm valent ad mouendos animi affectus. Quia in Epitaphijs subijci nequeunt huiusmodi res sensibiles, vt excitentur affectus; erit describenda Mors defuncti per hypothiposim, ac per viuas rerum imagines; vt facit Aristides in orat. de Smyrna lapsa, vbi luculenta descriptione, miseræ Vrbis fatum ante oculos ponit auditorum inquiens; *Iacet Smyrna ornamentum Asiæ, vestri decus Imperij, terræmotibus contrita est ciuitas, vnica Asiæ gloria, & iam suis iacet consepulta cineribus. Clausus est portus, perierunt fori ornamenta: viarum decora euanuerunt: gymnasia cum ipsis viris, ac pueris collapsa: templa partim iacent, partim hausta sunt. Iucundissima denique Vrbs, iniucundissimum effecta est spectaculum, ruinarum, ac cadauerum tumulus.*

Dolor est motus animi, quo dolemus de malo præsenti, humana vita crebrò ab hoc carnifice torquetur; vndè scitè, ac festiuè dicebat Themistius apud Stobæum; lutum, ex quo Prometheus hominem finxerat, non ex aqua, sed lachrymis fuisse maceratum; excitatur dolor in epitaphijs per descriptionem acerbi funeris; malorum, quæ passus est vita functus, cum in mortalitate viueret. Hunc affectum excitatum habes in subiecto epitaphio insculpendo

do super marmoreum sepulcrum SYLVESTRI MONTOLIVETI è vita abrasi ipso ætatis suæ anno quinto supra vigesimum:

Inserat Sabaudia ferales triumphali lauro cupressus,
Iani aperiat fores, timendum est bellum:
Pax ipsa, hoc est Oliuarum mons, hoc sub lapide in cineres abijt.
Bellum gerat internus dolor, animumque excruciet.
Vix olea viridis efflorescebat, cùm Mors inuida
In ipso ætatis vere, ne daret in autumno fructus eam decussit.
Naturæ ordinem violauit Mors, vt Syluestrum violaret.
Nempè Oliuarum montem sepulcrales mutauit in cineres
Non ignis combustione, sed gelidæ mortis oppressione.
Lugubre fatum! Mons Oliuetus tàm procùl à Gethsemani horto;
Hoc est ab Allobrogum iugis Mortis iugis decidit.
Et in puluereas fractus quisquilias iacet in tumulo.
Syluestrem tamen, si legis Montem, Ironiam puta,
Nisi fecundus esse poterat, qui in virtutum flores eruperat;
In lachrymarum pluuias erumpe viator,
Huiusque montis puluerem irriga;
Ne hinc abeas, nisi habeas pietatis fructus;

Doloris affectus magis exprimitur in subiecto epitaphio super immaturam mortem Ferdinandi Campagna iuuenis omni virtutum genere ornatissimi:

Heù qualis mortis est pruina
In loco campestri dùm cecidit; floridissimum iuuentutis ver,
In frigidam hyemem mutauit, ac flores omnes decoxit.
Cubate tumulis musæ, & squalore obsitæ
Vestro parentate Apollini mortuo.
Lugete tergeminæ Gratiæ, cinere spargite capita;
Hunc in tumulum cecidit, quem vos erexistis.
O luctuosam iacturam!
Italus, Latinusque Cygnus æternùm hic silet,
Scilicèt in loco Campestri Mors falce sua, flores omnes,
Amænitatem omnem, inamenè demessuit;
Et floridum Aprilem, in lachrymabilem coëgit abire Decẽbrem.
Si silent Manes, agite lachrymæ, in voces abite.
Imò age lachrymis eloquentior, quam vocibus dolor,

Quan n's

Quamuis inconditus vocalis erumpe;
Extinctâ enim eloquentiâ;
Inconditam decet loquentiam vlulare.

In Epitaphijs excitatur etiam Timor, & est ægritudo, & perturbatio ex impendentis mali opinione, vndè non quodlibet malum excitare potest in animo Timorem, sed tantum malum graue, & imminens; nonnumquam timor maximè prodest animo: propterea Spartani magnę sapientię viri, propè suum tribunal templum Timoris, vtpotè Reipublicæ maximè necessarij construendum curarunt. Excitatur timor per ostensionem imminentis periculi: sic apud Senecam ab hoc affectu Nutrix placare nititur Deianiram doloris, & iracundiæ facibus æstuantem, timoremque excitat in Hercul. act. 2.

-------------Saxa iamdudum, ac faces
In te ferantur, vindicem tellus suum
Defendet omnis. Vna quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus,
Te posse; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam iam minaces ire per cælum faces
Specta, & tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.

Excitatur verò in epitaphijs, si ostendatur moriendi necessitas; vicinæ mortis periculum; hominum vanitas; præsentis vitæ fluxibilitas; Dei iudicium; æternitas. Hic affectus excitatur in subiecto Epitaphio insculpendo MAGNI CHARTAGINENSIS ANNIBALIS tumulo;

Siste quisquis es: siste;
Est quod multum mireris, licèt hic non multum moreris.
Ad hunc sepulchralis saxi scopulum allisa Africæ Fortuna
Naufragium sine vnda est passa:
Nempè Annibal Chartaginensis hoc sordescit in cinerario.
Martis Palmæ, mortis in cupressus;
Et Bellonæ ignes, exiles abiere in cineres:
Quem Mars non potuit vincere, vincire potuit Venus suis illicijs.
Timeant magis Duces imbellem Venerem, quam armatũ Martẽ.
Etiam Leones Galli cantus exterrent:
Vt discant Maximi, vel minimas voluptates non admittere.
Vah, qui Magnum censebas Annibalem, vix eum vrnula capit;

Exiguus hic cinis Grandis eſt Annibal, imò non eſt.
Vicinam timete mortem imbelles; ſi Martis fulmen
Sic citò Fato ceſſit?
Chaſma fuit, quia fluxit, dum fulſit.
Ridendus fuit Romanæ gentis timor:
Finge Romam circumſpectare hos cineres,
Et fatebitur ſe de nihilo trepidaſſe.
Ingrata mors ſiccine perdis, cui tantum debes?
Fænus amittis, dum ſortem rapis.
Quot hic perimeret, niſi perijſſet?
Timete mortem mortales. Parcæ nemini parcunt.

Deſperatio tandem, quæ excitari etiam ſolet in epitaphijs eſt animi motus, quo diffidimus in bono aliquo conſequendo, vel in malo depellendo, & excitatur, ex eo quod defunctus è mortuis ſurgere ante Iudicij diem non poſſit, ex eo quod omnes ſimus morituri, ac nullo clypeo poſſimus mortis falcem allidere. Andromacha apud Senecam Troad. act. 3. ſc. 3. deſperationis motum ſuſcitat docens nullam vim eſſe, nec ſpem reliquam Troiæ excitandæ in puero.

An has ruinas Vrbis in cineres datas
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet ſpes Troia, ſi tales habet

Productus affectus excitatur in ſequenti Epitaphio inſculpendo ſuper tumulum magni Scipionis Africani.

Spem victoriæ deponite;
Qui Martis in area arma tractatis:
Inopinatè vincet vos Libithina.
En moſtrorũ domitorẽ edomuit: SCIPIONEM AFRICANVM,
Qui mõſtrorum laruas non exhorruit; cecidit ad mortis aſpectũ.
Actum eſt de vobis magni principes, etiam Scipio Fato ceſſit,
Quam facilè vos conteret Libithina!
Imò ſi ex hoc cinere vaticinor: cras nihil eritis.
O fluxarum rerum vanitatem!
Ità ne terror Africæ, fit vermium ludus:
Et Martis fulmen in inanes Mortis cineres abijt!
Qui tot ſuccenderat Belli flammas
In cineres debuerat tandem abire.
Hoc tamen mirũ; quod tam exiguus cinis totam euerterit Africã,
Rupiſque

Rupiſque Tarpeiæ Capitolium repleuerit palmis.
Ah, nolite Famæ fidem præſtare Principes.
Heroum magnitudinem mentitur, teſtes ſunt hi cineres,
Diſcite tenuitatem veſtram magni Reges;
Hic cinis memoriam iuuat.

Ad tumulum FRANCISCI FONSECCAE *Philoſophi, & Medici peritiſſimi.*

Siccum ne cenſeas fontem, qui hoc non fluit ſub ſaxo
Quamuis legas *Franciſcum Fonſeccam*
Irrigare meliùs tuam poteſt mentem ad pietatem
Hic fons iacens, quam alius fluens.
Si gloriam ſitis; memoriam hic ebibe mortis
Sitim ideò refrigerabis, quia non extingues, ſed augebis.
At ſi voluptates, fluxaſque ſitis opes.
Hoc in Fonte bibe, ſitim extingues.
En iacet, qui iacentes erectus erigebat,
Et qui ſemimortuis medicas manus admouebat ad vitam
In Libithinæ manus incidit ad mortem.
Fallor: Medici hic quoque exercet munus, licèt non exerceat,
Alios melius erigit, quia erigi non poteſt:
Olim inuiſens ægros, ægros ſanabat.
Nunc ſanat non videns, ſed viſus.
Nullum tangit:
Sed illo viſo mortis timore tanguntur viri ad vitam,
Bonus Medicus iam factus medicina, non amplius corpora,
Sed animas curat ſolo mortis timore.
Defunctum Medicum ne credas, qui Medici munere fungitur
viuum cenſe.
Nempè ad meliorem vitam vocat
Ad meliorem vitam vocatus.

Nonnunquam Epitaphia dumtaxat exprimunt aliquod peculiare geſtum defuncti, vt eſt illud Epitaphium MARGARITAE COMITISSAE HOLANDIAE, quæ non tantùm repulit quamdam pauperculam, quæ ab ipſa ſtipem flagitabat; verùm, quia geminos geſtabat inter brachia puellos adulterij probro eam redarguere fuit auſa: quamobrem paupercula grauiter offenſa ei retorſit hanc imprecaſſionem. *Vtinam ſis paritura tot filios, quot numerat annus dies.* Quid ni? imprecatio ſuum habuit

 effectum;

effectum; nam paulò post Margarita Holandiæ Comitissa edidit trecentos sexaginta quatuor filios; hoc igitur gestum explicatur in Epitaphio eiusdem Margaritæ, quod etiam hisce diebus legitur incisum in quodam lapide sepulcrali, & asseruatur in Cœnobio Monialium.

EPITAPHIVM
MARGARITAE HOLANDIAE COMITISSAE

MARGARITA III. D. FLORENTII COMITIS HOLANDIAE FILIA, CVIVS MATER FVIT MATHILDIS, FILIA HENRICI DVCIS BRABANTIAE; FRATREM QVOQVE HABVIT GVILIELMVM ALEMANIAE REGEM: HAEC PRAEFATA COMITISSA MARGARITA, ANNO SALVTIS MILLESIMO DVCENTESIMO SEPTVAGESIMO SEXTO, AETATIS SVAE ANNO QVADRAGESIMO SECVNDO IPSO DIE PARASCEVES HORA NONA ANTE MERIDIEM, PEPERIT INFANTES VIVOS PROMISCVI SEXVS NVMERO TRECENTOS SEXAGINTA QVATVOR, QVI POSTQVAM PER VENERABILEM EPISCOPVM DOMINVM GVIDONEM SVFFRAGANEVM, PRAESENTIBVS NONNVLLIS PROCERIBVS, ET MAGNATIBVS IN PELVI QVADAM BAPTISMI SACRAMENTVM PERCAEPISSENT, ET MASCVLIS IOANNIS, FEMELLIS VERO' NOMEN ELISABETH IMPOSITVM FVISSET, IPSORVM OMNIVM SIMVL CVM MATRIS ANIMAE AD DEVM AETERNALITER VICTVRAE REDIERVNT: CORPORA AVTEM SVB HOC SAXO REQVIESCVNT. Meminit huius Epitaphij Dreselius in suo Phaëtonte orbis, & citat varios auctores, qui epitaphium proprijs oculis legerunt.

Aliquando Epitaphium texitur per modum argumenti, vt est illud Epitaphium Iusti Lipsij à se compositum; dum ægrotaret,

	Quis hic sepultus queris? ipse edisseram.
Maior	*Nuper loquutus, & stylo, & linguà fui;*
singul.	*Nunc altero licebit. Ego sum Lipsius;*
	Cui littera dant nomen, & tuus fauor.
Minor	*Sed nomen. Abiui; abiuit hoc quoque.*
singul.	*Et nihil hic orbis, quod perennet possidet.*
	Vis altiore voce me tecum loqui?

Con-

Conclu. *Humana cuncta, fumus, vmbra, vanitas,*
vniuer. *Et scena imago, & verbo, vt absoluam NIHIL.*

Argumentum quoque est hoc aliud epitaphium probans præsentem vitam esse fugitiuam vmbram, ac nihil.

Quod Fuit, Est, & Erit, perit articulo breuis horæ;
Ergò quid prodest Esse, Fuisse, Fore?
Esse, Fuisse, Fore, heu, tria florida sunt sine flore:
Nam simul omne perit, quod Fuit, Est, & Erit.

EXPENSIO DECIMASEXTA.

De Acuminibus totius Lapidariæ Elocutionis.

QVia simplicitatem nauseat sæculum nostrum, & quendam elocutionis luxum exigit, qui pascendis auribus natus illarum famem magis acuat, quam mitiget: idcircò non incongruum censeo adijcere pro complemento huius libri quosdam fontes inueniendi acuminis. Sicut igitur materiale Acumen, *Est duarum linearum, seù duorum laterum in vnum punctum concursus*: pari pacto acumen metaphoricum, *Est concursus, seù discors Concordia, vel concors discordia subiecti, & prædicati*, vt est illud super Iudam proditorem, qui cum laternis quærebat Iesum. *Ne tu planè cecus es, Iuda, qui cum laternis, ac facibus Solem quæras? Tribus Erebi furijs addidisti te quartam, habes & tu tedas tuas, quibus mundi lucem non augeas, sed extinguas*; vbi tu vides prædicatum & subiectum, concordare aliquo modo, & discordare, quia Iudas Erebi Furia dicitur; ideò illi concordat, ac conuenit teda; insuper, quia hac teda quærebat perdere Iesum, qui dicitur lux mundi; discordat; quia contra naturam est, quod lux Solis lucernæ lumine minuatur, ac extinguatur.

Acumen autem triplex est, *contra Naturam, præter naturam, iuxta naturam*; acumen contra naturam est, cùm simul conueniunt duæ res naturaliter contrariæ; vt de Diua Magdalena illachrymante ad pedes Christi, dixi. *Mirum sanè! Diuini Amoris æstuans igne in lachrymarum pluuias erumpit; aqua flammam alit, flamma aquam parturit, Amoris lampades oculi sunt, diuino succensæ igne alio non aluntur oleo, quam lachrymarum.* Vbi tu vides contra naturam esse, aquam flammam alere, & flammam

aquam parere. Acumen præter naturam est, quando res conueniunt præter naturæ ordinem, hoc est inusitato modo, vt est illud Martialis, *Deliciæ populi, quæ fuerant Domini:* quia non est vsitatum, nec naturale, vt à Domino ad Plebem delitiæ transferantur, non repugnat tamen naturæ; vndè dicitur acumen præter naturam. Acumen iuxtà naturam est, quod conuenit naturæ rei, vt est illud super Virginem Deiparam salutatam à caduceatore Gabriele Martio mense. *Virga Iesse, vel in miraculis naturam obseruans, datura fructum in Hyeme; florem concepit in Vere.* licèt in hoc acumine lateat æquiuocatio, tamen est iuxta naturam, quia omnes arbores flores parturiunt Verno tempore, fructus verò vel Autumnali, vel Hyemali tempore gignunt. De natura igitur acuminis est, quod de subiecto prædicetur prædicatum vel contra, vel præter, vel iuxtà naturam.

Relucet etiam acumen, si adponatur epitheton discordans ad subiectum, vt facit Martialis lib. 5. epigr. 82. *Quis neget curam esse te Deorum; propter quam fuit* INNOCENS *ruina.* Sic Hermes quoque dicitur *Optimus malorum*, seù *optimus malus:* sic quoque dicitur *Labrax* INSVLSVS *Histrio in mari mergitur.* & alij iocando super illud epitheton discordans dixerunt. *Benè actum est; Nam qui insulsus erat; salsus factus est.* Vel *Malè actum; nimis enim potauit homo ieiunus.* Vel *Mergi non poterit excerebrati, vacuique capitis Vir.* Vel *Imo mergetur scelerum saburra prægrauatus.* Vel *in Neptuni humido Theatro dignas Histrio laruas inueniet.*

Secundò potest ad subiectum addi substantiuum discors, vt est illud de Domitiano Imperatore captante muscas inter domesticos parietes, *Muscis hostis fuit, hosti musca.* Vel *Sua manu infestas legiones deleuit* MVSCARVM.

Tertiò emicat acumen, quando idem prædicatum de eodem subiecto affirmatur, & negatur; sic Poëta de S. Brigitta formam perdente, vt pudorem conseruaret: *Et tunc credidit se venustam, postquam desijt esse tam venusta.* De S. Vincentio Martyre: *Vincentius tunc integer vicit, cùm fractus cecidit.* Tacitus de malo Principe: *Omnia in eo Principe sunt, præterquam Princeps.* Et Cicero de seipso, *Nunquam sum otiosus, quam cùm otiosus*, vel *nunquam solus, quam cum solus:* vel illud Senecæ *Miserum te iudico, qui nunquam fuisti miser.*

Quartò,

Quartò, vt acuta fit Inſcriptio ponantur ingenioſæ cauſæ finales ex occaſione facti, vel dicti alicuius. Sic de Christo Ieſu, qui oſculo proditus à Iuda ante mortem ſitiuit dicitur per ingenioſam cauſam finalem: *Venire mox ad Patris oſcula horruit, niſi ſe priùs quà ſelle, quà aceto lauaret, fuit hæc tota ſitis eius in Cruce. detergere ſpongia voluit ſi quid in labijs de oſculo Iudæ ſupererat*. & de Caligula ait Seneca lib. 3. de ira: *Caligula optabat vt Populus Romanus vnam ceruicem haberet, vt ſcelera nimirum ſua tot locis, ac temporibus deducta in vnum cogeret*. De Solis Eclipſi in nece Christi Domini: *Sol obſcuratus eſt, vt tanto ſceleri officium luminis denegaret, nec luceret eis lumen mundi, à quibus fuerat lumen ſalutis extinctum*. Quia in natiuitate Christi Domini ſpicæ in Cęlo apparuerunt, & oleī fontes eruperunt, dixit acutè Iuglaris: *Videre homines ſpicas in Cœlo debuerant, vt diſcerent de Cœlo panem ſperare. Miniſtrat tellus oleum; vt adueniente ſponſo lampadas ſuas ornarent homines: non obduxerant cicatricem vulnera noſtra, quia circumligata non fuerant, nec fota oleo, ideò curare illa, qui venerat faſcias, ac oleum ſecum attulit*.

Quintò, vt acuta fit inſcriptio poteſt vnum ſubiectum cum alio, vel eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei comparari: in Epitaphio Christi Domini alij dixerunt: *Sta viator tua hoc ſaxo clauditur Via. Imò non clauditur, quia ſurrexit non eſt hìc: mortuus rediuiuus, Pelicanus in Cruce, fuit Phœnix in ſarcophago; tandiù hic iacuere exuuiæ, quoad exuuias raperet inferorum. Dormienti olim Timotheo captiuas vrbes, ac regna, vltrò Fortuna afferebat: Dormiens in ſepulchro Saluator, ipſe ſibi Herebi regna ſubijcit, ac debellat*.

Sextò, acumina etiam conſurgunt ex vocibus ambiguis. Quia hæc vox *Populus* ſignificat turbam gentium, ac arborem, ideò benè comparatur mors Neronis, cum lapſu Paëtontis. *Dum cecidit Phaëton Populus fleuit, ſed dum cadit Nero Populus ridet*. Sic Iulius Montanus cum recitaret quoddam Poëma, & cum incępiſſet paulò ante deſcripto Solis ortu, deſcribere occaſum, quidam ex ſchola impatiens abijt, interrogatus cùr dixit; *Nunquid diutius illa audire potui, quam ab ortu Solis, vſq; ad occaſum*. Quia Plaga ſignificat vulnus, & rete; de Christi vulneribus quibus nos redemit potes dicere, *Christi Plagas, eſſe Amoris Plagas*, hoc eſt retia, quibus animas captat.

Septimo,

Septimò, relucet acumen in allusione ad apologos; sic de humanis ossibus saxificatis in Musæo Francisci Gualdi Equitis Ariminensis, alludendo ad Deucalionem, qui iacta saxa in homines mutabat acutè dicitur.

Quæ fuerant hominis, magna nunc ossa parentis,
Visuntur nimio saxea facta gelu.
Deucalianæi miracula credite iactus:
Cogimur ad Priscas ecce redire vices.

Octauò, emicat acumen in assignatione non causæ pro causa, vt de D. Iacobo M.

Angustas penetrare fores sibi quisque laboret;
Angusta est Cœli ianua, Christus ait.
Ingressum hinc facilem quærens Iacobus ad astra,
Ipsa minutatim membra secanda dedit.

Cauendum tamen est ne hæc acumina sint obscura, vel affectata, vel leuia; nam si obscura, quis illa intelliget? si nimis affectata contemptum parient; si leuia ad risum, ac cachinnos prouocabunt.

LIBER

LIBER DECIMVS
DE SYMBOLICA ELOCVTIONE

HOC EST

De Symbolis, Emblematibus, ac Phrenoschematibus.

Enucleauimus in praecedenti libro, quę ad culturam Lapidariae Elocutionis pertinent, aggredimur modo dilucidandam artem symbolicam, quae non minorem praestat suauitatem; imò plurimum habet aucupij, & quodam deliciarum illicio in animos sese infundit; vtpote quodam eruditionis inuolucro, animum suauitèr defatigat, ac allicit. Hoc institutum id temporis patronos habet non paucos, admiratores multos, quamplurimos amatores, & illud non minus grauiter, quàm feliciter consectati sunt quamplures, quos, & acerrima vis ingenij, & lux politissimi iudicij, & omnium fermè doctorum plausus non modo à calumniae liuore liberarunt, verùm vsque ad gloriae apicem erexere. Nam symbolorum id proprium, & peculiare est; vt gyris quibusdam & maeandris, hoc est obscuris sententiarum inuolucris sensus obtegantur. Si enim tam clara esset inuentio, vt populis pateret nihil haberet gratiae, ac aucupij.

EXPENSIO PRIMA.

Dilucidantur quaedam de Symbolis in genere.

Symbolorum character efflorescere cępit apud Aegyptios, & Chaldaeos, qui in schola Memphytica philosophati sunt; imò

ante expressam characterum inuentionem, & scripturæ vsum. Non viguit tamen primis illis temporibus, quibus liberiori profluentis naturæ impetu ferri videbatur oratio, sed postquam magni nominis Sophistæ, Philosophiæ præceptis instituti, nec mediocribus eruditionum adiumentis innixi conceptus quosdam aureos mente gignere cęperunt, ac veluti gemmas in auro, argentoue, vel marmore insculpere. Verùm quia cuiuscumque artis elementa suis in initijs sunt semper crassiora; sic primi huius instituti homines quædam adinuenerunt symbola rudia: vt animalium, vel syderum, vel aliarum rerum, quæ symbola, Scripturas sacras appellarunt: quod ab ijs factum esse constat; ne in plebeiorum hominum intelligentiam sapientiæ arcana peruenirent. Hæc symbola licèt illis sub initijs rudia fuisse constet: attamen postquam ad elegantiora paulatim defluere ingenia cęperunt, maiori ęlegantià, eruditisque sententijs enituerunt. Quod nobis magis patebit, si prima symbola à Chaldæis, & Aegyptijs inuenta conferamus; cum ornatu, & accurata expolitione, quam huic præclarę inuentioni adiecerunt Gręci: Nam eam intercedere differētiam, quæ reperitur inter aurum, & æs facilè inueniemus.

Diuersimodè tamen symboli significatio vsurpatur. Primò sumitur pro signo, quod epistolæ, vel vasi imprimitur. Secundò sumitur pro eo, quod in cęnam comparandam plures conferunt. Tertiò sumitur etiam pro signo bellico, quod à Latinis *Tessera* appellatur; quo socij ab hostibus, ac exploratoribus dignoscuntur: vt in Marij exercitu *Lar Deus*: in castris Scyllæ, *Apollo Delphicus*: inter Cæsarianos, *Venus Genitrix*, & ab hac similitudine dictum fuit Symbolum Apostolorum, quoddam quasi totius nostræ Fidei breuiarium, quo veluti quadam tessera, pseudoapostoli à veris discernerentur. Quartò, symbolum nuptiarum annulum etiam significat. Quintò indicat iudicium, quo prænoscimus aliquid. Sextò, pro Principis numismate etiam sumitur. Septimò, symbola etiam dicuntur notę arcanioris cuiuspiam mysterij significatiuæ: vt cùm *Ciconiam* dicimus esse symbolum Pietatis; *Papauer* Fertilitatis; *Palmam* Victoriæ; *Cupressum* Mortis; *Oleam* Pacis; *Lauram*, *&* *Hederam*, Ingenij semper virentis; *Malum Cotoneum* Connubij, *Lilium* Puritatis; *Rosam* Charitatis; *Satyrum*, vel *Capram* Libidinis; *Cygnum*, quia sub niueis plumis nigram alit carnem, hypocritarum; & cætera alia longè multa, quæ immenso

labore,

labore, pariique doctrina Pierius est executus. Octauò, tandem sumitur pro argumento, seù nota quadam, quà quidpiam occultatur, sed tamen eruditis auribus intelligendum proponitur; quo sensu sumuntur emblemata, ac phrenoschemata; quæ comprehenduntur sub genere symboli.

Ab Aegyptijs symbola primùm fuerunt vsurpata, vt testatur Clemens Alexandrinus, quia suam sapientiam raram quidem, ac reconditam solis ijs agnitam esse volebant, qui ea se dignos præstarent; vndè ab ea consultò ineruditam plebem hisce eruditis symbolis arcebant, & hic symbolorum vsus magnoperè posteà eruditissimis viris arrisit; ac ipsis symbolis multum adiecerunt ornamenti. Generosi etiam Principes, qui Martis in campo hostili cruore proprias sibi humectare palmas intendebant sua etiam symbola in clypeis sculpta voluerunt: hinc Lacon miles, Athenienses irridens *Muscam* pro symbolo minutis lineolis incisam sculpi curauit in clypeo; cuius rei causa cum ab eo rogaretur, dixit, *Tam propè ad hostes sum accessurus, vt vel muscam nostram despicere possint.* Amphiaraum etiam in expeditione Thebana *Pictum Draconem* in clypeo circumtulisse testatur Pindarus. Polymices *Sphingem* suo sculptam in clipeo voluit. Agamemnon in bello Troiano *Leonem* hoc lemmate. *Hic hominum terror.* Vlysses *Delphinum*. Hippomedon *Typhonem* ore fumos efflantem; Perseus *Medusæ*, vel *Gorgonis caput*. & Plutarcus Cimbrorum, & Teutonum bello illo horribili, quod in Mario describit, ait. Eos populos quamquam immanitate barbaros, suis in peltis, scutis, alijsque bellicis instrumentis, non modo nitorem armorum adiecisse; sed & pictas; seù sculptas ferarum imagines: hinc plerique post vexilla, & clypeos; in proprijs stemmatibus, ac sigillis peculiaria affectantes symbola, quæ in bello gesserunt *Aquilas*, *Leones*, *Flores*: *Sydera* pingi pro peculiaribus stemmatibus propriæ stirpis curarunt, ità vt, hisce diebus, nulla gens, nullus imperator, nullus priuatus sit, qui peculiare sibi non affectarit symbolum; sic Persæ in stemmatibus *Aquilas aureas*; Athenienses *Noctuas*, Thebani *Sphinges* sculpi curarunt.

Alexander Magnus *Serpentis imagine* vsus est, quia se à Ioue Ammone patre sub forma serpentis esse natum credi vellet: & Augustus Cæsar maturitatem in rebus gerendis ostensurus in altera nummi parte, quem cudi iusserat, *Papilionem vnà cum fluuia-*

alij Cancro, celari voluit, & altero tarditatem, altero celeritatem intelligebat; vndè in altera nummi parte hoc adiecerat scomma, *Festina lentè*; hoc etiam est dignum scitu de eodem Augusto Cæsare; referunt enim scriptores, Cæsarem *Sphingis imagine* in sigillo, seù sphragidio fuisse vsum; ac tale dumtaxat adhibuisse sigillum in negotijs perplexis; sphingis enim imago, obscuritatis erat nota. Hinc Aegyptij, qui figurarum inuolucro veritatem imperitæ plebi obscurabant, ad templorum limina *sphinges* locarunt, innuentes eam, quam de rebus sacris doctrinam profitebantur ea sapientia constare, quæ obscura esset, & quibusdam inuolucris lateret. Titus Vespasianus Augustum Cæsarem æmulatus pro symbolo *Delphinum* voluit *Anchoræ alligatum*; & Mecenas doctorum illo parens. *Ranam Seriphiam*, vt pluribus placet, sibi vsurpauit, ad commendandam silentij Religionem: alij vt eleganti symbolo vim Amoris exprimerent delinearunt, *Catenulam ex annulis non nexis sibi inuicem, sed secreto complexu à superstante magnete compactam*; nam Magnes primò attrahit annulum ad se; qui vi magnetica, seù attractiua imbutus trahit secundum, secundus tertium, tertius quartum, & sic successiuè donèc longa formetur catena: lemma erat istud *Arcanis nodis*. Alij pinxerunt, *Columbam odore perfusam, quam gregatim aliæ insequebantur* hoc hemistichio, *in odorem*. Columba enim odore perfusa ità ceteras allicit, vt secum trahat. Carolus Fridericus Dux Iuliacensis pro symbolo voluit *Parmam cordibus humanis sculptam*, cui lemma hoc addidit, *Hic Murus Aeneus esto*; & benè, quia ad tuendam Rempublicam nullus murus fortior est ipsa concordia ciuium. Apud Onocritas *Lucerna ardens* symbolum fuit coniugij; quia coniugium amore ardere debet, fama lucere. Aegyptij olim ornabant filias suas aureis torquibus; in quibus figuræ erant sex. Prima quarum erat *Turtur*, cum lemmate, *sic sola*. Secunda, *Columba*, cum lemmate, *sic casta*. Tertia, *Aquila*, cum lemmate, *sic prompta*. Quarta, *Ciconia*, cum lemmate, *sic pia*. Quinta, *Noctua*, cum lemmate. *sic vigil*. Sexta, *Alauda*, cum lemmate, *sic sancta*, & hisce hieroglyphicis significabant virtutes, quibus se ornare debent Virgines. Cyrus Rex formosam videns Virginem columnentem, equum adaquantem & amphoram cum aqua, eam in vxorem duxit; hæc igitur electa iam Regina regio in diademate sculpsit *Formicam*, & *Apem*, symbolum sui laboris, cum lemmate

Hoc

Hoc exto, quod gesto, & super tumulum excidi curauit, *Colum, Amphoram, Equum*. Constantia Sfortia Ducissa, vt suum serenum candorem inter coniugales curas testaretur, pro symbolo pinxit, *Cygnum in aquis natantem*, & desuper *tres Vespertiliones*, suo volatu, quasi tenebras minitantes, hoc lemmate, *Candor illæsus*. Isabella, Caroli V. Imp. Vxor, pro symbolo, quo placeret Sponso delineari curauit *Tres Gratias*, quarum vna *Rosam*, altera *myrthum*, tertia *Glandem* præferret cum lemmate *Has habet, & superat*. Anna Regina Vngariæ, & Bohemiæ Ferdinandi I. Imp. Vxor pro symbolo Amoris, *Duas manus connexas cum Rosa* habuit, hoc hemistichio *sic in perpetuùm*. Elisabetha Austriaca Ferdinandi Imp. filia, pro symbolo, *Arborem fructiferam* habuit: desuper verò, è nubibus *Manus fulmen stringebat; ac illo Arborem findebat*. lemma erat *Sola Mors spoliat munera nostra*. Franciscus I I. Valesius Rex Franciæ ad indicandam Amicorum fidem, delineauit pro symbolo, *Aureum nummum coronatum, quem dextera manus ad Lydium lapidem probabat*, lemma erat, *sic spectanda Fides*. Ad indicandã verò symbolicè verã amicitiam scitè Aegyptij pingebant, *Adolescentem, capite nudatum, hirsuta veste indutum*, in cuius fimbria scriptum erat textis characteribus, *Vita, & Mors*. In fronte *Hyems, & Aestas*, habebat latus vsque ad cor apertum, vbi hæc verba legebantur, *Propè, & Longè*. Aetas viridis significabat, quod vera amicitia, virescit semper, senescit nunquam; pilosa vestis indicabat, quod fidelis amicus debet paratus esse ad toleranda quælibet ardua pro amico; detectũ caput indicabat omnes cogitationes esse aperiendas verò Amico; latus apertum vsque ad cor exprimebat amicũ esse diligendum nõ ore, sed corde, denique illud lemma *Prope, & Longè*, significabat Amicos etiam Absentes, tanquam præsentes se mutuò diligere. Apud Pythagoram *Annulus* symbolum fuit seruitutis, vndè in adagium abijt, *Arctum annulum, ne indue:* idest in duram seruitutem noli te abijcere: hinc apud Poëtarum commenta Prometheus habetur Author annuli; Hic exsectum circulum ex catena, quà ad Caucasum ligatus erat dicitur gestasse cum rupis fragmento, vt perseueraret pœnæ recordatio; vndè in gratiam Promethei homines deindè gestare cœperunt annulos, & vt refert Petra Sancta lib. 3. de Annulis. Seruis in libertatem vocatis; circulus ex catena cum particula lapidis, de quo fuerant empti eidem circulo inserta dabatur, vt

essent

essent memores conditionis pristinæ. Deinde ex luxu ferrum in aurum, lapis in gemmā transijt, cępitque esse ornamentum, quod antea fuerat tormentum. Hinc in symbolum firmæ fixæque beneuolentiæ Seleucus in annulo *Anchoram sculptam* habuit, & Polycrates in symbolum concordiæ in Annulo *lyram* sculpi curauit. Quæris cur Annulus nuptialis in quarto digito manus sinistræ gestetur? quia in eo digito vena quædam reperitur, cuius sanguis vsque ad cor fluit; & hoc modo putabant Aegyptij cor ipsum coronare. Ludouicus XII. Franciæ Rex in symbolum inconcussæ firmitatis, ac constantiæ inter aduersa vti voluit *cratere cælesti*, cum lemmate, *Inter eclipses orior*. Alphonsus Aragonum Rex in symbolo sculptam voluit coronam Regiam, in cuius ambitu hoc lemma erat, *Artifex cudit, Deus ludit imponendo deponendo.* Ioannes Dux Cliuiæ habuit in symbolo *lilium* cum epigraphe, *Hodie aliquid, cras nihil:* hinc in tumulis olim Lilia, & Rosæ sculpebantur. Aegyptij in symbolum immortalitatis sculpebant in tumulis *Phœnicem* post fata superstitem, cum epigraphe *Euolabit*. Persæ verò sculpebant *Solem* cum lemmate *orietur*. Isabella Aragoniæ Regina in symbolo duos habuit flosculos vnus dicebatur Scelenitropos, idest flos Lunæ: alter Heliotropos, idest flos Solis, cum lemmate, *sequor, & æternùm specto*. Luthesia Parisiorum pro symbolo pinxit Salamandram inter flammas, cum lemmate, *Circumdor, sed non vror*. & ampullatus quidam vir nimia elatus superbiâ pro symbolo posuit hanc vnicam voculam *Omnia*, cui obliquè tumorem reprimendo alius addidit vnicam litteram .s. ante .o. hoc est *somnia*, & benè quia si benè perpendes, humana *omnia, somnia* sunt. Hæc tamen symbola in plures diuiduntur species; vt in hieroglyphica, emblemata, phrenoschemata in primis igitur agam de emblematibus, perscrutando eorum naturam, ac essentiam, de hieroglyficis dixi cum de inuentione.

EXPENSIO SECVNDA.

De nomine Emblematis.

ERuditis ingenijs ad oratoria decora natis semper placuit, mētales cōceptus per imagines enucleare; & internos sensus, nempè animi ornamentum exculptis figuris exprimere: imò adeo placue-

placuerunt hominibus figuræ, vt vix ad necessitatem multa inuenta humanæ vitæ subsidia, vt vestes, parietes, pauimenta, domus, vestes, & vasa, varijs imaginibus statim cœperint collustrari; modò ad effugandam omnem æquiuocationis vmbram; dico, quod emblema apud veteres significabat quodlibet ornamentum, cuilibet operi adiectum; peculiariter pro emblematibus intelligebant vasorum aureorum, Corinthiorumque ornamenta exemptilia, vt puta clauiculos, gemmas, & cætera huiusmodi: deinde cępit latius patere, & pro emblemate significarunt quodlibet ornamentum ascititium; sic in parietibus vermiculata, in pauimentis tessellata, in lignis segmentata, in vasis ornamenta, in clypeis admirabiles cęlaturæ dicebantur *Emblemata*, vt etiam *Argumenta*, *Parerga*, *Anaglypta*, *Chrysendeta*, *Dedalmata*; *Ornamenta exemptilia*.

Quæ tamen omnia, quamuis sint symbola; non tamen sunt symbola, de quibus hic loquimur, quia illa ornamenta non significant nisi seipsa sine apodosi, seù applicatione ad aliquod documentum morale; symbolum verò, de quo loquimur, *Est metaphora exprimens conceptum mentis mediante aliqua figura corporea*, & hoc est summum genus complectens vniuersum artem symbolicam; & per hanc definitionem Ars Symbolica differt ab arte Lapidaria, quę consistit in sculptis characteribus: hæc igitur est differentia inter Artem Symbolicam, & Lapidariam, quod per artem symbolicam exprimimus nostros conceptus mentales per imagines, ac figuras sensibiles, vel pictas, vel sculptas: per Artem verò Lapidariam exprimimus nostros conceptus per characteres, vel scriptos, vel sculptos.

Cæterùm symbolorum species multiplices sunt, quas ad quosdam, quasi cancellos reuocare possumus, alia symbola dicuntur *Hieroglyphica*, de quibus satis dixi suo loco: alia sunt *Phrenoschemata*, de quibus infrà: & alia *Emblemata*, quorum alia sunt *Historica*, alia *Physica*, alia *Ethica*: symbola etiam sunt *Schemata*, seù insignia, quæ vulgò *Arma gentilitia* dicuntur: vndè symbolum est genus complectens has omnes species. Hi autem nobiles erant, qui sui generis schemata, seù arma gentilitia, siuè imagines poterant ostendere: sic imagines, seù schemata pro nobilitate vsurpari familiare semper fuit Auctoribus. Has imagines Romæ Patricij in primis sibi tribuerunt; & qui maiores magistratus, nempè

nempè Aedilitatem maiorem, præturam, censuram, & consulatum obtinebant; & hæc insignia gentilitia; quæ ad honorem, & gloriam fuerunt vsurpata, virtutis posteà fuere præmia, & rerum præclarè gestarum manifestum indicium.

Verùm, vt redeamus ad emblemata. Fuerunt pleriqúe, qui Emblema cum symbolo; cùm Aenigmate, cùm sententia; cùm adagio imperitè confuderunt, & primò emblema differt à symbolo, vt species à genere; licèt enim emblematis vis sita sit in symbolo; non tamen omne symbolum est emblema, aliud enim est hieroglyphicum, & aliud Phrenoschema, & aliud emblema; differt etiam ab ænigmate, quia emblematis sensus est clarior, ac facilior, secùs Aenigma ambiguum est in verbis, & obscurum, vt etiam solertes, & ingeniosos viros interdum longa mora teneat, eorumque ingenia defatiget; differt quoque à sententia, quamquam emblemata sæpè sententias in se contineant, nisi fortasses emblema sumatur pro ipso epigrammate, seù explicatione emblematis; cæterùm nec semper necesse est in emblemate esse subiectum epigramma; sententia verò necessariò est verbis exprimenda; vndè emblema, & sententia videntur differre, vt verba, & res, seù vt signa, & res signatæ. Deniqúe differt ab adagio, & paræmia: quia emblema est aliquod ingeniosum ab ingeniosis excogitatum, adagium verò est tritum aliquod dictum in ore omnium versans, vt dixi suprà in centuria adagiorum. Insuper differt emblema à hieroglyphico, quia hieroglyphicum non explicatur per verba, vt emblema; deindè emblemata componuntur ex figuris, & verbis, quæ includant aliquod documentum spectans ad bonos mores; Quamobrem Lacon miles, qui *Muscam* pro emblemate minutis lineolis curauit sculpi in clypeo; ad indicandum, quod tam propè erat ad hostes accessurus, vt vel Muscam illam despicere possent, quæ verba licet fuissent sculpta non tamen illa Musca fuisset emblema, quià nullum videtur includere documentum morale.

Emblema igitur provt hic sumitur, *Est symbolum compositum ex figura, & verbis continentibus aliquod documentum pertinens ad bonos mores*. Vndè emblema potest describi, quod *sit Gnoma, & sententia animata figuris, quæ sententia cælaturà, vel penicillo expressa debet seruire moribus:* quare carmina adiecta ipsi emblemati debent explicare emblema, ac debent includere documentum morale; quod si per disticon fieri poterit; perfectiùs erit emblema:

emblema: cæterùm emblematis carmen numeris debet esse adstrictum, styli nitorem etiam amplectitur; vt patet in subiectis emblematibus: *Exercitium præbent non exitium animo heroico res aduersæ*, vt hoc gnoma exprimatur aliquo emblemate. Pingatur *Scopulus* in mari à tumidis vndarum turbinibus concussus, sed non fractus, & picturæ adijciatur hoc carmen;

Ellidit tumidas saxum, non frangitur, vndas;
Fortunæ irridet mens generosa minas.

Principem dedecet crudelitas. Pingatur inter pratorum amæna volitans *Apum examen*, quarum *Rex* cæteras antecedat, sed *sine aculeo*.

Rex apis en stimulum reÿcit, nec vulnera figit.
Princeps, sic populos mittis amore regat.

Iustitia exercenda est æqualiter in omnes. Delineetur *Sol* cæli epicyclos decurrens, ac per totam tellurem suos æqualiter disseminans radios, omnibusque æqualiter lucens.

Sol cæli cyclos currens illuminat omnes.
Iustitiæ sic lux, omnibus vna micet.

Parentes monitis filios sæpè corrigant. Pingatur *Vrsa*, quæ editum fœtum, massamque carneam lingua lingat, formetque lingua partus partes;

Vrsa suos catulos mancos lingendo refingit.
Sic monitis Sobolem formet, & ore parens.

Fortuna inconstans, quos fouet occidit. Pingatur *hedera* altum serpens per murum;

Corrumpunt hederæ muros amplexibus altos.
Sic fortuna viros, quos fouet ipsa necat.

Vsus emblematum viguit ab ipsis orientis eloquentiæ cunabulis; sic Hesiodus scribit; in Heliconis colle consueuisse homines colere *Musas*, & *Cupidinem* simul, ad exprimendum carmina facilè excitare *Amorem*: & Fornutus addit; in eodem fano consueuisse etiam colere *Mercurium vnà cum tribus Gratÿs*; vt indicarent proprium esse Principum munera, ac gratias cōferre sapientibus. Quidam etiam haud imperitus poëta videns vitem amplectētem suis palmitibus viridem Oleam nobile construxit emblema; nam arguens vitis audaciam, eo quia inebrians homines ausa sit amplecti arborem virginem dicatam castæ Palladi; pinxit Oleam vitis palmitibus circumseptam, & sic introduxit Oleam loquentem;

 Quid

Quid me palmitibus premitis? sum planta Mineruæ
Tolle mihi vites: vina puella fugit.

Eodem pacto Poëta Græcus inspiciens *Asellum* gestantem simulacrum Deæ *Isidis*, & hinc indè obuium populum flexo poplite Numinis effigiem colentem; quapropter credens Asellus sibi tantum præstari honorem, superbiebat; pulchrum construxit emblema; & pro *Asello* intellexit hominem rudem, ac ignarum; pro simulacro Deæ *Isidis* dignitatem eiusdem viri; vndè Sacerdotes, qui rebus sacris præsunt in honore sunt habendi; ob id maxime, quod sacris præsint; licèt aliquando, aut vitijs implicati, aut ignari, ac stupidi habeantur. Alius etiam super simulacrum Deæ *Nemesis*, seù *Rhamnusiæ*, quæ sinistra manu *mensuram* stringebat, dexterà verò *franum* gestabat, argutum etiam composuit emblema, *Nemesis*, Dea fingebatur Vindictæ: Pausanias in Atticis ait, *Nemesim* siuè *Rhamnusiam* scelerum esse vindicem, ac superborũ vltricem; Macrobius 1. Saturn. 17. Eam contra superbiam coli fuisse solitam scribit; nec desunt, qui apud Hesiodum, Nemesim Iustitiam interpretentur, cæterùm Nemesis Dea vindictæ intelligebatur: hoc igitur simulacro voluit indicare, quod qui non vult in manus Deæ Nemesis incidere debet rectitudine proprias commensurare actiones, ac fræno cohibere linguam, quod dilucidauit subiecto distico;

Mensurà, franoque homini Rhamnusia monstrat;
Et verbis franum, rebus inesse modum.

EXPENSIO TERTIA.

De Partibus essentialibus perfecti emblematis.

QVatuor assignãtur partes essẽtiales perfecti emblematis nẽpè *Thema*, *Fiura*, *Explicatio figuræ*, & *Apodosis*, seù applicatio figuræ, ad aliquod documentum morale. Thema emblematis propriè dicitur id, super quod conficiendum est emblema, vt si texendum est emblema in commendationem Gratitudinis; Gratitudo erit *thema*, quod aliquando etiam exprimitur super figuram emblematis per modum tituli, vt facit Andreas Alciatus super figuram *Tantali*, qui nec bibit mersus in aquis, nec fugitiua poma carpit, emblemati 84. *In Auaros*. Et emblemati 86. super figuram *Principis* aureis detenti compedibus *In aulicos*. Et super emblema

163. *In Detractores*. Super figurā *Ciconiæ* emblemati 30. *Gratiam referendam*; & super figuram *Gerionis tergemini* emble. 40. *Concordia inseparabilis*; quæ omnia dicuntur themata, & possunt poni super emblemata, vt tituli ad magis disponendum intellectum ad cognitionem emblematis.

Secunda pars essentialis perfecti emblematis est figura; quia emblema, vt dixi supra est symbolum, seù conceptus symbolicus expressus per aliquam figuram, vt magis alliciat; ait enim. D. Augustinus epist. 119. *Quemadmodum multa per vitrum, aut succina pellucent iucundiùs: ità magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens*; nam si dicis virtutem vnitam esse fortiorem, pigrè incitat animum; at si addas hoc veteres excellentis ingenij viros in arcanis Philosophiæ mysterijs subtiliter expressisse per virgarū fasciculum; atque adeò, si pingeres, *Hominem nitentem frangere hunc fasciculum*; & adderes hoc lemma, *Virtus vnita fortior*: inuentionis proprietas, & imaginis expressio sensum mulcerent suauiùs.

Ex figuris aliæ sunt *Naturales*, aliæ *Historicæ*, aliæ *Fabulosæ*, *Artificiales*, *Chimericæ*. *Naturales* sunt, quæ naturam exprimunt animalium: Athenienses ad indicandum, *Verborum Parsimoniam decere sapientem*: in proprio stemmate *Noctuam* sculpserunt Mineruæ sacram, eo quia silentij sit symbolum, atque magni consilij: rarò enim sapiens loquitur, eius tamen perspicacitas in rebus obscuris, & difficilibus cognoscitur: eo enim præcipuè differt ab imperito prudens, quod prudens èst pauciloquus, imprudens multiloquus; vndè Alciatus emblemati 19. ad exprimendum virum prudentem pinxit *Stemma Atheniensium*, nempè *Clypeum*, in quo sculpta est *Noctua*. Emblemati trigesimo ad indicandum à filijs esse subueniendos parentes, ac gratiam referendam duas pinxit *Ciconias*, quarum senior à proprio pullo alitur: *Ciconiæ*, vt habetur apud Solin. cap. 43. quantum temporis impenderint fœtibus educandis; tantùm, & ipsæ à pullis suis inuicem aluntur; quamobrem Aegyptij, vt significarent hominem, qui patris curam gereret, *Ciconiam*, & *Cucupham* depingebant, quòd hæ soleant genitoribus seniò confectis eodem modo gratias rependere, quo ipsæ fuerunt educatæ. Emblemati 148. exprimens Clementiam Principis, pinxit *Apum regem sine aculeo*: Apes enim, quem sequantur Principem habent alijs proceriorem, qui quam-

quam imperium in alias habeat, aculeo tamen caret; sic *Principem dedecet crudelitas*, & Senec. de Clementia: *Rex apum sine aculeo est; noluit illum natura sæuum esse, exemplum hoc magnis regibus ingens est; nec pudeat ab exiguis animalibus mores trahere, cum tantò hominum moderatior esse debeat, quanto vehementius nocet*, vndè apud Claudianum rectè Theodosius Imperator Honorio filio salubre hoc ingerit consilium.

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Aliæ sunt figuræ *Historicæ* exprimentes historiam aliquam: historiæ si ad orationem alendam, & firmis veluti adminiculis sustentandam plurimum valent; in emblematibus plurimùm habent aucupij, ac suauiùs sensum, animumque titillant: per figuram historicam Alciatus emble. 29. explicat. *Nil tam durum esse, quod frangi non possit*, & pinxit *M. Antonium* in curru triumphali, quem *cicures Leones* trahunt, quia teste Plinio lib. 8. c. 16. M. Antonius primus Romæ Leones ad currum iunxit, postquam dimicasset in Pharsalicis campis: hàc igitur emblematicà figurà nos voluit edocere Alciatus, nullam esse vim, aut firmi animi propositum, aut nullius tam præfractam naturam, quæ coërceri, aut edomari non queat. Emblem. 37. significando *Virtutem vbique tutam*, pinxit, *Scythicum hominem* tali epigraphe, *Omnia mea mecum porto*; sic virtute præditus quamquam spoliatus, semper omnia bona secum portat. Scytharum mores luculenter describit Iustinus Histor. lib. 2. locum hic tango vtpotè curiosum. *Scythæ agrum non colunt, domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est; armenta, & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores, liberosque secum in plaustris vehunt: quibus, corijs imbrium, hyemisque causa tectis pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius: quippè sine tecto, munimentoque pecora, & armenta habentibus, quid saluum esset, si furari liceret? aurum, & argentum aspernantur, lacte, ac melle vescuntur. Lanæ ijs vsus, ac vestium ignotus, & quamquam continuis frigoribus torqueantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis se vestiunt.* Emblem. 57. Furorem, & Rabiem indicat pingendo Agamemnonis *clypeum*, habuit enim Agamemnon clypeum; in quo sculptus videbatur Leo ad terrorem alijs incutiendum; quod scutum postea pependit in templo Olympiæ adiectâ

hac

hac inſcriptione, *Terror hic eſt hominum, quiſque hunc gerit eſt Agamemnon*. Emblem. 119. vt indicaret; quod Fortuna in rebus humanis plus loci habeat, quam præclara virtus: delineauit clariſſimum Ducem Brutum Ciuem Romanum, enſe proprium pectus confodientem. Interfecto enim Iulio Cæſare à Bruto, & Caſſio, vt libertatem Reipublicæ ſublatam reſtituerent; res tamen non ſic ſeſe habuit, vt ipſi ſperabant, ſiquidem occiſo Caſſio in acie Pharſalica; Brutus ne in manus hoſtium incideret, quibuſdam de fuga ſuadentibus reſpondit. Non certe pedibus eſt fugiendum, ſed manibus, & nudato enſe ſeipſum confodit. Embl. 161. explicat Veri amici auxilium nunquam deficiens *Myrtili clypeo*. Pinxit nempè *Myrtilum* generoſum militem, proprio innixum *clypeo*, mare tranantem: ſcutum bellicum olim tantæ fuiſſe magnitudinis fertur, vt totum tegeret hominem; fuit Myrtilus ingentis animi miles, qui cùm ad maritimam expeditionem enauigaſſet, ſubmerſa naui clypeo innixus in tutum portum delatus eſt. Emblem. 170. ad exprimendum eos, qui vel poſt mortem volunt cēſeri formidoloſi pinxit *tympanum* ex detracta pellæ Ziſcę compactum: Memorabile eſt, ac ſcitu dignum eſt Ziſcæ exemplum, hic Boëmus natione Bellonę in armis diù verſatus, in Teutones, & Boëmos diù acri Marte conflictatus eſt: vndè Sigiſmundus Imperator cum videret Ziſcæ cunctà proſperè, ac adblandiente Fortuna ſuccedere, & illum eſſe vnum, ex quo res Boëmiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentauit, verùm dum accederet ad Imperatorem per viam peſte perijt: ferunt, illum cum ægrotaret rogatum, quo loco mortuus vellet ſepeliri; & iuſſiſſe cadaueri ſuo pellem adimi, carnes volucribus, ac feris obtrectari, ex pelle tympanum fieri, eoque duce bella geri, vt vel ipſe tympani ſonitus hoſtes fugaret, terroremque illis incuteret. Emblem. 194. filiorum pietatem in parentes bellè expreſſit, cùm pinxit *Aeneam* humeris geſtantem Anchiſen patrem; Ilio enim expugnato cum Troia arderetur pius Aeneas patrem Anchiſen ſeniò grauem per media hoſtium agmina, ac per cadentes, circa ſe vrbis ruinas ſuſtulit, ac liberauit ab incendio.

Ex figuris emblematum aliæ etiam ſunt fabuloſæ, vt innui ſupra; & ſunt, quæ licèt exprimant aliquod fictum à commentis Poëtarum; attamen documentum aliquod morale nobis enucleant, vt emblem. 4. ad ſignificandum, quod anima de ſe non

poſſit

possit in cælum conscendere, ac supernaturalia petere, nisi diuina roborata gratia, & rapta quodammodo à Deo: pinxit *Ganymedem* raptum ab aquila; per Ganymedem enim ab aquila raptum, Alciatus intellexit animam humanam, quæ vt ait Plotinus, tunc condere caput intra cælum dicitur, cum relicta quasi corporis secretione, cælestia mentis oculo contemplatur, quod sanè absque raptu quodam, seù absque diuina gratia fieri non potest. Emble. 14. vt ostenderet nihil tam arduum, ac inaccessum esse, quod animi, & ingenij dexteritate attingere, & assequi non possimus; nullum esse tam graue infortunium, quod animi tolerantia non retundatur; delineauit *Bellerophontem Chimæram prosternentem:* chimęra monstrum triforme erat, anteriori parte Leonem, posteriore Draconem, media capram referebat. Emblem. 40. *Concordiam insuperabilem* expressit per *Tricipitem Geryonem.* Emble. 56. Temerarios significauit *per lapsum Phaëthontis.*

Aliæ sunt figuræ artificiales exprimentes aliquod opus fabrefactum, sic emblem. 9. Alciatus indicans, *Eundum esse, quà Dij vocant,* pinxit statuam Mercurij Hodij, quæ erigebatur in triuijs ad viã mostrandã peregrè proficiscẽtibus; ait enim Phurnutus, quod Hermæ, seù statuæ Mercurij & lapidei ligneiue cippi solebant in triuijs erigi ad indicanda viarũ discrimina. Viatores itaque statuis solebant lapidũ aceruos cumulare: sic enim putabant Deũ honorari. Emble. 15. Vigilantiam, & custodiã bellè expressit pingendo tẽplum, in cuius ianua sculptus aderat Leo; & in sacræ turris summitate Gallus, qui vigilantiam designat, & Leo custodiam, vndè:

Est Leo, sed custos oculis quòd dormit apertis
Templorum idcircò ponitur ante fores.

Emblem. 51. maledicos exprimit per marmoreum *Archilochi tumulum,* ac *vespas* in ipso sculptas, vespæ enim raucę, ac mordaces aculeo tantùm pungunt; & affixæ Archilochi tumulo, linguæ malæ effręnem petulantiam arguunt; fuit Archilochus Poëta Parius, qui Lycamben socerum, tam atrocibus, ac virulentis carminibus insectatus est, vt eum adegerit in laqueum, vndè Archilochus pro maledico sumitur.

Aliæ postremò sunt figuræ chimęricæ, vt Emble. 68. Impudentiam significat per biformem Scyllam: hanc Phorci filiam Glauci amore captam, Circe quia eundem deperiret, sic affecit, vt fontem, in quo Nympha se lauare consueuerat, veneficijs, & magicis herbis

herbis infecerit, cuius rei nescia Scylla, fontem ingressa inferiores corporis partes, quas aqua tetigit in caninos rictus vidit esse commutatas, quam deformitatem horrens Scylla in mare se præcipitem dedit; & in saxum mutata ansam dedit Poëtis in varias erumpendi ineptias; ac fabulas. Cæterum Scylla, & Charybdis in Porthmo Siciliæ duo fingebantur monstra naues transeuntes vorantia; ab alijs verò duo promicantes scopuli, in quos impingentes naues frangerentur: rei veritatem, quia testis sum visu, hoc in loco repetere, non me piget. Siciliæ Porthmus, angustum est mare, quod Siciliæ Regnum à Messapia, quam vulgò Calabriam vocant, diuidit; ab Oriente Adriaticum, ab Occidente Mediterraneum mare respicit, mirum est, quod pluriès in hoc porthmo obseruaui, mare nempè modo instar concitati fluminis fluit, modò instar torrentis rectè, & oblique currit; tanta vndarum inter se collidentium pugna, vt mox veluti terga dantes vorticibus in imum desidere, mox, quasi victrices in sublime ferri viderim; loci vbi hoc peragitur vndarum certamen duo præsertim sunt, vbi non adsunt, nec monstra, nec scopuli, quorum vnus dicitur Scylla, alter Charybdis, & ab illis incipit præcipuus maris fluuius, ità vt nauis, quę modò reperiebatur propè Scyllam; statim maris fluuius in Charybdim transferat, & ex hoc ortum fuit illud adagium, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*, & aliquando tanta fluit celeritate, vt prospere efflantibus austris redeuntes plenis, ac tumidis velis ex Oriente Angliæ, & Holandiæ naues viderim, vel sistere sine motu, vel retrò vehi: hic maris fluuius, vulgò Rema vocatur, vndè Remoram, quam fingunt pisciculum currentes per æquora naues retinentem nihil aliud crederem esse, quam prædictam remam, ac vocem corruptam prouenientem à Rema.

Ad Emblematis structuram primò inueniendum est thema super quod construendum est emblema; vt volo exprimere aliquo emblemate, voluptatem Veneream esse fugiendam, thema erit istud *Voluptas fugiendo vincitur*. Inuento themate debeo inuenire aliquam figuram, quæ thema explicet, & quia ex figuris aliæ possunt esse historicæ; ideò pingerem *Parthorum aliquem militem*, qui fugiendo sagittas in hostes eiibret, ac vincat illos occidendo; quæ fuga Parthis, non est partus timoris, sed victoriæ causa; sic Christi miles fugiendo Venerem vincit, quæ fuga non timoris,

timoris, sed fortitudinis est nota. Ab historica figura immodicè fucatos concionatores, sic possem exprimere; primò reuocanda est in mente historia Neronis, qui super Mœcenatis turrim canendo pulsabat chelim, eo vel tempore, quo Vrbs tota flammarum voluminibus diflagrabat; sic fucati concionatores è sacris exedris in inanes, ac futiles erumpunt cantilenas; quando vitiorum flammæ non Vrbem tantùm, sed Orbem totum succendunt ad perniciem; igitur hos concionatores exprimerem emblemate, pingendo *Neronem* super Mœcenatis turrim pulsantem citharam, & Vrbem varijs flammarum voluminibus flagrantem, licèt dignior fuisset flammis Nero filius, quam Roma mater. A fabula hoc thema, *Pretiosa vigili cura sunt custodienda* exprimerem pingendo, *oculatum, ac vigilem Draconem ad Hesperidum pomorum custodiam*. A figura artificiali hoc thema: *Inimicorum munera sæpè sunt obnoxia* significarē pingendo, *Equum Troianum* grauidum hostilibus armis. A re naturali hoc aliud thema: *Nihil vix natum est perfectum* dilucidarem pingendo Vrsam matrem, quæ lingua paulatim efformet deformem partum. A re chimerica ad exprimendum hoc thema *sapientia vitium enecat* pingerem Pythonem ab Apolline sauciatum, aut interfectum.

Inscriptio, quæ post thema, & figuram, est alia pars essentialis ipsius emblematis duo complectitur; nempè explicationem figuræ,& applicationem, seù apodosim eiusdem figuræ ad aliquod documentum morale; quod est res significata per figuram, vndè figura est res significans, & documentum morale res significata: res significans seù figura aliquando potest explicari per modum narrationis, vt facit Alciatus Emblem. 7. *Isidis effigiem tardus gestabat Asellus*. Aliquando per modum imperij, vt fit in Emble. 9. *Stet depictus honos Tyrio velatus amictu*. Aliquando introducendo alium loquentem, vt in Emblem. 56. *Aspicit aurigam currus Phaëtonta paterni*. Aliquando per modum Dialogismi, vt in Emble. 122., vbi videtur picta Fortuna super sphęricam rotam;

Cur pinnis stas? vsque rotor, talaria plantis
Cur retines? passim me leuis aura rapit.

Hęc inscriptio debet esse talis; vt explicet, & rem significantē, scilicet picturam, & rem significatam, scilicet documentum morale, quod si fiet vnico disticho perfectior erit inscriptio: cæterum non debet excedere, quatuor, vel sex carmina.

Omnia

Omnia emblemata reducuntur ad aliquod ex tribus generibus Rhetoricæ, ſcilicet vel ad genus Demonſtratiuum, vel Deliberatiuum, vel Iudiciale. Ad genus Demonſtratiuum reducuntur ea emblemata, quæ laudant virtutem, vituperant vitium, tale eſt illud Alciati, in quo ad laudandam pietatem filiorum in parentes delineauit Aenæam geſtantem ſuper humeros patrem Anchiſen. In genere Deliberatiuo ſunt illa, quæ deliberant virtutem eſſe ſectandam; vitium fugiendum; vt in Emblem. 195. in quo Alciatus deliberat, *Mulieris famam, non formam vulgatam eſſe oportere*. In genere Iudiciali ſunt illa, in quibus condemnatur vitium; defenditur virtus, vt fit in Emblem. 48. vbi virtus inſidet ad tumulum Aiacis, & magno lachrymarum profluuio eiulat; eo quia iniuſtè lata ſit à Græcis iudicibus ſententia de armis Achillis Vlyſſi, non autem Aiaci; quo ſignificatur, quoſdam viros bonos plerùmque iniquorum iudicum decretis angi.

EXPENSIO QVARTA.

De Apodoſi, ſeù Applicatione Emblematis ad documentum morale.

HVcvſquè egimus de re ſignificante, hoc eſt de figura emblematis; ſupereſt in præſenti expenſione de re ſignificata peragere: res ſignificata eſt idem, ac documentum morale ſignificatum per figuram emblematis; do exemplum: volo enucleare emblemate hoc documentum Politicum. *Non ſunt formidini, quæ diuiſa:* pingerem flumen, quod in plures diuiſum partes à Cyro rege, tutè, ac ſine timore ab eius exercitu ſuperetur: res ſignificans eſt ipſa figura, ſcilicet *diuiſum flumen pictum*; res ſignificata eſt ipſum documentum morale, nempè, *Non eſſe formidini, quæ diuiſa:* do aliud exemplum, vt exprimerem emblemate hoc thema morale, *Virtus vnita fortior* pingerem illum faſciculum ſagittarum à Seuero Imperatore propoſitum filijs, quem frangere non potuerunt: voluit enim indicare filijs Scitus pater, quod ſi viuerent concordes, ac vniti Imperium ſeruarent integrum: figura, ſeù *Faſciculus ſagittarum pictus*, *eſt* res ſignificans; documentum morale, nempè, virtus vnita fortior, eſt res ſignificata.

Documentum morale præcipuè fit per apodoſim, hoc eſt per applicationem figuræ emblematis ad mores, *Apodoſis eſt ſchema*,

cùm ſingulis ſingula correſpondent, quamobrem finis emblematis eſt admonere, & quia admonitio medicina eſt ægro proponenda animo, ità dulcedine aliqua erit temperanda: quæ autem maior dulcedo illa, quæ prouenit à pictura?

Apodoſis fit, cùm comparatur vna res cum alia, ſeù appropriatur alteri: vt Olympi caput tonante aëre ſerenitate cæli ſemper fruitur, *Apodoſis eſt:* ſic ſapiens inter aduerſantis fortunæ procellas mentis tranquillitate, ac ſerenitate ſemper fruitur; ex hac applicatione, ſeù *apodoſi*, poſſes componere hoc thema morale, *Fortuna detonat infrà verticem ſapientiæ*, ſub quo ſi pingeres montem Olympum ſerenum in capite, ac denſa circumdatum in ſinu nube perfectiſſimum conficeres emblema. Vel, ſcimus teſte Plinio inſeri facillimè laurum cupreſſu, Laurus victoriæ eſt ſymbolum, cupreſſus mortis. *Apodoſis*, ſic triumphatores in ſinu victoriæ; aliquando etiam moriuntur; vel etiam, Victores parta victoria facilè Deo moriuntur, ſcelera aglutinando ſceleribus; ex hac *apodoſi* poſſes eruere hoc thema, *Mors, & Mars cognata nomine æquo iure in bello regnant*, ſub quo ſi delineares Libitinam, ac Mortem, quæ ſicca, & exangui ſua manu ſtolonem cupreſſus lauro inſerat perelegans conficeres emblema. Vel Gubernator nauis iactatæ fluctibus, ac procellis, dum nauis clauum benè moderatur; vt cæteros à naufragio tueatur, ſeipſum etiam à naufragio liberat. *Apodoſis:* ſic Princeps dum ſubditos benè regit, ac moderatur ſeipſum etiam regit; ex apodoſi, conficiatur hoc morale thema, *Princeps, qui ſuis conſulit, ſibi conſulit*, ſub quo pingatur nauis iactata fluctibus, cui præſit vigil gubernator, vt ſuos à naufragio tueatur. Vel, Plinio teſte, ferarum Rex leo ad canum latratum non mouetur, nec iraſcitur. *Apodoſis*, ſic grandes animi imbecillioris hoſtis minas contemnunt: thema ſit iſtud. *Magnis non ſunt terrori, nec formidini latratus*, pingatur Leo in ſpecu maieſtatem ſpirans ex vna parte, & canum adlatrantium grex ex alia parte.

Apodoſes tamen in Emblematibus debent metro, ac carmine explicari, quæ carmina non debent excedere numerum quaternarium, aut ſenarium; cæterùm ſi in diſtico poterint explicari figura, & apodoſis; longè perfectior erit inſcriptio; vt potes videre in ſubiecto emblemate. Lilia inter ſpinas magis candicant. *Apodoſis*, ſic cordis puritas inter ciliciorum ſpinas pulchrior efflorеſcit,

ac

ac tutè custoditur: thema morale posset esse istud. *Cordis puritas ciliciorum sepibus custodienda:* In emblemate sunt pingenda multiplicia lilia inter spinas amæno in agro, quam figurā cum apodosi hoc disticho explicarem.

Florent candidius dumosis lilia in aruis.
Seruari hac poterit, si iubet arte pudor.

Vides, emblema nihil aliud esse, nisi symbolum ingeniosum, eruditum, ac suaue, conflatum ex pictura, & metro; addita sententia morali, quæ eruitur ex apodosi: quia verò censeo, fore opus perquam vtile huius instituti tyronibus: plures hìc subijcio apodoses, ac eruditiones; ex quibus facilè componi possint emblemata.

Argus, quia centum scateret oculis, fabulantur Poetæ à Iunone fuisse constitutum custodem ius Inachi filiæ, quam Iupiter in iuuencæ formam commutauerat. *Apodosis* Principes, & Prælati, & si centum inuigilarent oculis in subditos, nec eorum diligens custodia esset satis; quamobrem *Principem decet summa vigilantia.*

Argus filius Phryxi per mille pericula aureum quæsiuit vellus in Colchidem transuectus. *Apodosis*. Homines non possunt aurum acquirere, nec diuites fieri, nisi periculo amittendi animam in Gehennæ cruciatibus.

Polyphemus Cyclops, Neptuni filius vnum tantum oculum habuit, eumque in fronte; hunc vt ferunt poëtarum commenta Vlysses inebriauit, deindè alto sopore obruto, adusto stipite, oculum eruit. *Apodosis*. Vinum, & crapula, mentis aciem obtundunt, ac facilè obcæcant, ne animæ necem in Veneris illicijs videant incauti iuuenes:

Niobe filia Tantali vxor Amphionis superstes septem filiorum funeribus, quos Apollo, & Diana sagittis confixerant ex dolore in saxum versa est. *Apodosis*. Sic nimius amor parentum in filios sæpè, & filios, & parentes perdit in Gehenna.

Prometheus pater Deucalionis, qui hominem ex luto dicitur efformasse, Mineruæ auxilio cælum conscendit, igneamque faculam à solis rota abripuit; quamobrem irata Numina duo mala immiserunt terris *Febres*, & *Morbos*, vt Sapho, & Hesiodus memorant; ipsum etiam Prometheum in rupe Caucasea per Mercurium relegarunt, adhibità Aquilà, quæ eius cor exederet. *Apodosis*. Sic mulierculæ, ac Veneres, quæ insanos disseminant ignes

illicijs, ac blanditijs ad peccatum fuccendentes incautos iuuenes, veluti Promethei in Gehennæ rupe alligatæ æternùm cruciabuntur non ab Aquilis, ſed ab immundis ſpiritibus.

Arachne tenuiſſima ſua pependit ſuſpenſa in tela. *Apodoſis*. Plerique adherentes tenuiſſimis huius terræ ſubſtantijs in ipſis pereunt, & diuitiarum ponderibus aureum ſibi texunt laqueum.

Hercules Hydram ſeptena repululatam in capita, & igne, & ferro contriuit. *Apodoſis*. Peccati monſtrum, & ferro pœnitentiæ, & igne diuini Amoris eſt profligandum.

Alcides deuicto Leone eius pelle veſtitur. *Apodoſis*. Sic virtus poſt exanthlatos labores maius acquirit ornamentum.

Phaëton Solis filius cum à patre petijſſet currus habenas; filio indulſit pater, at aurigandi imperitus terram combuſſit, & à Iouis fulmine excuſſus in Padum fluuium decidit. *Apodoſis*. Funeſtus Soboli eſt ſæpè parentis amor.

Heſperidum aurea poma à vigili, ac inſomni dracone cuſtodiebantur. *Apodoſis*. Diuitiæ, niſi anxia cura ſeruantur, & ſæpè nocturnam nobis abripiunt quietem.

Cadmus Draconis ſerens dentes, ſtatim ſurgere homines armatos vidit. *Apodoſis*. Qui ſerit rixas: ſtrages, ac damna ſtatim metit.

Orpheus Phlegethonteis ab oris traxit Euridicen lyræ ſonitu. *Apodoſis*. Orationis ſonus plures reuocat à peccato, & orco homines.

Caſtor, & Pollux exiguo prodierunt ab ouo; licèt in Cœlo luceant. *Apodoſis*. Heroes præclari abſcuro aliquando oriuntur è loco; & eminentiæ dignitatum ſæpè ab humili patria ſortiuntur.

Amphion accepta à Mercurio lyra, adeò ſuauiter canebat, vt aſſerant poëtarum commenta, ſaxa traxiſſe ad Thebanos muros adſtruendos. *Apodoſis*. Sæpè eloquentiæ vis, ac ſuauitas, vel dura, ac ſaxea corda emollit, ac ad virtutem trahit:

Chiron Centaurus, Saturni, & Phillyræ filius dimidia ſui parte equus, reliqua homo erat. *Apodoſis*. Homines ſenſui dediti, ac Veneris illicijs magis de animalitate, quam de rationalitate participant.

Mercurius caduceo diſſides animos componebat. *Apodoſis*. Sapiens prudenti eloquio rixas, populique furores facilè mitigat.

Bacchus

Bacchus pampineis habenis immanes moderatur Tygres. *Apodosis*. Pectora dura facilè flectuntur vino.

Herculis duodecim gesta inter sydera fulgent. *Apodosis*. Feliciùs Martyrum pugnæ in cœlesti Capitolio triumphant.

Calais, & Zethes Boreæ filij ex Orithya coniuge alati fuerunt geniti; vndè cum Argonautis Colchos profecti fuerunt. *Apodosis*. Sic genus, genium, ingenium soboles à genitore trahit.

Europa Agenoris Phoenicum Regis filia à Ioue in bouem transformato rapta fuit, & in Cretam abducta. *Apodosis*. Pudor ne pereat, etiam tuta, & quæ videntur sine periculo debet timere. *vel* sicut amor in bouem transformauit Iouem. Sic impudico amore homines sæpè in bruta degenerant.

Dædalus vna cum Icaro filio è Creta fugiens binas sibi construxit alas, quibus per aëra volitauit. *Apodosis*. Quod natura negat sæpè ab arte possumus petere.

Icarus cum Patre Dædalo è Creta fugiens fretus alarum fiducia vltra patris iussa altiùs euolauit; at liquefactis propè Solem alis cereis decidit in mare; quod est inter Samum, & Myconem, quod ab eius nomine Icarium dictum est. *Apodosis*. Ambitiosi Aulici altiùs volitando, quam par sit, ad sublimiores aspirando dignitates, sæpè corruunt è gratia Principis, & in amaritudinum mari pereunt: vndè ascendunt, vt lapsu grauiore ruant, testis est Acabbus in Aula Regis Assueri.

Gerionis tria corpora in vno iunxerunt Poëtæ. *Apodosis*. Sic concors amor sæpè fratrum pectora, ac corda iungit.

Eteocles cum fratre Polynice, ità conuenerant, vt alternis annis regnarent, exacto tamen primo anno, cum Eteocles, qui, quòd maior natu esset primo anno regnarat, reuertenti fratri renueret regnum cedere, Polynices fratri bellum intulit; in quo ambo mutuis vulneribus ceciderunt. *Apodosis*. Cupiditas diuitiarum sæpè inter fratres, & parentes rixas, ac bella disseminat, ac sanguinem fundit, cladium cupressus metens.

Salmonæus Aeoli filius Rex Elidis, cùm diuinos sibi honores petulantiùs quæreret, Iouemque structo æneo ponte tonando, & in iaciendis fulminibus imitaretur; ab eo fulmine concussus ad inferos detrusus est. *Apodosis*. Sic grauis pœna sacrilegos iocos semper sequitur.

Iupiter aurea pluuia Danaëm decepit, eiusque violauit pudicitiam,

tiam. *Apodosis*. Plures Virgines auro allucinatæ illum perdiderunt florem, qui semel amissus nullo auri, argentiuè pretio ampliùs venalis est.

Sphinx apud Thebas monstrum erat, cuius caput, & manus puellæ, corpus canis, vox hominis, vngues leonis, cauda draconis similitudinem referebant. Lactantius verò asserit sphingem fuisse monstrum alas, & vngues habens in similitudinem harpyarum, quod insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, & quotquot dissoluere non poterant vnguibus dilacerabat: ænigma quod proponebat erat hoc nempè, *Quod nam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset*, cuius ænigmatis nodum Oedipus ita dissoluit, vt hominem significare diceret, qui in infantia manibus, & pedibus repens quadrupes est; factus vir, vt qui nullo alio, quam pedum adminiculo nititur, bipes est; ingrauescente verò ætate assumpto scipione tripes est. *Apodosis*. Oedipi sunt expositores diuinarum scripturarum, qui difficilia quæque nobis dilucidarunt: Oedipus etiam dicitur subtilis speculator, qui obiectiones perdifficiles soluat, vel qui negotium arduum ad bonum ducat finem.

Pro Helenæ simulacro dimicarunt olim inter se se *Graij*, & Phryges. *Apodosis*. Puellæ formositas sæpè bella cruenta mouet. Andromade, quia de præstanti gloriaretur forma, à Nymphis scopulo fuit alligata, cetoque deuoranda exposita, sed à Perseo liberata fuit, qui illac opportunè iter faciens, & cetum interemit, & Andromadem vxorem duxit. *Apodosis*. Natura humana, quia se nimis iactauit in protoparente nostro, ac voluit fieri similis Altissimo in miseriarum abyssum ceciderat, vbi Tartareis detenta vinculis æternis erat extorquenda cruciatibus; sed à Christo tandem fuit liberata, ac proprio redempta sanguine, cui tam intimè voluit vniri, vt mediante vnione hypostatica, illam nunquam velit dimittere.

Alcides redijt domito rediuiuus ab orco. *Apodosis*. Inuictis animis inuia nulla via est.

Ganymedes formosissimus puer iussu Iouis in cœlum ab aquila fuit asportatus. *Apodosis*. Sic Deus innocentes pueros, sæpè ab hac miseriarum valle arripit, ac in cœlum trahit, antequam à malitia commutentur.

Paris Priami Troianorum Regis filius, cùm in dirimendis controuer-

trouerſijs eſſet æquiſſimus, maximam iuſtitiæ famam ſibi compa-rauit, adeò vt orta inter Deas Iunonem, Palladem, & Venerem diſceptatione de forma, ob aureum pomum à Ioue cęlitùs demiſ-ſum, in quo ſcriptum erat, *Detur Pulchriori*, ille Venerem cæteris præpoſuerit. *Apodoſis.* Mulierculæ, ac Veneres ſæpè iudicum men-tes obcæcant, ac illorum vota, ac ſententias ad ſe ſe iniuſtè attra-hunt.

Protheus Tethyos filius in omnes ſe mutabat formas. *Apodoſis.* Vir prudens, ac ſapiens formas rerum ſe vertit in omnes.

Atalanta virgo formà, ac viribus corporis præſtans, cum à nup-tijs abhorreret procis ſuis certamen propoſuit; in quo victus mor-tis pœna plecteretur, victor coniugij ſui præmium ſequeretur; verùm cum Hippomenes Veneris conſilio in ipſo curſu tria po-ma aurea illi obieciſſet, ab auro decepta, ab Hippomene ſupera-tur. *Apodoſis.* Non ſolum hæc puella auro capta fuit, ſed ſæpè Virginum pudicitiam venalem facit aurum, & quæ virtutis cal-lem percurrebant, mox ad aſpectum obiecti auri ſiſtētes; demùm cum virginitatis flore animam perdunt.

Midas Rex Phrygum cæteros Reges pecuniæ abundantià ante-ceſſit: huic propter Bacchum hoſpitio ſuſceptum conceſſum fuit, vt quidquid vellet, peteret, quia foret voti compos, petijt vt quidquid tangeret in aurum verteretur, quod annuente Bac-cho factum fuit, ſed cum cibus, & potus, quò alebatur in aurum quoque verteretur, ſentijt tandem ſtolidus ſtultam petitionem. *Apodoſis.* Auari pecuniarum aceruos vndique cumulantes inter aurum; argentumue ſemper egent.

Arion citharædus nobilis, ac Poëta Lyricus, primus Dithyram-bos creditur inueniſſe; hic vt narrat Plutarcus in Sympoſio, cum ex Italia vbi pecuniarum copiam arte ſua acquiſierat Corinthum tranſijceret; videretque à nautis, qui opibus ſuis inhiabant, ſibi inſidias conſtrui, paululum temporis ab ipſis petijt, quo veluti cygnus moriturus epicedia ſibi caneret, quo impetrato ſtans cel-ſa in puppi carmen orthium Dijs marinis cecinit, & ſtatim in mare ſe precipitem dedit. *Apodoſis.* Aurum hominum hoſtis eſt crudelis, vbique inſidias illis nectit in mari, in terra; qui aurum ſecum defert in itinere, mortem portat ſecum.

Daphnes caſtiſſima virgo in laurum mutata fuit. *Apodoſis.* Vir-ginitatis honor, ſic æternùm vireſcit.

Nar-

Narcissus tantà formæ præstantia puer fuit, vt cum ad fontem bibiturus accessisset conspectæ suæ imaginis amore captus in fluuium se se proiecit. *Apodosis*. Amor proprius sæpe multos perdit.

Musæ omnes virginitatem colunt. *Apodosis*. Sapientiæ pudica mens placet. Medusæ aureos crines à Minerua in angues mutatos ob scelus in templo patratum, qui adspiciebant in saxa vertebantur. *Apodosis*. Sic iuuenes meretricis formam aspicientes, sæpè pereunt, ac ab esse rationali degenerantes in peccatum prolabuntur; vnde benè Regius Psaltes; *Auerte oculos tuos ne videant vanitatem*.

Endymion inter somnia felix fuit. *Apodosis*. Huius vitæ felicitas somnium est.

Astræa aureo sæculo è cœlo in terras migrata; demùm mortalium sceleribus offensa cœlum repetijt. *Apodosis*. Raró iustitia in iudice vitijs coinquinato moratur.

Io formosissima Virgo à Ioue adamata, in iuuencam ab ipso Ioue fuit commutata. *Apodosis*. Amor profanus multas mutauit virgines in lupas, ac meretrices.

Antheus cum Hercule decertans ex contactu telluris neruosior surgebat. *Apodosis*. Humilis cum deprimitur altior euehitur.

Venus procelloso è mari nata fuit. *Apodosis*. Venereæ voluptates maris amaritudines gignunt, ac naufragium aperiunt animæ.

Celebris fuit Pallas consilio, & armis. *Apodosis*. Sine consilio sæpiùs arma nocent.

Tantalus in fluuio mersus magis sitit. *Apodosis*. Auarus in diuitijs semper pauper, ac egens.

Circe imponebat hominibus speciem, formamque ferarum. *Apodosis*. Voluptas animum non corpus deuenustat.

Gigantum audaciam Iouis fulmen perculit. *Apodosis*. Aduersus Deum omnis potentia est impotens.

Iugulati leonis pellem Hercules ad pompam induit. *Apodosis*. Sic pati est gloria fortis. Bellerophon felici rerum successu elatus, cum in cœlum euolare cum Pegaso conaretur immisso à Ioue æstro equo excussus est, ceciditque in campum, qui Aleius dicitur *Apodosis*, Audaciæ finis infausta mors est.

Diuiso è Iouis capite ortam aiunt Poëtæ Palladem. *Apodosis*.

Omnis

Omnis ſapientiæ, & virtutis initium Deus eſt.

Rapax aquila Promethei artus, ac cor lacerauit. *Apodoſis*. Sic conſcientia læſa aquilà immitior animum torquet.

Ixion deceptus pro Iunone vacuam,ac inanem nubem eſt amplexus. *Apodoſis*. Sic qui dignitatibus, ac honoribus adhærent inanes amplectuntur vmbras.

Siſyphus labore ſtulto lapidem circumuoluit. *Apodoſis*. Siſyphi lapidem mouent, qui inutilibus rebus tempus terunt.

Cygnus plumarum candore propriæ carnis fuliginem,ac nigredinem cooperit. *Apodoſis*. Hypocrita fictæ virtutis candore animi vitium tegit.

Duodecim Herculis labores inter ſydera ſplendent. *Apodoſis*. Gloria, & lux, ac poſteritatis laus, hominum labores ſemper ſequuntur.

Tres ſunt furiæ; quæ inferos inhabitant. *Apodoſis*. His addenda eſt quarta;mens impròbi.

Prometheus ſublatum à Sole ignē per totam diſſeminauit tellurem. *Apodoſis*. Hac tempeſtate mundus plus habet fumi, quam ignis.

Theſeus Ariadnæ filo è Cretenſi labyrintho euaſit,ac de Minotauro triumphauit. *Apodoſis*. Sapiens prudentia duce ardua quæque ſuperat negotia.

Sirenum cantus taliter alliciebat, vt mortem afferret. *Apodoſis*. Sic Virginum illecebræ incautos iuuenes alliciunt ad necem.

Tres ſirenulæ Parthenope,Ligia,& Leucoſia Siculum littus incolentes, nautas præternauigantes in naufragium pellicebant, Vlyſſes autem cum illàc ſibi iter eſſet, ſociorum aures cera obturauit, ne inſidioſos ſirenum cantus audirent; & ſeipſum arbori nauis iuſſit alligari; ſicque tutus periculum euaſit. *Apodoſis*. Ne illaqueemur blandis Veneris inſidijs, quotieſcumque carnis illicia ſenſum titillant, ſtatim debemus arbori Crucis adhærere, ac Dominicam Paſſionem meditari; ſicque inſidias Veneris tuti euademus, nam vt loquitur D. Auguſtinus lib. Confeſſio. ad expellenda Veneris incitamenta nullum tam efficax pharmacum reperitur, quam meditatio Dominicæ Paſſionis.

Saturnus, quos edidit filios edit. *Apodoſis*. Tempus etiam deſtruit, quod compoſuerat.

Prometheus primum finxit ex luto hominem. *Apodosis*. Res fragilis, & vilis homo est.

Marzias cum Phœbo contendens cutem reliquit. *Apodosis*. Pugnare cum Superiore est periculosum.

Exterrent Leonem Galli cantus. *Apodosis*. Edificant Principes, vel minimum populi tumultum metuere; vel edificant maximi, vel minimas voluptates, hoc est sirenulæ blandulæ voces non admittere.

Magnum Orionem occidit paruus Scorpius. *Apodosis*. Magnus licèt sis; parua, ne contemnas.

Argus centum habuit oculos, vt iuuencam custodiret. *Apodosis*. Princeps mille scateat oculis non bouem, sed populum seruat.

Sanguineæ Medusæ guttæ infinitos genuerunt serpentes. *Apodosis*. Exigua verba sæpè magna parturiunt mala.

Pandoræ in vase remansit sola spes. *Apodosis*. Spes veniæ nunquam debet relinquere peccatores.

Iuppiter captus amore Europæ Tauri formam induit, ac mugiit. *Apodosis*. Profano amore succensus homo, sæpe à ratione degenerat.

Adonidem sui deplorando occidit modo. *Apodosis*. Talis est finis Amicorum Veneris.

Amphion lyræ sono Thebarum erexit mænia. *Apodosis*. Musica etiam saxea corda rapit.

Inter sydera emicat Astrea. *Apodosis*. Homines illam vident, sed longè distantem à terra, vbi rarò exercetur iustitia.

Lactea via ad Elysios campos, & ad Deos tutum erat iter. *Apodosis*. Sic puritatis candor ad Deum ducit.

Proserpina apud inferos liberè moratur, quia ibi imperium exercet. *Apodosis*. Alijs imperare est etiam inferis dulce.

Lethęi fluuij epota vnda memoriæ est naufragium. *Apodosis*. Sic voluptas cœli memoriam arripit.

Aureum pomum dissidij fuit radix inter tres Deas. *Apodosis*. Ferè omnium rixarum, bellorumque causa aurum est, aurique cupiditas.

Rosa Veneris flos statim putrescit, & solum seruat spinas. *Apodosis*. Veneris voluptas citò transit, & solùm læsæ conscientiæ relinquit dumos.

EXPEN-

EXPENSIO QVINTA.

Ponuntur plura emblemata iuxtà regulas supra assignatas.

POstquam de præceptis emblematum dictum est, superest, vt praxi confirmemus, quæ supra diximus; ideò operæ pretium duxi nonnulla hic subijcere emblemata; quæ allicere, & monere animos possint: emblematum inchoata ratio si spectetur, rudis potiùs fuit; hac verò tempestate vbi politissima florescunt ingenia, multiplici condecorata perfectione; emersit Emblema ad oculorum, animique delicias. Nam vt arma primùm quidem rudia expediuit periculorum metus ad propriæ vitæ defensionem, quæ deinde varijs expolire ornamentis Ars industriosa cępit; ità emblematum prima initia, quasi inculta nullam præstabant amænitatem; modo verò magis exculta suauiùs sensum, animumque titillant: quia inscriptio laconica est perfectior ideò vnico disticho figuram, & figuratum si fieri poterit enucleabo; sit igitur,

CEDENDVM EST SVPERIORIBVS, NE IPSI NOS CAEDANT.

Pingatur efflans *Boreas* in specie faciei humanæ; ex vna parte annosa frangatur *Ilex*; ex altera leuis flectatur *arundo*, sed non frangatur: inscriptio est subiecta;

Cede minor superis: vento, quæ dimicat ilex
Frangitur: vt vincat flectit arundo caput.

SEMPER AVARVS EGET.

Pingatur *Tantalus* ad inferos detrusus, vbi vsque ad mentum Eridani fluuij mersus in aquis; & poma super caput imminentia habens perpetua torqueatur fame, ac siti.

Si cupis immanes gazas, te fallis auare,
Es sitiens medijs Tantalus alter aquis:

VOLVPTAS ETIAM FORTES ENERVAT.

Pingatur blanda *Venus*, quæ & armis, & vestibus languidum præ amore Martem spoliet.

Corporis eneruat vires, animique voluptas.
Vt Martem spoliat Blandula amore Venus.

AMBITIO, QVAE AD ALTIORA ASPIRAT SEIPSAM TORQVET.

Pingatur *Ixion* volubili alligatus rotę, in qua perpetuò volutetur;

Ixion cruciat rapido, dum tollitur axe.
Sic dolet Ambitio, dum petit alta simul.

VOLVPTAS FVGIENDO VINCITVR.

Pingatur *Vlysses* arbori alligatus nauis, & super scopulum pariter delineentur blandæ *Sirenulæ* pulsantes canendo lyras.

Sirenum illecebras vinctus deuicit Vlysses,
Sed tu delicijs, ne capiare; fuge.

VERAM AMICITIAM DVRA PROBANT.

Pingatur *Lydius lapis* subniger, quo faber Argentarius fricando probet aurum.

Indicat incertos animos fortuna sinistra.
Vt signis aurum Lydius iste probat.

VIRTVS OPPRESSA PERFICITVR.

Pingatur *accensum funale* ex cera, ac sulphure compactum, quod expositum ventis magis ardeat, ac elucescat.

Opprimitur virtus, sed non extinguitur vnquam,
Vt magis à ventis fax agitata micat.

MODICA NON SVNT SPERNENDA.

Pingatur *Fabius Cincinnatus,* qui contemnens in lacte pilum, dum lacteum poculum ebibit, mortem per pilum subiuit.

Non desunt vni, ac tenui sua damna capillo.
Nilque boni modicum spernito, nilque mali.

INGRATIS BENEFACERE, EST OPERAM PERDERE.

Pingatur *Agricula* aratro scindens arenam maris.

Munera præbe viro grato: bene namque scelesto,
Qui facit, ingrato vomere littus arat.

FACILE' CADIT AMASIVS, SÆPE' AMATAM VIRGINEM INVISENS.

Pingatur *Papilio,* seù *Pyrausta* igneum circumuolitans lumen.

Dum sibi papilio indulgens circumuolat ignem
Igne perit: quod amas captus amore caue.

HEROICA VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR.

Pingatur *Vitis,* quæ amputetur ferro à Colono, vt magis succrescat.

Cæsa comis ferro succrescit latiùs arbor.
Sic crescit virtus vulnere culta suo.

SÆPE PARVVM CRIMEN MAGNVM SECVM TRAHIT DAMNVM.

Pinga-

Pingatur *Statua* Nabuchidonozoris fracta à *lapillo*, qui è montis culmine ceciderat;

Nabuchi Statuam fregit de monte lapillus.
Crebrò causa fuit paruula noxa necis.

DIGNITATIS TITVLVS SINE VIRTVTE INANIS EST.

Pingatur *Carbunculus Gemma* lucis igneos radios emittens:

Nomen habet, non vim rutili carbunculus ignis.
Sic tituli plures nomen inane gerunt.

ANIMO HEROICO RES ADVERSAE EXERCITIVM PRAEBENT, NON EXITIVM.

Pingatur *Scopulus*, in quem tumidæ procellosi maris vndæ impingant, non tamen frangatur ab ipsis.

En manet immotus scopulus percussus ab vndis.
Fortunæ irridet mens generosa minas.

QVAE DIFFICILIVS MANDANTVR MEMORIAE, DIVTIVS HAERENT ANIMO.

Pingatur *Lapidicida* scalpro characteres sculpens duro in marmore.

Difficili ingenio signata fideliùs hærent;
Vt sculptas retinent marmora dura notas.

IVSTITIA AEQVALITER IN OMNES EXERCENDA.

Pingatur *Sol*, qui suos disseminans radios per totam tellurem æquè omnibus luceat.

Omnibus æqualis resplendet ab æthere Phœbus
Iustitiæ, sic lux omnibus vna micet.

NIMIVS PARENTVM AMOR, SAEPE FILIIS NOXIVS

Pingatur *Simia*, quæ amore capta proprij partus taliter eum stringit in sinu amplexibus, vt suffocet;

Amplexu occidit dilectum Simia partum.
Sic prolem nimio perdit amore parens.

FORTVNA, QVOS FOVET, SAEPE ENECAT.

Pingatur alta *Vlmus* sine folijs per cuius ramaria serpat tenax hedera.

Suffocant hederæ strictas amplexibus vlmos.
Sic fortuna viros, quos fouet ipsa necat,

VERBA SEMEL DICTA AMPLIVS NON REVOCANTVR.

Pingatur Iuuenis, qui neruosa manu *Lapidem* in distantem locum proijciat;

Non

Non reuocatur iter lapidis, quem dextera iecit,
Nec reuocat verbum lingua proterua suum.

PVDICITIAE LILIVM INTER SPINAS CILICII CVSTODIENDVM.

Pingantur dumoso in campo cadicantia, ac vernantia *Lilia*;
Candidiùs florent dumosis lilia in aruis.
Seruari hàc poterit, si lubet, arte pudor

OPVS PERFECTIVS DIVTIVS MATVRANDVM.

Pingatur *Elephas* suum parturiens fœtum postquam in aluo decem annis perfecerit;
Vix Elephas partum decimo progignit in anno.
At dignus tanto tempore partus erit;
Omnia mature gere, nam properatio lædit.
Perfice cuncta diù, quæ pretiosa voles.

FESTINANDVM LENTE'.

Pingatur fluuiatilis *Cancer* chelis volitantẽ retinens *Papilionẽ:*
Festina lentè non est mora figere gressum.
Sat citò res gesta est, si benè gesta fuit.

PLVRA AVDIRE LICET, QVAM LOQVI.

Pingatur *Caput humanum,* constans ex vnico ore, sed ex duplici aure,
Os vnum natura, duas tibi condidit aures;
Audire, vt discas plurima, pauca loqui.

VOLVPTAS ALLICIENDO VVLNERAT.

Pingatur *Examen apum* propè aluearium in puerorum manus mel effundens, easque pungens;
Hyblæas imitatur Apes fugitiua voluptas;
Mel fundit, tacito vulnere pungit, abit.

MVLIERVM FORMOSITAS DEFORMIS EST.

Pingatur *Mulier* ante speculum, minio, ac cerussa sibi vultum pingens,
Vultus deformes minium, ac cerussa fatentur:
Scilicet abscondi, non nisi fœda solent.

EST SEMPER IN DEO SPERANDVM.

Pingatur *Pandoræ Vas,* in quo ex Deorum muneribus sola spes remansit.
Vnica spes versà Pandoræ in pyxide mansit:
Hanc animo semper, vel moriendo tene.

PRIN-

PRINCIPEM DECET VIGILANTIA.

Pingatur *Argus* centum ſcatens oculis à Iunone conſtitutus ad cuſtodiam *Ius* Inachi filiæ; quam Iupiter in iuuencæ formam commutarat.

Vix oculis centum Io cuſtoditur ab Argo.
Non ſunt principibus lumina mille ſatis.

PERICVLA INVENIT, QVI AVRVM QVAERIT.

Pingatur *Argi Nauis* in tumido procelloſi maris ſinu, agitata ab vndis.

Argus Phryxæum per mille pericula Vellus
Quæſijt. Aurum aliter quærere nemo poteſt.

VITIVM POENITENTIAE TELO CONFODIENDVM.

Pingatur *Hercules* claua, & igne ſeptena Hydræ capita reſecans.

Argolicà illicÿs vitium eſt crudelius hydrà.
Ni ferro iuuenis vincere, & igne poteſt.

IMMODICVS PARENTVM AMOR SAEPAE FILIOS PERDIT.

Pingatur *Phaëton* ſuper Solis quadrigam, qui laxatis equorum habenis ſimul cum Sole in Padum fluuium ruat.

Dum pater indulget Phëtonti; occidit amando.
Noxius eſt ſoboli ſæpè parentis amor.

ANXIA CVRA SERVANTVR OPES.

Pingatur oculatus *Draco* in Heſperidum horto peruigil in cuſtodiendis aureis pomis.

Aurea poma vigil cuſtodit bellua curis.
Anxia, ſic hominum cura tuetur opes.

VERA GLORIA LABORIS EST FILIA.

Pingatur *Hercules* iugulati Leonis indutus pelle.

Alcides cæſi veſtitur pelle Leonis.
Clarior, & virtus nata labore nitet.

VIRTVTVM CONCENTV EXTRVENDAE SVNT VRBES.

Pingatur *Amphion*, qui argutis digitis citharam percutiens ſaxa ad ſe trahat, ac Thebarum mænia conſtruat.

Conſtruit Amphion Thebarum mœnia cantu
Sic vrbes virtus condere blanda poteſt.

EMOL.

EMOLLIT VINVM PRAEDVRA CORDA.

Pingatur *Bacchus* super quadrigam varijs intextam racemis pampineis habenis, & tygres trahentes currum, moderans.

Pampineis Bacchus Tygres moderatur habenis.
Sic facilè cedunt pectora dura mero.

QVOD NATVRA NEGAT ARTIS INDVSTRIA EST COMPARANDVM.

Pingatur *Dædalus* ascititijs, ac fabrefactis alis per aëra volitans cum Icaro filio, vt è Creta fugeret.

Tollitur in altum compactis Dædalus alis.
Quod natura negat sedulus arte parat.

PVDICITIAE IACTVRA VBIQVE EST TIMENDA.

Pingatur *Europe* Agenoris Phœnicum Regis filia, rapta à Ioue in bouem transformato; nempè pingatur Europe super bouem tranantem mare.

Europè ignoto cùm Tauro ludere fleuit.
Ne pereat; discat cuncta timere Pudor.

CONCORS AMOR FRATRES SIMVL VNIT.

Pingatur *Gerion* Gigas triplici corpore.

Fabula Gerionis tria corpora iunxit in vno.
Sic amor in frartes iungere corda potest.

IMPVNE NON ASPICIT, QVI NVMINA DESPICIT.

Pingatur *Salmoneus* Rex Elidis, qui structo æneo ponte, vt Iouem tonando, & in iaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulminatus ad inferos detrusus est.

Vibratis Numen cadit Salmonea telis.
Sacrilegi impunè haud vult Deus esse scelus.

AVRAM SEQVITVR, QVI AVRVM QVAERIT.

Pingatur *Ixion*, qui nubem Iunonis effigiem preferentem insequatur.

Ixion nubem sequitur Iunone relicta.
Sic auri cupidum decipit aura virum.

MVLIERIS FORMA DEFORMES SÆPE EXCITAT RIXAS.

Pingatur formosissima *Helena*, pro qua inuicem pugnent *Graij*, ac *Phryges*, multo hinc inde effuso cruore.

Pro forma certant Helenæ, Graijque, Phrygesque.
Virginis, & rixas causat imago necis.

DECET

DECET PRINCIPEM INSONTES TVERI.

Pingatur *Andromede*, quæ ob matris iactantiam, quæ se Nereidas formâ antecellere gloriabatur à Nymphis scopulo fuit alligata, ac ceto deuoranda exposita, sed Persei virtute liberata, qui fortuitò illàc enauigans cetum interemit. Delineetur igitur Perseus soluens catenas, quibus & vincta, & victa à ceto hærebat scopulo Andromede.

Perseus Andromedam seruat, dum vincula frangit,
Seruare insontes Principis esse puta.

FINIS AMORIS AMARVS.

Pingatur *fluuius Padus* è sinu Vesuli montis celsissimum in cacumen elati profluens floribus, ac pubescentibus herbarum smaragdis marginatus, qui post longum cursum per aruorum amæna; tandem in mare deuoluatur.

Principium fluuij dulce est, at finis amarus,
Dulcis amor surgat, finis amarus erit.
Illicijs mulcet iuuenes; sed retia tendit,
Læta venire Venus, tristis abire solet.

FIDES E DIFFICVLTATVM LABYRINTHO EMERGIT

Pingatur *Theseus*, qui Ariadnæ filo Cretæ labyrinthum ingressus Minotaurum enecet.

Rexit, vt errantis Thesei vestigia filum
Virginis. Humanum, sic genus vna fides.

SCELVS SCELERI VIAM EMOLLIT.

Pingatur *Pueri*, qui brumali tempore niueum globum voluant, vt grandescat magis;

Rumor rumores, errores parturit error,
Vt niuis exiguus crescit eundo globus.

IVSTVS IN TRIBVLATIONIBVS PERFICITVR.

Pingatur *Linum*, quod dentato ferro, ac ferreo dente torqueatur, ac laceretur, vt magis perficiatur.

Vt ferrum linum, sic tribulatio iustos
Perficit; est curis vera probanda fides.

DIV DVRANT, QVAE TENERIS MENTIBVS DISCVNTVR.

Pingatur *Puer* sculpens teneri arbusti in cortice characteres; qui crescant crescente arbore.

Narcissus tantâ formæ præstantia puer fuit, vt cum ad fontem bibiturus accessisset conspectæ suæ imaginis amore captus in fluuium se se proiecit. *Apodosis*. Amor proprius sæpe multos perdit.

Musæ omnes virginitatem colunt. *Apodosis*. Sapientiæ pudica mens placet. Medusæ aureos crines à Minerua in angues mutatos ob scelus in templo patratum, qui adspiciebant in saxa vertebantur. *Apodosis*. Sic iuuenes meretricis formam aspicientes, sæpè pereunt, ac ab esse rationali degenerantes in peccatum prolabuntur; vnde benè Regius Psaltes; *Auerte oculos tuos ne videant vanitatem*.

Endymion inter somnia felix fuit. *Apodosis*. Huius vitæ felicitas somnium est.

Astræa aureo sæculo è cœlo in terras migrata; demùm mortalium sceleribus offensa cœlum repetijt. *Apodosis*. Raró iustitia in iudice vitijs coinquinato moratur.

Io formosissima Virgo à Ioue adamata, in iuuencam ab ipso Ioue fuit commutata. *Apodosis*. Amor profanus multas mutauit virgines in lupas, ac meretrices.

Antheus cum Hercule decertans ex contactu telluris neruosior surgebat. *Apodosis*. Humilis cum deprimitur altior euehitur.

Venus procelloso è mari nata fuit. *Apodosis*. Venereæ voluptates maris amaritudines gignunt, ac naufragium aperiunt animæ.

Celebris fuit Pallas consilio, & armis. *Apodosis*. Sine consilio sæpiùs arma nocent.

Tantalus in fluuio mersus magis sitit. *Apodosis*. Auarus in diuitijs semper pauper, ac egens.

Circe imponebat hominibus speciem, formamque ferarum. *Apodosis*. Voluptas animum non corpus deuenustat.

Gigantum audaciam Iouis fulmen perculit. *Apodosis*. Aduersus Deum omnis potentia est impotens.

Iugulati leonis pellem Hercules ad pompam induit. *Apodosis*. Sic pati est gloria fortis. Bellerophon felici rerum successu elatus, cum in cœlum euolare cum Pegaso conaretur immisso à Ioue æstro equo excussus est, ceciditque in campum, qui Aleius dicitur *Apodosis*, Audaciæ finis infausta mors est.

Diuiso è Iouis capite ortam aiunt Poëtæ Palladem. *Apodosis*. Omnis

Omnis ſapientiæ, & virtutis initium Deus eſt.

Rapax aquila Promethei artus, ac cor lacerauit. *Apodoſis*. Sic conſcientia læſa aquilà immitior animum torquet.

Ixion deceptus pro Iunone vacuam, ac inanem nubem eſt amplexus. *Apodoſis*. Sic qui dignitatibus, ac honoribus adhærent inanes amplectuntur vmbras.

Siſyphus labore ſtulto lapidem circumuoluit. *Apodoſis*. Siſyphi lapidem mouent, qui inutilibus rebus tempus terunt.

Cygnus plumarum candore propriæ carnis fuliginem, ac nigredinem cooperit. *Apodoſis*. Hypocrita fictæ virtutis candore animi vitium tegit.

Duodecim Herculis labores inter ſydera ſplendent. *Apodoſis*. Gloria, & lux, ac poſteritatis laus, hominum labores ſemper ſequuntur.

Tres ſunt furiæ, quæ inferos inhabitant. *Apodoſis*. His addenda eſt quarta; mens imprŏbi.

Prometheus ſublatum à Sole ignē per totam diſſeminauit tellurem. *Apodoſis*. Hac tempeſtate mundus plus habet fumi, quam ignis.

Theſeus Ariadnæ filo è Cretenſi labyrintho euaſit, ac de Minotauro triumphauit. *Apodoſis*. Sapiens prudentia duce ardua quæque ſuperat negotia.

Sirenum cantus taliter alliciebat, vt mortem afferret. *Apodoſis*. Sic Virginum illecebræ incautos iuuenes alliciunt ad necem.

Tres ſirenulæ Parthenope, Ligia, & Leucoſia Siculum littus incolentes, nautas præternauigantes in naufragium pellicebant, Vlyſſes autem cum illàc ſibi iter eſſet, ſociorum aures cera obturauit, ne inſidioſos ſirenum cantus audirent; & ſeipſum arbori nauis iuſſit alligari; ſicque tutus periculum euaſit. *Apodoſis*. Ne illaqueemur blandis Veneris inſidijs, quotieſcumque carnis illicia ſenſum titillant, ſtatim debemus arbori Crucis adhærere, ac Dominicam Paſſionem meditari; ſicque inſidias Veneris tuti euademus, nam vt loquitur D. Auguſtinus lib. Confeſſio. ad expellenda Veneris incitamenta nullum tam efficax pharmacum reperitur, quam meditatio Dominicæ Paſſionis.

Saturnus, quos edidit filios edit. *Apodoſis*. Tempus etiam deſtruit, quod compoſuerat.

Prometheus primum finxit ex luto hominem. *Apodosis*. Res fragilis, & vilis homo est.

Marzias cum Phœbo contendens cutem reliquit. *Apodosis*. Pugnare cum Superiore est periculosum.

Exterrent Leonem Galli cantus. *Apodosis*. Ediscant Principes, vel minimum populi tumultum metuere; vel ediscant maximi, vel minimas voluptates, hoc est sirenulæ blandulæ voces non admittere.

Magnum Orionem occidit paruus Scorpius. *Apodosis*. Magnus licèt sis; parua, ne contemnas.

Argus centum habuit oculos, vt iuuencam custodiret. *Apodosis*. Princeps mille scateat oculis non bouem, sed populum seruat.

Sanguineæ Medusæ guttæ infinitos genuerunt serpentes. *Apodosis*. Exigua verba sæpè magna parturiunt mala.

Pandoræ in vase remansit sola spes. *Apodosis*. Spes veniæ nunquam debet relinquere peccatores.

Iuppiter captus amore Europæ Tauri formam induit, ac mugijt. *Apodosis*. Profano amore succensus homo, sæpe à ratione degenerat.

Adonidem sui deplorando occidit modo. *Apodosis*. Talis est finis Amicorum Veneris.

Amphion lyræ sono Thebarum erexit mænia. *Apodosis*. Musica etiam saxea corda rapit.

Inter sydera emicat Astrea. *Apodosis*. Homines illam vident, sed longè distantem à terra, vbi rarò exercetur iustitia.

Lactea via ad Elysios campos, & ad Deos tutum erat iter. *Apodosis*. Sic puritatis candor ad Deum ducit.

Proserpina apud inferos liberè moratur, quia ibi imperium exercet. *Apodosis*. Alijs imperare est etiam inferis dulce.

Lethęi fluuij epota vnda memoriæ est naufragium. *Apodosis*. Sic voluptas cœli memoriam arripit.

Aureum pomum diffidij fuit radix inter tres Deas. *Apodosis*. Ferè omnium rixarum, bellorumque causa aurum est, aurique cupiditas.

Rosa Veneris flos statim putrescit, & solum seruat spinas. *Apodosis*. Veneris voluptas citò transit, & solùm læsæ conscientiæ relinquit dumos.

EXPEN-

EXPENSIO QVINTA.

Ponuntur plura emblemata iuxtà regulas ſupra aſſignatas.

POſtquam de præceptis emblematum dictum eſt, ſupereſt, vt praxi confirmemus, quæ ſupra diximus; ideò operæ pretium duxi nonnulla hîc ſubijcere emblemata; quæ allicere, & monere animos poſſint: emblematum inchoata ratio ſi ſpectetur, rudis potiùs fuit; hac verò tempeſtate vbi politiſſima floreſcunt ingenia, multiplici condecorata perfectione; emerſit Emblema ad oculorum, animique delicias. Nam vt arma primùm quidem rudia expediuit periculorum metus ad propriæ vitæ defenſionem, quæ deinde varijs expolire ornamentis Ars induſtrioſa cępit; ità emblematum prima initia, quaſi inculta nullam præſtabant amænitatem; modo verò magis exculta ſuauiùs ſenſum, animumque titillant: quia inſcriptio laconica eſt perfectior ideò vnico diſtico figuram, & figuratum ſi fieri poterit enucleabo; ſit igitur,

CEDENDVM EST SVPERIORIBVS, NE IPSI NOS CAEDANT.

Pingatur efflans *Boreas* in ſpecie faciei humanæ; ex vna parte annoſa frangatur *Ilex*; ex altera leuis flectatur *arundo*, ſed non frangatur: inſcriptio eſt ſubiecta;

Cede minor ſuperis: vento, quæ dimicat ilex
Frangitur: vt vincat flectit arundo caput.

SEMPER AVARVS EGET.

Pingatur *Tantalus* ad inferos detruſus, vbi vſque ad mentum Eridani fluuij merſus in aquis; & poma ſuper caput imminentia habens perpetua torqueatur fame, ac ſiti.

Si cupis immanes gazas, te fallis auare,
Es ſitiens medijs Tantalus alter aquis.

VOLVPTAS ETIAM FORTES ENERVAT.

Pingatur blanda *Venus*, quæ & armis, & veſtibus languidum præ amore Martem ſpoliet.

Corporis eneruat vires, animique voluptas.
Vt Martem ſpoliat Blandula amore Venus.

AMBITIO, QVAE AD ALTIORA ASPIRAT SEIPSAM TORQVET.

Pingatur *Ixion* volubili alligatus rotę, in qua perpetuò volutetur;

Ixion cruciat rapido, dum tollitur axe.
Sic dolet Ambitio, dum petit alta simul.

VOLVPTAS FVGIENDO VINCITVR.

Pingatur *Vlysses* arbori alligatus nauis, & super scopulum pariter delineentur blandæ *Sirenulæ* pulsantes canendo lyras.

Sirenum illecebras vinctus deuicit Vlysses,
Sed tu delicijs, ne capiare; fuge.

VERAM AMICITIAM DVRA PROBANT.

Pingatur *Lydius lapis* subniger, quo faber Argentarius fricando probet aurum.

Indicat incertos animos fortuna sinistra.
Vt signis aurum Lydius iste probat.

VIRTVS OPPRESSA PERFICITVR.

Pingatur *accensum funale* ex cera, ac sulphure compactum, quod expositum ventis magis ardeat, ac elucescat.

Opprimitur virtus, sed non extinguitur vnquam,
Vt magis à ventis fax agitata micat.

MODICA NON SVNT SPERNENDA.

Pingatur *Fabius Cincinnatus*, qui contemnens in lacte pilum, dum lacteum poculum ebibit, mortem per pilum subiuit.

Non desunt vni, ac tenui sua damna capillo.
Nilque boni modicum spernito, nilque mali.

INGRATIS BENEFACERE, EST OPERAM PERDERE.

Pingatur *Agricula* aratro scindens arenam maris.

Munera præbe viro grato: bene namque scelesto,
Qui facit, ingrato vomere littus arat.

FACILE' CADIT AMASIVS, SÆPE' AMATAM VIRGINEM INVISENS.

Pingatur *Papilio*, seù *Pyrausta* igneum circumuolitans lumen.

Dum sibi papilio indulgens circumuolat ignem
Igne perit: quod amas captus amore caue.

HEROICA VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR.

Pingatur *Vitis*, quæ amputetur ferro à Colono, vt magis succrescat.

Cæsa comis ferro succrescit lætiùs arbor.
Sic crescit virtus vulnere culta suo.

SÆPE PARVVM CRIMEN MAGNVM SECVM TRAHIT DAMNVM.

Pinga-

Pingatur *Statua* Nabuchidonozoris fracta à *lapillo*, qui è montis culmine ceciderat;

Nabuchi Statuam fregit de monte lapillus.
Crebrò causa fuit paruula noxa necis.

DIGNITATIS TITVLVS SINE VIRTVTE INANIS EST.

Pingatur *Carbunculus Gemma* lucis igneos radios emittens:

Nomen habet, non vim rutili carbunculus ignis.
Sic tituli plures nomen inane gerunt.

ANIMO HEROICO RES ADVERSAE EXERCITIVM PRAEBENT, NON EXITIVM.

Pingatur *Scopulus*, in quem tumidæ procellosi maris vndæ impingant, non tamen frangatur ab ipsis.

En manet immotus scopulus percussus ab vndis.
Fortunæ irridet mens generosa minas.

QVAE DIFFICILIVS MANDANTVR MEMORIAE, DIVTIVS HAERENT ANIMO.

Pingatur *Lapidicida* scalpro characteres sculpens duro in marmore.

Difficili ingenio signata fideliùs hærent;
Vt sculptas retinent marmora dura notas.

IVSTITIA AEQVALITER IN OMNES EXERCENDA.

Pingatur *Sol*, qui suos disseminans radios per totam tellurem æquè omnibus luceat.

Omnibus æqualis resplendet ab æthere Phœbus
Iustitiæ, sic lux omnibus vna micet.

NIMIVS PARENTVM AMOR, SAEPE FILIIS NOXIVS

Pingatur *Simia*, quæ amore capta proprij partus taliter eum stringit in sinu amplexibus, vt suffocet;

Amplexu occidit dilectum Simia partum.
Sic prolem nimio perdit amore parens.

FORTVNA, QVOS FOVET, SAEPE ENECAT.

Pingatur alta *Vlmus* sine folijs per cuius ramaria serpat tenax hedera.

Suffocant hederæ strictas amplexibus vlmos.
Sic fortuna viros, quos fouet ipsa necat.

VERBA SEMEL DICTA AMPLIVS NON REVOCANTVR.

Pingatur Iuuenis, qui neruosa manu *Lapidem* in distantem locum proijciat:

Non

Non reuocatur iter lapidis, quem dextera iecit,
Nec reuocat verbum lingua proterua suum.

PVDICITIAE LILIVM INTER SPINAS CILICII CVSTODIENDVM.

Pingantur dumoso in campo cadicantia, ac vernantia *Lilia*;
Candidiùs florent dumosis lilia in aruis.
Seruari hàc poterit, si lubet, arte pudor

OPVS PERFECTIVS DIVTIVS MATVRANDVM.

Pingatur *Elephas* suum parturiens fœtum postquam in aluo decem annis perfecerit;
Vix Elephas partum decimo progignit in anno.
At dignus tanto tempore partus erit;
Omnia mature gere, nam properatio lædit.
Perfice cuncta diù, quæ pretiosa voles.

FESTINANDVM LENTE'.

Pingatur fluuiatilis *Cancer* chelis volitantē retinens *Papilionē*:
Festina lentè non est mora figere gressum.
Sat citò res gesta est, si benè gesta fuit.

PLVRA AVDIRE LICET, QVAM LOQVI.

Pingatur *Caput humanum*, constans ex vnico ore, sed ex duplici aure,
Os vnum natura, duas tibi condidit aures;
Audire, vt discas plurima, pauca loqui.

VOLVPTAS ALLICIENDO VVLNERAT.

Pingatur *Examen apum* propè aluearium in puerorum manus mel effundens, easque pungens;
Hyblæas imitatur Apes fugitiua voluptas;
Mel fundit, tacito vulnere pungit, abit.

MVLIERVM FORMOSITAS DEFORMIS EST.

Pingatur *Mulier* ante speculum, minio, ac cerussa sibi vultum pingens,
Vultus deformes minium, ac cerussa fatentur:
Scilicet abscondi, non nisi fœda solent.

EST SEMPER IN DEO SPERANDVM.

Pingatur *Pandoræ Vas*, in quo ex Deorum muneribus sola spes remansit.
Vnica spes versà Pandoræ in pyxide mansit:
Hanc animo semper, vel moriendo tene.

PRIN-

PRINCIPEM DECET VIGILANTIA.

Pingatur *Argus* centum ſcatens oculis à Iunone conſtitutus ad cuſtodiam *Ius* Inachi filiæ; quam Iupiter in iuuencæ formam commutarat.

Vix oculis centum Io cuſtoditur ab Argo.
Non ſunt principibus lumina mille ſatis.

PERICVLA INVENIT, QVI AVRVM QVAERIT.

Pingatur *Argi Nauis* in tumido procelloſi maris ſinu, agitata ab vndis.

Argus Phryxæum per mille pericula Vellus
Quæſijt. Aurum aliter quærere nemo poteſt.

VITIVM POENITENTIAE TELO CONFODIENDVM.

Pingatur *Hercules* claua, & igne ſeptena Hydræ capita reſecans.

Argolicà illicijs vitium eſt crudelius hydrà.
Ni ferro iuuenis vincere, & igne poteſt.

IMMODICVS PARENTVM AMOR SAEPAE FILIOS PERDIT.

Pingatur *Phaëton* ſuper Solis quadrigam, qui laxatis equorum habenis ſimul cum Sole in Padum fluuium ruat.

Dum pater indulget Phëtonti; occidit amando.
Noxius eſt ſoboli ſæpè parentis amor.

ANXIA CVRA SERVANTVR OPES.

Pingatur oculatus *Draco* in Heſperidum horto peruigil in cuſtodiendis aureis pomis.

Aurea poma vigil cuſtodit bellua curis.
Anxia, ſic hominum cura tuetur opes.

VERA GLORIA LABORIS EST FILIA.

Pingatur *Hercules* iugulati Leonis indutus pelle.

Alcides cæſi veſtitur pelle Leonis.
Clarior, & virtus nata labore nitet.

VIRTVTVM CONCENTV EXTRVENDAE SVNT VRBES.

Pingatur *Amphion*, qui argutis digitis citharam percutiens ſaxa ad ſe trahat, ac Thebarum mænia conſtruat.

Conſtruit Amphion Thebarum mœnia cantu
Sic vrbes virtus condere blanda poteſt.

EMOL.

EMOLLIT VINVM PRAEDVRA CORDA.

Pingatur *Bacchus* super quadrigam varijs intextam racemis pampineis habenis, & tygres trahentes currum, moderans.

Pampineis Bacchus Tygres moderatur habenis.
Sic facilè cedunt pectora dura mero.

QVOD NATVRA NEGAT ARTIS INDVSTRIA EST COMPARANDVM.

Pingatur *Dædalus* ascititijs, ac fabrefactis alis per aëra volitans cum Icaro filio, vt è Creta fugeret.

Tollitur in altum compactis Dædalus alis.
Quod natura negat sedulus arte parat.

PVDICITIAE IACTVRA VBIQVE EST TIMENDA.

Pingatur *Europe* Agenoris Phœnicum Regis filia, rapta à Ioue in bouem transformato; nempè pingatur Europe super bouem tranantem mare.

Europè ignoto cùm Tauro ludere fleuit.
Ne pereat; discat cuncta timere Pudor.

CONCORS AMOR FRATRES SIMVL VNIT.

Pingatur *Gerion* Gigas triplici corpore.

Fabula Gerionis tria corpora iunxit in vno.
Sic amor in frartes iungere corda potest.

IMPVNE NON ASPICIT, QVI NVMINA DESPICIT.

Pingatur *Salmoneus* Rex Elidis, qui structo æneo ponte, vt Iouem tonando, & in iaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulminatus ad inferos detrusus est.

Vibratis Numen cadit Salmonea telis.
Sacrilegi impunè haud vult Deus esse scelus.

AVRAM SEQVITVR, QVI AVRVM QVAERIT.

Pingatur *Ixion*, qui nubem Iunonis effigiem preferentem insequatur.

Ixion nubem sequitur Iunone relicta.
Sic auri cupidum decipit aura virum.

MVLIERIS FORMA DEFORMES SÆPE EXCITAT RIXAS.

Pingatur formosissima *Helena*, pro qua inuicem pugnent *Graij*, ac *Phryges*, multo hinc inde effuso cruore.

Pro forma certant Helenæ, Graijque, Phrygesque.
Virginis, & rixas causat imago necis.

DECET

DECET PRINCIPEM INSONTES TVERI.

Pingatur *Andromede*, quæ ob matris iactantiam, quæ se Nereidas formâ antecellere gloriabatur à Nymphis scopulo fuit alligata, ac ceto deuoranda exposita, sed Persei virtute liberata, qui fortuitò illàc enauigans cetum interemit. Delineetur igitur Perseus soluens catenas, quibus & vincta, & victa à ceto hærebat scopulo Andromede.

Perseus Andromedam seruat, dum vincula frangit.
Seruare insontes Principis esse puta.

FINIS AMORIS AMARVS.

Pingatur *fluuius Padus* è sinu Vesuli montis celsissimum in cacumen elati profluens floribus, ac pubescentibus herbarum smaragdis marginatus, qui post longum cursum per aruorum amæna; tandem in mare deuoluatur.

Principium fluuij dulce est, at finis amarus,
Dulcis amor surgat, finis amarus erit.
Illicijs mulcet iuuenes; sed retia tendit,
Læta venire Venus, tristis abire solet.

FIDES E DIFFICVLTATVM LABYRINTHO EMERGIT

Pingatur *Thesæus*, qui Ariadnæ filo Cretæ labyrinthum ingressus Minotaurum enecet.

Rexit, vt errantis Thesei vestigia filum
Virginis. Humanum, sic genus vna fides.

SCELVS SCELERI VIAM EMOLLIT.

Pingatur *Pueri*, qui brumali tempore niueum globum voluant, vt grandescat magis;

Rumor rumores, errores parturit error,
Vt niuis exiguus crescit eundo globus.

IVSTVS IN TRIBVLATIONIBVS PERFICITVR.

Pingatur *Linum*, quod dentato ferro, ac ferreo dente torqueatur, ac laceretur, vt magis perficiatur.

Vt ferrum linum, sic tribulatio iustos
Perficit; est curis vera probanda fides.

DIV DVRANT, QVAE TENERIS MENTIBVS DISCVNTVR.

Pingatur *Puer* sculpens teneri arbusti in cortice characteres, qui crescant crescente arbore.

Heù malè diluitur teneris, quod mentibus hæsit.
Vt seruat sculptas arbor adulta notas.

ANIMO FORTI INVIA NVLLA VIA EST.

Pingatur *Hercules* ab inferis redux:

Alcides rediјt domito rediuiuus ab orco
Inuictis animis, inuia nulla via est.

RAPITVR NON ASCENDIT AD HONORES VIRTVOSVS.

Pingatur formosissimus, ac innocens puer *Ganymedes*, qui iussu Iouis ab aquila in cœlum asportetur.

Formosum puerum Cœlos Iouis, intulit ales.
Sic castos rapiunt Numina ad astra viros.

NEMO EX OMNI PARTE TVTVS.

Pingatur *Achilles* inuulnerabilis, vulneratus tamen in talo à Paride, vbi non fuerat mersus in vnda:

Percusso cecidit talo grandeuus Achillis
Ex omni tutum est deniqúe parte nihil.

AVRO FACILIVS VINCITVR, QVAM FERRO PVDICITIA.

Pingatur *Atalanta* in ipso cursu se inclinans humum, vt obiecta ab Hippomene poma aurea rapiat; & interim Hippomenes precurrat:

Hippomenes pomis Atalantam vicit, & auro.
Non solum hæc auro capta puella fuit.

SAPIENS VBIQVE TVTVS.

Pingatur *Arion* à Delphino per æquora vectus;

Aequora Delphini obsequio transfertur Arion.
Ingenio sapiens tutus, vbiqúe suo est.

AMOR PROPRIVS PLVRES PERDIT.

Pingatur *Narcissus* formosissimus puer in fonte propriam speculans imaginem, cuius amore captus se in vndas proijciat.

Exarsit propria Narcissus imagine captus.
Sæpè sui nimio stultus amore perit.

VITIVM PER OCVLOS ANIMVM EXPVGNAT.

Pingatur *Gorgonis caput*, cuius crines in angues à Minerua mutati, quos aspiciebant in saxa vertebant.

In saxum riguit, quem viderat horrida Gorgon,

Sic

Sic perdit meretrix, quos videt ipsa viros.

CONSILIO, ET ARMIS EST PVGNANDVM.

Pingatur *Pallas* scientiarum Dea, hasta, ac clypeo obarmata:

Consilio celebris Pallas laudatur, & armis;
Nam sine consilio sapiùs arma nocent.

DIFFICILE FLECTVNTVR HOMINES AD VIRTVTEM

Pingatur *Deucalion* lapides retrò iaciens, ac ex lapidibus homines procreans.

Deucalion lapides hominum noua semina iecit;
Inde hominum durum, quis neget esse genus.

SVSPECTA AB HOSTE SEMPER DONA.

Pingatur *Equus Troianus* ingenti plausu exceptus à tota vrbe, sed à quo postea militum exeat exercitus, vrbemque deuastet:

Troes equum læti accipiunt, sed funera cernunt,
Sic hostis semper munera crede mala.

PRETIOSA VIGILI CVRA SVNT CVSTODIENDA.

Pingatur in Hesperidum horto oculatus *Draco* ad custodiam malorum aureorum.

Aurea ab insomni seruantur poma Dracone:
Sedulò custodi, quæ pretiosa putas.

SVPERBIAE VINDEX EST COELVM.

Pingatur *Iupiter* contra Gigantes fulminans:

Iupiter occidit Titanas fulminis ictu,
Impunè in Superos prælia nemo mouet.

EXPENSIO SEXTA.

De Emblemate mixto, seù non explicato carmine.

QVia Emblema limpida gaudet claritate fulciri occurrit aliquando, ità clarè esse delineatum, vt solo schemate explicetur, nec indigeat carmine illud dilucidante, sed per se ipsum pateat, ac quadam suauitate adstantium animos perfundat. Hæc autem species emblematum vocatur *Mixta*, quasi coalescat ex emblemate, ac phrenoschemate; videtur namque participare de natura vtriusque symboli; conuenit cum phrenoschemate, quia super sculptam, vel pictam figuram habet emistichium alludens ad figuram subiectam; conuenit cùm emblemate, quia res

significata per rem significantem; seù per figuram; semper est aliquod documentum morale.

Vt hæc emblemata plurimùm habeant aucupij amæna aliqua eruditione sunt vestienda; & schema dilucidans figuram debet esse argutum includens aliquam æquiuocationem; vel se debet habere per modum sententiæ moralis. Historia ad componendam figuram; & firmis veluti adminiculis sustentandum emblema plurimum obtinet dignitatis, ac roboris, nam historiæ vis in alliciendis, ac demulcendis animis est admirabilis, ex qua efficitur (quod ait Diuus Gregorius Nazianzenus in carm. ad Nicobolum) *Vt vnius hominis mens, ex omnium mentium, & sæculorum perfectione, in vnum sapientiæ aceruum coalescere videatur. quid diuinius, quam omnia nosse, quam disiunctissimas regiones velocissimi syderis more lustrare? quam omnium ætatum memoriam, res gestas, facta, exempla percensere? quam imperiorum status, ortus, progressus, vicissitudines, decursus, exitus, vno mentis aspectu contemplari? quid illustrius quam regendi, militandique disciplinam, clarissimarum virtutum effigies, in vnam veluti tabulam congestas inspicere? præterita cum præsentibus comparare? alieno damno sapere, salutaria inde præcepta ad omnem vitæ culturam decerpere?* Cum igitur tanta sit historiarum vtilitas; vt & animos mulceat, ac doceat; optimum erit ex ipsis emblematum figuras construere?

Apologi etiam, ac res naturales in figuris emblematum exprimendis aliquid habent dignitatis. Thesaurus vt alluderet illis, qui imbecilles audent contra fortiores arma tractare, pinxit dormientem *Herculem*, quem circumdabat *pumilionum turba*, tentans illum funibus vincire, ac vincere hoc lemmate, *Volunt, non valent*, quam figuram desumpsit ex embl. 58. Andreæ Alciati. Alludens ad illos, qui vitijs denigrati, ac correctionem audientes non corriguntur, pinxit *Aetiopem* sedentem super marginem limpidissimi fontis, quem tentant alij duo homines multa aquarum effusione lauare hoc schemate, *Allues non ablues*. Et alibi alludens ad illos Principes, qui à proprijs subditis, ac seruis insectantur pinxit Actæonem, qui à Diana in ceruum conuersus à proprijs canibus dilaceratur, cui scomma est, *Quos Pauit pauet*, hoc est, quos percussit timet. In alio emblemate ad significandum in magnis negotijs esse festinandum lentè, & nimiam celeritatem

per-

persæpè negotia perdere pinxit *duos equos*, qui laxatis habenis in præceps rapiuntur, hoc lemmate. *Quod prapes preceps*. Ad exprimendos Aulicos, qui auri pretio libertatem perdunt, pinxit Aristippum aureis vinctum pedicis, hoc schemate, *Ditior, sed impeditior*, quam figuram Alciatus desumpserat ex apophtegmate Diogenis, contra Aristippum. Ob symbolum suasionis pinxit Herculem Gallicanum aureis catenis adstantium animos vincientem hoc lemmate, *Vi Sua-Vi*, hoc est *vi suaui*. Et tandèm ad exprimendas Veneris illecebras, pinxit super scopulum maris blandas syrenulas lyras pulsantes hoc hemistichio, *Vorant, quos vocant*.

Quia amænam eruditionem præstant hæc symbola, & vt ait D. Augustinus magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens, ideò nonnulla subijcio emblemata mixta.

Liberalium artium disciplinæ animum pacatum desiderant.

Pingatur speculum, cuius cristallus si nitida sit inspicientis imaginem reddat, secùs verò si sit offuscata; sic Sapientiam vitiatus animus nequaquam potest repræsentare.

Fortuna detonat infrà verticem sapientiæ.

Pingatur Olympus montium Rex, cuius caput serenitate fruatur, eius tamen sinus obnubilatus, vibratis fulminibus dilaceretur.

Voluptas fugiendo vincitur.

Pingatur Parthorum aliquis miles, qui fugiendo sagittas euibret, hostemque confodiat, nec enim fuga Parthis est timoris partus: sic castitatis pugil non aliter Venerem vincit, quam fuga; & ideò vincit, quia fugit.

Mors, & Mars cognata nomine æquo iure in bello regnant.

Pingatur Libithina, quæ exangui sua manu stolonem cupressus lauro inserat. Teste Plinio Laurus facilè cupressu inseritur; hæc est symbolum Mortis, illa Martis.

Magnis non sunt terrori, nec formidini minæ, ac latratus.

Pingatur impauidus Leo in specu ex vna parte; Canum adlatrantium grex ex alia.

Exercitium animum doctum facit, ac illustrem.

Pingatur vomer aratri, qui eo splendescit magis, quo magis in arando exercetur; agri cultura facilè transfertur ad animi culturam, nam fæcundus naturà ager fit arte fęcundior, fęcunditas

enim partim in soli bonitate, partim in eius cultura est constituta; ager, siuè hortus animus est; cultura, eruditio; coloni, præceptores; flores scientiæ; virtutis lumina fructus immortalitatis.

Consilia omnia tamdiù tuta, quamdiù tecta.

Pingatur Arbor, cuius radices ab humo euulsæ exanimentur.

Principes, ac magni, nisi cùm deficiunt spectatores habent.

Pingatur Sol in eclipsi, cum magna inspicientium frequentia.

Facilè excitantur rixæ, difficilè extinguuntur.

Pingatur grande incendium, ad quod extinguendum desatigentur multi.

Nil citiùs pulchritudine consenescit.

Pingatur Hortulus Occidente sub Sole occidens.

Humana omnia opinione constant.

Pingantur nonnulli Indi subnigro in vultu colore, qui saccum exonerent auro, & rudem illam telam tanquam thesaurum secum asportent, relicta in littore pretiosa pecunia.

Fortitudo sibi munimentum est.

Pingantur Spartani milites, Spartam sine mœnibus cingentes.

Voluptas in fronte blanda, in recessu horrida.

Pingatur Siren blandè argutis digitis, citharam pulsans, alliciendo, vt enecet.

Inutiles sunt sæculi labores.

Pingatur Sisyphus ingens saxum super montis verticem circumuoluens.

Cum ingenijs odio enutritis, non est tuta consuetudo.

Pingatur Martialis ille Leo, qui ingrato dente læsit magistri manum.

Non sunt omnia in vnū congerenda beneficia, ne nimiùm insolescat.

Pingatur beneficus Sol nimium vaporem extollens, qui deinde concretus in nubem serenitatem abripiat, ac benefactorem Solem obscuret.

Nullum ab insidijs mortis securum iter.

Pingatur Puer iugulatus à cadenti è tecto stiria, hoc est tenui aqua frigore concreta.

Qui frigidè scribit, diù victura non scribit.

Pingatur manus imprimens characteres in gelu feruenti exposito Soli.

Non semper magistri virtute imbuuntur discipuli.

Pin-

Pingatur Dædalus aſcitiſſijs alis per aëra volitans, & poſt illum Icarus, qui altiùs propè Solem euolans liquefactis alis in mare ruat.

Tenera adoleſcentia seriò curà colenda.

Pingatur tenerum plātarum nemus aquarum riuulis irrigatum.

Nulla dignitatis purpura moleſtijs, ac curis eſt vacua.

Pingatur Roſetum roſis ſimul, ac ſpinis coronatum.

Tenera ætas durè eſt accipienda, vt duris aſſueſcat.

Pingantur Lacedemoniæ matres ſuos verberantes pueros, Dianæ, ac Mineruæ ad aras.

Pingit non fingit hiſtoria.

Pingatur Pictor, qui extrahat à prototypo typum.

Furtum non relinquit impunè cælum.

Pingatur Prometheus ad rupem Caucaſeam alligatus, āc ab Aquila dilaceratus.

DE PHRENOSCHEMATIBVS

Quæ vulgò Impreſiæ dicuntur.

INoleuit tam varia opinionum ſeries in tradendis regulis perficiendi phrenoſchemata, quæ vulgò impreſiæ dicuntur, vt pleriqùe ſcriptores huic inſtituto potiùs nocuerint in frequentiſſimos errores impingentes, quàm opem attulerint: nam veræ ſcientiæ deſtituti viribus minutias quaſq; putidiuſculè, ac perperàm, vel arguunt, vel defendunt: & certè videretur res ridicula, niſi ad nauſeam potiùs, quam riſum prouocaret, videre tam ingentem numerum Scriptorum, vt in ipſis verificetur adagium illud, *Quot capita, tot ſententiæ*, quod enim commendatur ab vno; vt perfectum ſtatim reijcitur ab alio, tanquam huius inſtituti pergraue peccatum; ità vt nullum phrenoſchema ſit hùc vſque impreſſum, quin aliquis ex hiſce auctoribus ſatyrico dente momorderit; quale enim Phrenoſchema maiorem obtinuit plauſum illo Ludouici XII. Franciæ Regis? vbi pingitur Hyſtrix vndique dumos euibrans hoc lemmate *Eminùs, & Cominus*, deſumpto ex 4. lib. Lucani, *Sic vndique ſepta iuuentus*, COMINVS *obliquis*, ET *rectis* EMINVS *haſtis*. Ad ſignificandum, quod Rex

Ludo-

Ludouicus *Eminùs, & Cominùs* ſuos feriret, ac debellaret Hoſtes: & tamen quis crederet hoc idem Phrenoſchema, quod ferè ab omnibus fuit exceptum vt perfectiſſimum, & Emanuel Theſaurus illud poſuerit, vt perfectam Phrenoſchematis ideam, & inter perfectiora Phrenoſchemata in Principe collocarint ſede Barcaglius, Iouius, Ruſcellius, & Capaccius: modo hoc idem Phrenoſchema reijcitur, vt imperfectum ab Hercule Taſſo, & tacitè illud condemnant Guazius, & Chiocchius ponentes inter conditiones neceſſarias profecti phrenoſchematis duplicem figuram, & cum in hoc, niſi vna ſit ſecundum hos auctores eſt imperfectum, quod abſit: nam vt videbimus infrà nullum hùc vſque impreſſum fuit phrenoſchema: quod tantas includat perfectiones, vt iſtud: quia igitur huius inſtituti ſcriptores inter ſeſe diſcrepantes incertum callem videntur currere, ac Dædaleum potiùs conſtruere labyrintum; in quo Ariadneo filo deſtituti implicatiores videantur ipſo Theſeo; operæ pretium duxi perfectiores regulas hic perſtringere, veramque eſſentiam phrenoſchematis dilucidare.

EXPENSIO SEPTIMA.

De Nomine Phrenoſchematis, vulgò Impreſiæ.

LIcèt nominis cognitio, vt ſophorum locuntur claſſes in quocunque quæſito debeat præſupponi: attamen in hoc inſtituto non ità res ſe ſe habet; quia Phrenoſchemata elapſo dumtaxat ſæculo orta, ac in lucem edita, quaſi adhùc pubeſcentia, nulla, huc vſque latinè ſtabilis nomenclatura videtur ipſis ineſſe.

Alij Græcè ea vocarunt *Heroglypta*; hoc eſt *Heroicum ſculptile*, ad diſtinctionem *Hiroglypti*; quod ſignificat *Sculptile arcanum*; hoc tamen nomen non videtur admittendum; quia etiam *Hieroglyphica*, ſunt conceptus heroici ſculpti, vel in obeliſcis, vel in clypeis. Et Aegyptij conceptus ſuos ſymbolis, Aenigmatumque velis adumbrabant, ne in plebeorum hominum ſenſus, intelligentiamque peruenirent; vndè *Hieroglyphica* ſculptis rerum, animaliumque figuris ſignificantia conceptus mentales inuenere; deindè; vt fatetur Olaus Magnus lib. 1. cap. 21. etiam in vſu fuit populis Septentrionalibus exprimere mentis conceptus per animalium figuras, ſculptas, vel in marmore, vel in ligno, ait ipſe

Non-

Nonnulli pro priuatis computis instar Aegyptiorum varijs animaliū figuris pro literis vtebantur: quibus cum dicta sapientum præclara, & sententiæ exprimantur, euenit, vt in animos instillentur iucundiùs, quo submoto, quasi obscuritatis velo detecto repentè lux emicare videatur: vndè hæc vox *Heroglyptum*, quatenus significat conceptum mentis expressum per aliquam sculptam figuram, vel animalium, vel alicuius rei sensibilis est potiùs vox generica conueniens tam *Hieroglyphicis*, quam *Phrenoschematibus*, ac *Emblematibus*.

Emanuel Thesaurus termino complexo ea vocauit *argumenta heroica*, seù *symbola heroica*, eo quod phrenoschemata sint argumenta fallacia vrbana, quod probat ipse in Phrenoschemate Ludouici XII. in quo videtur sculpta Hystrix sua vndequaque euibrans dumeta hoc hemistichio *Eminus, & Cominus:* ait ipse, *Quod ferit Eminùs, & Cominùs* est *Hystrix; sed Ludouicus ferit eminùs, & cominùs hostes suos; ergo est hystrix*, quod argumentum est fallax, & poëticum, sed vrbanè concludens. At etiam quælibet argutia, vt ipse fatetur est argumentum fallax, & vrbanum: & tamen non est phrenoschema: ait enim ipse. Argutiæ spectant ad tertiam operationem intellectus, nempè discursum, atq; adeò argutiæ sunt argumenta heroica, nam; Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; si igitur rosa, & minium fucatæ mulieris sunt idem cum colore rubro; ergo minium est rosa, quæ tamen est simplex metaphora similitudinis, & fieret argutia, si inuestigarem non causam pro causa tali pacto: *Ne mireris, si virguncula illa rosas nutrit, & colit in genis; in vere est sua iuuentutis;* quæ argutia est argumentum ab effectibus, sed tamen fallax tali pacto; Vbi enascuntur, ac apparent flores, ibi est verna temperies, sed per metaphoram similitudinis in genis virgunculæ apparent rosæ: ergo ibi est verna temperies: cum igitur argutiæ per eundem Thesaurum sint argumenta heroica; & omnes argutiæ non sint phrenoschemata; sequitur; quod hic terminus complexus nempè *argumentum heroicum* non sit proprium vocabulum expressiuum phrenoschematum. Tum quia etiam argumenta Theologica, seù Philosophica, quando subtiliter, ac neruosè probant dicuntur heroica. Tum quia hæc vox, vtpotè complexa non esset perfecta.

Hercules Tassus pag. 266. ait hoc genus symbolorum esse vo-

candum *Impresiam* à verbo *imprimendi*, eo quia Italicè communiter vocentur etiam impresiæ: at si deberent vocari *Impresiæ*, eo quia *imprimantur*; etiam *emblemata*, *Hieroglyphica*, & cætera Symbola imprimuntur; atque adeò etiam deberent dici *impresiæ*, quod non admittitur; deindè si hæc vox oriretur à verbo imprimendi, nec etiam deberent dici *Impresiæ*, sed *impressæ*: hoc est Symbola impressa, quia supinum verbi *imprimendi* est *impressum* non *impressium*; sed posset respondere, esse vocem corruptam; hoc tamen gratis asseritur; nisi assignentur classici auctores, qui latinè hac vsi sint voce.

Alij ea vocarunt *Stemmata* forsan à causa formali, quia pingebantur super telas, vel quia sculpebantur super marmora, at an laboret æquiuocatione hæc vox facilè patet; primò quia proprijssimè *Stemmata* significant coronaměta ex collectis floribus compacta; & secundum alios imagines maiorum, quæ in atrijs ponebantur, & quamplures huius vocis nomenclaturam sibi vsurparunt, ad significandum inscriptiones insculptas saxis; fateor etiam non deesse alios, qui Heroum facinora, ac præclara gesta Stemmata etiam appellent.

Alij denique *Symbola* voluerunt dici, quæ vox est etiam æquiuoca. Primò accipitur pro eo, quod in cœnam comparandam plures conferunt. Terent. in Andr. *Symbolum dedit*, hoc est *cœnauit*. Secundò dicitur *Symbolum signum bellicum*, quod à Latinis *Tessera* appellatur, quo signo socij ab hostibus, & exploratoribus dignoscuntur: vt Marij in exercitu *Lar Deus*: in Castris Siyllæ *Apollo Delphicus*: & ab huius similitudine *Symbolum* Apostolorum dictum est quoddam, quasi breuiarium totius nostræ fidei, quo veluti quadam tessera Pseudo Apostoli à veris discernerentur. Tertiò, quia Iulius Pollux interpretatur Symbolum *paruum numisma*. Quartò, Aristoteles originem, ac ethimologiam vocabulorum *Symbolum* etiam appellat. Quintò, licet ab aliquibus *Symbola* etiam dicantur *notæ* arcanioris, cuiusdam mysterij significatiuæ: vt cum *Ciconiam* dicimus esse symbolum Pietatis; *Lilium* Puritatis; *Rosam* Charitatis; *Serpentem* Prudentiæ; *Leonem* magnanimitatis; & secundum alios plures symbola etiam dicantur breues quædam, ac inuolutæ sententiæ, & quædam quasi ænigmata rem aliquam occultam, ac reconditam significantia, vt sunt symbola pythagorica. Attamen respondeo, quod etiam hieroglyphica,

glyphica, & emblemata possent dici talia symbola; Quamobrem reiecta hac sententiarum varietate concludo has compositiones, quæ Italicè *imprese*, & vulgò impressæ vocantur, *Phrenoschemata* esse potiùs appellandas; quæ vox à pluribus recensioribus, ac à clarioribus Academijs Italiæ pro eodem significato vsurpatur, & licèt nomina sint ad placitum, vt fatentur Dialectici, ac vsus potiùs, quam ratio nomina imponat rebus: attamen assignanda est aliqua ratio, cur potiùs hac voce, quam supradictis reiectis, sit hæc compositio vocanda.

Dico igitur phrenoschema significare mentis speciem, seù formam, quam mente effingimus, quę à Philosophis Idea, seù expressio obiecti vocatur: quia verò istæ imagines iam alijs nominibus vocantur *Ideæ*, *Idola*, ac *verba mentis*, meritò *Phrenoschema* potest vsurpari ad significandam ipsam, quam vulgò aiunt *Impressam*: quia hæc, vt videbimus infrà, nihil aliud est, nisi mera similitudo, seù argumẽtum poëticum deductum à simili, & fundatum super illud axioma Aristotelicum poët. cap. 20. *Sicuti se habet secundum ad primum, sic quartum, ad tertium*, vt res clarior elucescat sumatur phrenoschema Ludouici XII. scilicet Hystrix suos euibrans dumos hoc lemmate *Eminùs*, *&* *Cominùs* iam habemus quatuor terminos; duos in re significante *Hystricē*, *&* *dumos*: & duos in re significata, *Ludouicū Regem*, *&* *eius Arma*, quibus hostes ferit *Cominus*, *&* *Eminus*, hi termini inuicem sibi correspondent, quia sicut spinæ sunt arma hystricis, sic arma sunt spinæ Ludouici, quibus ferit eminus, & cominus: quid igitur est hoc phrenoschema, quam perfecta similitudo hystricis cùm Ludouico?

Neque valet dicere etiam omnes imagines, seù similitudines posse dici phrenoschemata. Quia phrenoschemata sunt tantùm similitudines metaphoricæ, ac poëticæ, physicè enim hystrix nullam dicit similitudinem cum Ludouico Rege, vt pictura Cæsaris, cum ipso Cæsare: deindè neque similitudines specificæ erunt dicendæ phrenoschemata, quia istæ similitudines fundantur in eodem genère, ac eadem differentia, & solùm indicant distincta subiecta indiuidualiter, vt sūt Petrus, & Paulus similes in animalitate, & rationalitate: secùs similitudo metaphorica est solùm inter indiuidua distincta specificè, vt est inter hystricem, ac Ludouicum Regem.

Respondetur secondò, neq; ex hoc sequi, quod omnia illa, qui-

bus, poteſt tribui hæc etimologia, ſtatim fiut *Phrenoſchemata*, quia aliud eſt Etimologia, & aliud definitio, certò certiùs eſt definitionem, non conuenire niſi rei Definitæ, non iam etimologia; nam *lapis* dicitur, quia *lædit pedem*, nec tamen omne, quod lædit pedem dicitur lapis; etiam ſpina punxit pedem Veneri, & tamen ſpinæ non dicuntur lapides: dicuntur igitur phrenoſchemata, quia ſunt ſimilitudines metaphoricæ, & phrenoſchema ſignificat ſimilitudinem inter duo diuerſæ ſpeciei, vt eſt ſimilitudo metaphorica; vndè nullo alio vocabulo poterũt æquiùs appellari, quam *Phrenoſchemata*.

Neque hoc vocabulum eſt æquiuocum, ità vt ſignificet etiam Hieroglyphica, & Emblemata, quia Hieroglyphica ſunt potiùs ænigmata, ſcilicet figuræ animalium ſculptæ ad exprimendum dumtaxàt conceptum mentalem; neque dicunt metaphoricam ſimilitudinem, cum aliquo duce, ſeù heroe, ſed illorum finis eſt tantùm exprimere conceptum mentis, mediante aliquo figurato ſenſibili: quo pacto ſapientes Aegyptij ænigmatum velis ſuas adumbrabant ſententias, ne in plebeorum hominum intelligentiam accederent.

Vndè, & in ſacris literis multa traduntur in parabolis; cuius rei diſertam adducit rationem Origenes ſup. Luc. hom. 1. *Sicut in nouiſſimis diebus verbum Dei ex Maria carne veſtitum proceſſit in hunc mundum; & aliud erat quod videbatur in eo: aliud quod intelligebatur, carnis namq; aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur veritatis agnitio*: tali pacto Aegyptij ſuos exprimebant conceptus, vt talis imago ſuauiùs ſenſum titillaret; nam vt ait Diuus Auguſt. epiſt. 119. *Quemadmodum multa per vitrum, aut ſuccinum pellucent iucundiùs, ità magis delectat veritas per imagines, & ſymbola collucens*: nec ſignificat emblema, quia hoc dumtaxat exprimit documentum morale mediante figura ſenſibili.

EXPENSIO OCTAVA.

De Origine Phrenoſchematum.

Mirùm non ſit, ſi huius inſtituti ſcriptores talitèr inter ſe ſe opponuntur, vt Palladis in area videantur potiùs pugnare, ac oppugnare phrenoſchemata, quam illorum regulas dilucidare;

dare; quia hæc ſymbola cum clypeis in bello nata, diſſentiones, ac pugnas non poterant nõ excitare: omnes enim primam phrenoſchematum patriam bellicos fuiſſe clypeos; in quibus inſculptę cernebantur figuræ aſſerunt; quapropter Plinius ſecundus aſſeuerat clypeos non eſſe, ſic dicendos à *cluendo*, hoc eſt à lumine, ac ſplendore perpoliti, ac terſi calybis, at vult dici clypeos à *glypton*, quod ſignificat *ſculptile, figuratum*. Magnifica in primis fuerunt vexillorum, clypeorumque ſymbola, qualia ſunt, quæ apud Aeſchylum in tragedia de ſeptem ad Thebas commemorantur, & ab Homero, ac Virgilio in heroum clypeis deſcribuntur.

Herodotus huius rei Authores facit Cariſcę gentis equites, ac milites, qui in clypeis primi inſculptas geſſere varias figuras, ait ipſe, *Cariſcæ gentis hominibus, qui illis temporibus claruerunt ingenioſiſſimè numerantur tria inuenta, quippè, Galeis, criſtas imponendas primi oſtenderunt, Cares clypeis ſigna adiunxerunt. poſtremò lora quoque ſcutorum excogitarunt*; & hunc morem ab heroicis ductum temporibus poſteri conſtantiſſimè retinuerunt, præſertim Romani Duces fulgetra gerebant clypeis inſculpta, quapropter vna ex Romanis legionibus fulminatricis nomenclaturam obtinuit; iuxtà illud Oratij lib: 6.

Cuncta phalanx inſigne Iouis cælataque geſta,
Tegmina diſperſos trifidis ardoribus ignes.

Silius ait magnos Duces ſculpere conſueuiſſe in clypeis præclara ſuorum maiorum geſta, & de quodam Scæuola, ait, *Scæuola, cui diræ cælantur laudis honores effigit clypeum*; & de Scipione Africano ait, *Terribilem oſtentans clypeum, quo patris, & vna, celarat patrui ſpirantes prælia dira effigies*: & de duobus equitibus, qui fortitèr expugnarunt hoſtes in libro de bello Hiſpanico ſic habetur; *Cum ad dimicandum in planitiem ſe contuliſſent ſcutorumque laudibus inſignibus præfulgens opus cælatum*. Agamemnonem Ducem fatentur hiſtoriæ ſculpſiſſe in clypeo *Leonis caput*, hoc lemmate *Hic hominum terror*. Dauidem quoque hoc etiam inſigni ſculptum habuiſſe ſuum, notat Ioſeph Hæbreus. Alcibiades *Cupidinem* in actu frangendi fulgetrum inſculptum etiam ſuo voluit in clypeo; forſan, vt ſignificaret, quod armatus amore; nec etiam ipſa Iouis fulmina extimeſcebat. Epaminonda Martis ille terror animatum voluit proprium clypeum *Draconis capite*, quaſi vt ſe iactaret ex nobili ſtirpe illorum heroum, qui ſuam traxere origi-

nem

nem è dentibus disseminatis à Cadmo. Lacon Spartanus *Muscam* minutis lineolis incisam voluit: cuius rei causa, cum ab alio rogaretur, tam propè inquit ad hostes sum accessurus, vt vel muscam nostram possint despicere: clypei iacturam grande fuisse dedecus, ac ignominiæ notam habetur ex Plutarco, & Rodigino hinc mulier illa Spartana super proprij filij clypeum scripsit, *Aut cum hoc; aut in hoc:* & Epaminunda noluit antea occumbere, quam quid esset de amisso clypeo intelligeret.

E vexillis, ac clypeis ad sigilla, ac insignia, seù stemmata gentilitia transierunt, ità vt nulla gens, nullus priuatus aliquo doctrinæ splendore clarus sit, qui sibi peculiare symbolum non affectarit. Nihil hic opus est Persarum *Aquilas aureas; Noctuas* Atheniensium, Thebanorum *Sphinges* commemorare; afferam solùm illud de Augusto, qui maturitatem in rebus gerendis ostensurus in altera numismatis parte *Papilionem vnà cum fluuiatili Cancro* cudi voluit, hoc lemmate *Festina lentè*, & Mecenas egregius ille Doctorum fautor ad commendandam silentij religionem *Ranam* sculpsit; & Carolus Quintus Imperator *geminas Alcidis columnas* sibi vsurpauit hoc hemistichio, *Plus vltra*. Sic Otho Vicecomes occiso apud Hierosolymam Barbaro, cuius in clypeo sculptus erat serpens in varias conuolutus spiras; ac ore hianti infantulum nudum euomens, pro lemmate suo gentilitio eumdem sibi vsurpauit serpentem.

Cæterùm huius instituti Originem antiquissimam esse fateor; siquidem vnà cum armis pugnantis Bellonæ in area habuit initium; cum constet militum clypeos hisce fuisse sculptos phrenoschematibus. Sed quia huius instituti elementa in Bellonæ campis crassiora erant, ac interfulgurantium armorum splendores obscuriora, nulla fit apud antiquos scriptores de hac arte mensio; verùm, cûm de rerum initijs est sermo ab ipsis cunis sunt res repetendæ, nec considerandum est, an tunc ornatum habuerint; nihil enim simul politum est, & natum; sed rudioribus principijs omnia natura ipsa rerum opifex pertexuit.

Quamobrem huius instituti perfectio initium habuit in Italia elapso sęculo, cuius Pater, & Author fuit Paulus Iouius, postea perfectiùs excoli cepit hoc institutum à Paulo Aresio, Barcaglio, Hercule Tasso, Alexandro Fara, Andrea Palatio, Ruscellio, Contilo, Capaccio: feliciori tamen calamo Aresius, & Emanuel Thesaurus,

ſaurus, ac Barcaglius hoc inſtitutum dilucidarunt. Cæterum vt liberè fatear multum huic arti nocuit tanta ſcriptorum copia; cùm inter ſe contrarientur in tradendis regulis, ac perfectionibus; vndè regularum potiùs labyrintum nullo Dedalo molitore videntur conſtruxiſſe, & hoc inſtitutum ingenuè de ſeipſo poſſet repetere, *Inopem me copia fecit*; longè mihi alia mens eſt in huius tractatus molitione; ſtatui enim omiſſis, centiès repetitis cantilenis, ac minutijs; veram perfectamq; naturam phrenoſchematum dilucidare, ac accurata illuſtrium Authorum iudicia, totamque huius artis rationem exemplorum monumentis illuſtratam ſub oculis ponere.

EXPENSIO NONA.

An Phrenoſchema poſſit componi ex ſolo lemmate, vel ex ſolà figurâ; & quales ſint Authorum ſententiæ.

INgenuè fateor me inutiliter non perbreue perdidiſſe tempus in peruoluendis, ac legendis huius inſtituti ſcriptoribus; nam incerto calle, dubioque pede labyrintum ingreſſus, ſi non vt Theſeus Minotaurum, quot tamen capita, tot inueni ſententias; monſtrum ſcilicet Lernęa horribilius Hydra, non in ſeptem, ſed in centena repullulans capita. Alij cenſent phrenoſchema poſſe componi ex figura tantùm, quam ſententiam probat Ruſcellius ab exemplis Sacræ Scripturæ; ait enim; *Noëticam Columbulam*, oleæ deferentem ramuſculum vireſcentem: *Aeneum Serpentem*; *Quatuor animalia*, ſignificantia quatuor Euangeliſtas eſſe vera phrenoſchemata, ſine vocibus, ac lemmate, at hæc ratio facilè corruit, quia etiam Hieroglyfica inſpiciebantur ſculpta ſine lemmate; & tamen licèt habuerint eaſdem figuras, ac phrenoſchemata; attamen per eumdem Ruſcellium non ſunt phrenoſchemata. Capaccius ad magis corroborandam prædictam ſentētiam, duplicem aſſignat rationem; quarum prima eſt, quia lemma ſolùm requiritur ad exprimendum cōceptum mentis alteri; eodem modo, quo mediante voce exprimimus alijs mentales conceptus; ſed poteſt aliquis efficere phrenoſchema, quod ſine lemmate perfectè intelligatur ab alijs; vt quando delineatur *Leo*, ad ſignificandam alicuius viri magnanimitatem, vel *Lilium* ad exprimendam morum

morum innocentiam: ergo in tali casu lemma non videtur necessarium. Secunda ratio est, quia adsunt aliqua symbola, quæ per se sunt nota, nec indigent explicari lemmate, vt est Phœnix è morte vitam exhauriens, & hoc totum confirmat, quia in aliquibus phrenoschematibus superfluum fuit lemma, vt fuit illud in quo Author delineauerat *Lotos*, quæ nocturno tempore latens sub vndis Euphratis fluminis lucente posteà Sole emergit ab aquis; cui lemma erat, *Sic diua lux mihi*; sine enim tali lẽmate iam satis intelligebatur Author similis huic plantæ. Eamdem pariter plantam pro corpore phrenoschematis pinxerat Eminentissimus Cardinalis Madrucciu hoc alio lemmate, *E mergo lucente Sole.*

Hæ tamen rationes facili responsione conteruntur. Respondeò enim, quod si pro phrenoschemate intelligatur symbolum genericè; vltrò concedo, non esse necessarium lemma; de facto enim Aegyptij arguta hieroglyphica, ac symbola sine vocibus delineabant, vel sculpebant in marmore; sin autem pro phrenoschemate intelligatur tale peculiare symbolum, quod longa consuetudine obtinuit lemma ex classico Authore depromptum, sine quo hisce temporibus à nulla Academia componitur; nego, prædicta symbola esse phrenoschemata: quamobrem, cum quæstio sit de phrenoschematibus huius ætatis, quæ vulgò impresiæ vocantur necessarium illis est lemma; vndè Ruscellius potiùs videtur locutus de symbolo in genere, sub quo comprehenduntur etiam Hieroglyphica; & quatuor animalia Euangelistarum.

Ad rationes Capaccij respondeo, finem lemmatis non esse exprimere figuram, sed ornare phrenoschema; vndè Alexander Farra tres distinguit Phrenoschematum species; prima species est, quæ constat ex solis vocibus, vt fuit illud phrenoschema Syluestri Bottigellæ, *Ex imbre pulucrem*, vel illud aliud, *Omnis homo currit*. Secunda species constat ex sola figura sine vocibus, vt sunt omnia hieroglyphica. Tertia species constat ex figura, & lemmate, quæ species solùm debet dici phrenoschema, quo pacto sumitur ab omnibus Italiæ Academijs, & distinguitur ab alijs symbolis.

Paulus Iouius, qui principium tenuit, ac facilè principatum huius instituti sine corpore reliquit hoc lemma in suis operibus, *Fato prudentia minor*, quia vt ipse fatetur nesciuit ei proprium adinuenire corpus; poterat tamen pingere *Morum*, quæ Arbor

ne

ne damnum vllum patiatur à grandine, vel pruina veris, vltimà arborum virescit, ac efflorescit; at aliquando æstiuo tempore ab intempestiua tempestate grandinum percussa plurimùm patitur nocumenti; vnde Regius Vates, *Occidit in grandine vineas eorum, & moros earum in pruina*; ex hoc inquam Iouij lemmate multi falsò existimarunt verum phrenoschema posse ex vocibus tantùm constare.

Nonnulli asserere non dubitarunt; phrenoschema nihil aliud esse, quam signum symbolicum; quo mediante mentis conceptus exprimitur alteri, atqui indeterminatum reliquerunt; an hoc signum symbolicum debeat esse genericum, an specificum, compositum, an simplex, vocale, an visibile. Alij dixerunt phrenoschema necessariò constare ex figura repræsentante aliquod corpus; sed sub iudice adhùc est, an hoc corpus possit esse humanum, abstractum, an chimericum. Alij concesserunt phrenoschema componi ex figura, & lemmate; sed non determinarunt, an figura sit pars essentialis; an ascititia. Omnes tamen conueniunt in hoc; phrenoschema esse expręssionem, mentalis, sed heroici conceptus; non per proprios terminos, sed mediante aliquo symbolo apparente, quod dicat metaphoricam similitudinem cum nostro conceptu; ex quo clarè patet phrenoschema, esse metaphoram proportionis, vt videbimus infrà.

EXPENSIO DECIMA.

Examinantur, & reijciuntur plures definitiones Phrenoschematum tradita ab Authoribus.

VT faciliùs veniamus in cognitionem veræ essentiæ phrenoschematis expendendæ priùs erunt, ac perscrutandæ definitiones aliorum Authorum. Primò igitur phrenoschema definitur à Barcaglio huius instituti professore egregio, quod sit, *Expressio peculiaris conceptus animi, per modum similitudinis, ac mediante aliqua figura naturali (exceptà humana) seù artificiali à breuibus, ac acutis verbis necessariò consociata*; hæc definitio, vtpotè viri in hac facultate clarissimi est diligenter expendenda; prima igitur vox *expressio* videtur impropria, quia significat actionem, & passionem; vt aiunt Philosophi eodem modo, ac

actualis locutio est expressio conceptus mentalis: phrenoschema verò non dicit hanc actionem,& sicut perperàm domus diceretur *ædificatio*, non *ædificium*; sic phrenoschema non debet dici *expressio*; sed *signum exprimens*; tum quia *signum* clariùs explicat essentiam phrenoschematis: definitur enim signum à D. Augustino lib. de Doctrina Christiana cap. 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire*, quod videtur esse proprium phrenoschematis, vndè dumtaxat impropriè, & per synedochen dicitur expressio; eo modo, quo habitatio sumitur pro ipsa domo habitata: Insuper dicitur *à breuibus, ac acutis verbis consociata*: vbi excluduntur illa lemmata, quæ tantum constant ex vnico verbo, quæ sunt vera lemmata, imò si exprimant proprietatem figuræ sunt perfectiora, vtpotè magis laconica; dicitur *per modum similitudinis*, quod non videtur admittendum; quia phrenoschema est vera metaphora proportionis, licèt hæc sit fundata in similitudine non est tamen similitudo, vt habetur ex Quintiliano lib. 8. c. 6. vbi ait, *Metaphora breuier est, quam similitudo, eoque distat; quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere; hæc pro ipsa re dicitur*; similitudo autem est cum dico, hominem esse magnanimum, vt est Leo: metaphora autem, ac translatiò est cum dico; *Achillem fuisse magnanimum Leonem*, sic in phrenoschemate Ludouici Duodecimi, Rex non dicitur similis Histrici; sed dicitur Histrix armis feriens hostes *Eminùs, & Cominus*: Deinde dicitur *à breuibus, ac acutis verbis necessariò consociata*; vbi præter superfluitatem illius vocis *necessariò* (quia omnia, quæ sunt in definitione iam supponuntur necessaria) videtur asserere solùm requiri inter lemma, & figuram vnionem concomitantiæ, quod est falsum, quia verba etiam debent exprimere proprietatem figuræ; vti faciunt subiecta lemmata, *Plus vltra*, super Herculeas columnas, *Emergo lucente Sole*, super plantam Lotos, *In vtroque Cæsar*, super calamum, & ensem. *Qui me alit, me extinguit*, super funale accensum, & in humum versum; *Mors sceptra ligonibus æquat* super effigiem Mortis sceptra, ligones, purpuras amplectentis. *Malè parta, malè dilabuntur* super Simiam è fenestra domus aureos proijcientem, nummos: *Ingratis seruire nefas*, super Serpentem à proprijs partubus enecatum. *Donec totum impleat Orbem*, super dimidiatam Lunam, vel super plenilunium: *Cum plena est fit æmula Solis.*

Ammi-

Ammiratus definit phrenoschema, quod sit *Significatio nostræ mentis sub nodo verborum, ac rerum, quæ omnia seruiunt ad explicandum nostræ mentis conceptum*; huic tamen definitioni opponitur Hercules Tassus, & obijcit, non explicari formam substantialem phrenoschematis; & est, quod verba sine figura, & figura sine verbis nihil significent, quæ tamen obiectio non videtur esse ad rem: falsò enim asseritur; verba sine figura, & è conuersò, figuram sine verbis nihil significare, quia sicuti iuxtà axioma Philosophicum, *Ex nihilo fit nihil*, sic si partes seorsim sumptæ nihil significarent, nec etiam vnitim; deindè adest phrenoschema eiusdem Tassi, in quo alludendo ad proprium nomen pinxit Taxum plantam, hoc lemmate, *Itala sum quiesce*, vbi tam Taxus, quam verba seorsim sumpta significant, vt consideranti patet.

Posset meo iudicio contra supradictam definitionem meliùs obijci, eo quia assignata definitio etiam conuenit emblematibus, quæ explicant conceptum mentis, nempè documentum morale mediantibus rebus, seù figuris, ac vocibus; vt etiam Hieroglyphica; neo valet dicere emblemata non exigere necessariò voces, nam licèt has non exigat necessariò, non eas tamen excludunt, imò lege emblemata Andreæ Alciati, & plura inuenies argutissima lemmata super figuras, vt super *Asellum* gestantem effigiem *Isidis*, quod simulacrum flexo poplite ab ingenti populorum copia colebatur, *Non tibi, sed Religioni*. super *Mulierem Apocalipsis*, propinantem hominibus latices aureo è cratere *Falsa Relgio*. super effigies *Spei, & Nemesis. Illicitum non sperandum*. super *Venerem* confodientem Adonim. *Amuletum Veneris*. super *Prometeum* alligatum in rupe caucasea, & ab Aquila dilaceratum, *Quæ supra nos, nibil ad nos*. Super Mercurij caduceum inter Amaltææ cornua *Virtuti fortuna comes*. super *Miluum* edacem nimis, ac superfluam euomentem escam *Malè parta, malè dilabuntur*. Super Cupidum, ac Auarum Principem, *Quod non capit Christus, rapit Fiscus*. super cęcum deferentem claudum, *Mutuum auxilium*. Super Galeam intrepidi militis, in qua mellificant apes, *Ex bello pax*. Et tandem super effigiem Herculis Gallicani aureis catenulis hominum turbas vincientis, *Eloquentia fortitudine præstantior*.

A Pauló Aresio huius instituti egregio scriptore definitur

phrenoschema, *Compositum ex figura, & lemmate, quod mediante proprio significato ordinatur ad repræsentandumletè, ac efficacitèr aliquem nostrum conceptum:* hæc definitio aliquas etiam patitur difficultates; primò quia non explicatur, an figura debeat esse repræsentatiua alicuius corporis, vel naturalis, vel artificialis, vel chimerici, vel humani, insuper nec explicatur, an hæc figura debeat esse metaphorica, vel eiusdem speciei cum re significata; deindè illa verba, *Letè, & efficaciter* sunt superflua, quia omnia symbola supponuntur repræsentare conceptum mentis cùm aliqua inspicientis delectatione: demùm hæc definitio latiùs patet, quam ipsum definitum: non enim excludit emblemata, ac illa Hieroglyphica, quæ etiam componuntur ex figura, & aliqua voce; nam etiam emblema est compositum ex figura, & vocibus, vt dixi paulò ante, & cum delectatione exprimit conceptum mentis. Tum quia, vt diximus in tractatu de Emblematibus possunt dari vera Emblemata, quæ sine carminibus, sed sola figura, ac lemmate satis conceptum mentis exprimant.

Ab Emanuele Thesauro definitur, *Argutia proportionis per modum argumenti comparatiui; significans conceptum heroicum, mediante aliqua figura naturali, seù artificiali, præter humanam cum proprietate peregrina, sed apparente, indicata ab aliquo perbreui, ac Arguto lemmate;* quæ Definitio suas etiam patitur difficultates, dicitur *Argutia* loco generis, at, quis non videt hoc genus esse nimis remotum? non solùm amplectitur omnia symbola, verùm etiam omnes metaphoras, ac Veneres, seù amenitates dicendi, omnes enim sunt argutiæ: sicuti igitur non benè definiretur homo *ens rationale*; quia ens est genus nimis remotum complectens omnia entia, tum materialia, tum spiritualia; sic Argutia, vtpote complectens omnes metaphoras, symbola omnia, omnesque Veneres, est genus nimis remotum; dicitur *significans conceptum heroicum* phrenoschema, non significat actionem, & passionem; vox autem *significans* exprimit actionem, deinde illæ voces *per modum argumenti comparatiui* videntur excludere metaphoram proportionis, comparatio enim connotat tantum terminum distinctũ, sic per cõparationẽ dicimus, quod *Achilles fuerit fortis, vt Leo*, vel *Achilles fuit fortior Leone:* metaphora autem non distinguit, sed vnit, ac identificat extrema, vndè Achilles dicitur fortis Leo. Ludouicus XII. histrix hostes feriens *Eminus, & Cominus.*

EXPEN-

EXPENSIO VNDECIMA.

Traditur, & explicatur Definitio Authoris.

EXimia opera non minoribus difficultatibus Ars vallauit, quam rosam spinis Natura, nobiles quidem sunt ingenij partus, phrenoschemata; sed non facilè illorum essentia, ac formale constitutiuum, per quod differant à cęteris symbolis percipitur, nec illorum essentiam videntur hùcvsque attigisse Authores, qui repetentes eamdem cantilenam aiunt, *Phrenoschema esse compositum ex figura, & vocibus, quod ordinatur ad significandum aliquem conceptum mentis*, quæ Definitio directè etiam conuenit notis arbitrarijs, seù siglis; quæ persæpè componuntur ex figura, & aliqua voce ad indicandum occultum aliquem conceptum mentis, cōuenit etiam numismati, in quo videntur aliquando figuræ cum vocibus, vt in numismate Cæsaris videbatur mulier plorans, hoc lemmate *Iudæa capta* ad exprimendum Cæsarem Romano subiecisse Imperio vniuersam Iudæam.

Definiri igitur potest phrenoschema, quod sit *Symbolum metaphoricum expressiuum alicuius heroici conceptus, per modum argumenti poëtici, fundati in metaphora Proportionis, seù Attributionis, mediante aliqua figura naturali, seù artificiali, cuius proprietas significetur per lemma perbreue, & acutum ex classico Authore depromptum*. Dicitur *symbolum metaphoricum*, loco generis conuenit enim cum cæteris symbolis: aduerte tamen, me non dicere simpliciter *symbolum*; sed addendo *metaphoricum*, quia cum symbola, hic non sumantur æquiuocè; sed quatenùs dicuntur notæ arcanioris, cuiuspiam mysterij significatiuę, vt cum dicimus *Ciconiam* esse symbolum, pietatis; *Papauer* fertilitatis, per *Ly* metaphoricum excluduntur imagines humanæ, vt effigies Mercurij significatiua hominis sapientis; Imago Martis expressiua animi bellicosi, ac pectoris fortis; si enim symbolum est metaphoricum debet esse alterius speciei, quia metaphora est translatio de re propria ad impropriam, dicitur *expressiuum alicuius heroici conceptus*, quia omnia phrenoschemata ordinantur ad exprimendum mentalem aliquem ac heroicum conceptum, dicitur *per modum argumenti poëtici fundati in metaphora proportionis* loco differentiæ, quia per hoc differt à cæteris symbolis, vt sunt *Emblemata*,

mata, Hieroglyphica, Notæ arbitrariæ, Siglæ, Numismata &c. hęc enim symbola non fiunt per modum argumenti poëtici, seù metaphorici; è contra phrenoschema est idem, ac argumentum poëticum pictum; vndè non est mera comparatio, vt dixerunt alij: si enim Ludouicus XII. in suo Phrenoschemate histricis dixisset, *Ego confodiam armis eminùs, & cominùs hostes meos; sicut histrix spinis suis ferit Eminùs, & Cominùs*. hæc fuisset locutio propria, & communis; quia verò pinxit histricem dumos suos vibrantem hoc lemmate *Eminùs, & Cominùs;* hæc pictura fuit verum argumentum poëticum fundatum in metaphora proportionis, & in illo principio philosophico, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: primò per metaphoram proportionis *Rex Ludouicus*, & *Histrix* conueniunt simùl in actione, quia histrix, & Rex feriunt *Eminùs, & Cominus;* iam inuenta metaphora proportionis argumentum poëticum, & vrbanè fallax fit tali pacto, *Quod ferit eminùs, & cominùs est Histrix, sed Ludouicus armorum cuspidibus ferit hostès suos eminùs, & cominus, ergo est Histrix*. quia quæ sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se, quapropter histrix non comparatur cum Ludouico, sed exprimit, & repræsentat metaphoricè ipsum Regem, & hæc phrenoschemata fundata in metaphora proportionis sunt perfectiora: tale fuit illud Emanuelis Filiberti Sabaudiæ Ducis, vbi delineauit Elefantem hoc lemmate, *Infestus infestis*, per eamdem metaphoram Serenissima Ducissa Bona post Consortis mortem se Deo consecrans, pinxit Phœnicem inter flammas, hoc lemmate, *Sola facta, solum Deum sequor*, vt indicaret morte mariti se resurrecturam ad vitam spiritualem: & ille religiosus vir, qui varijs oppressus angustijs spem suam tantùm in Deo collocarat, vt alluderet ad illud Diui Pauli, *Virtus in infirmitate perficitur*, pinxerat agrum ob natam annonam virescentem, & in herbam pubescentem, vbi depascebatur equus hoc lemmate, *Virescit vulnere virtus;* & illa Virgo, quæ varijs minis ad peccatum prouocata noluit virginitatis florem perdere, religiosè pinxerat murem armenicam vndique luto circumdatam à venatoribus hoc lemmate, *Malo mori, quam fedari*, quæ omnia sunt argumenta poëtica fundata in metaphora Proportionis; additur, *seù Attributionis:* quia possunt etiam sumi instrumenta, seù circumstantiæ pro ipso subiecto attribuendo instrumento, seù parti, quod est proprium subiecti: Phrenoschema funda-

ſundatum in metaphora Attributionis, fuit illud Iulij Cæſaris vbi delineauit, *Calamum cum enſe*, hoc lemmate *ex vtroque Cæſar*, & alius ſumendo abſtractum pro cõcreto pinxerant Iuſtitiam venuſtiſſimam Virginem dexterâ enſem, ſiniſtrâ ſtateram ſtrigentem hoc lemmate, *Vnicuique ſuum*; & Paulus Areſius incohauit ſua phrenoſchemata ſacra, delineando, *Calamum*, hoc lemmate, *Non euehor, ne vehar*. fundatum in metaphora Attributionis. Dicitur tandem, *Mediante aliqua figura, ſeù naturali, ſeù artificiali, cuius proprietas explicetur per lemma*, quia argumentum poëticum debet fieri ſenſibile mediante figura, ac lemmate, atque adeò figura, & lemma ſunt de eſſentia phrenoſchematis.

EXPENSIO DVODECIMA.

Dilucidatur Ars noua conficiendi plura phrenoſchemata ſuper idem ſubiectum.

EX *ijs*, quæ hactenùs dicta ſunt apparet, phrenoſchemata nihil aliud eſſe, quam metaphoras proportionis fundatas in ſimilitudine ſubiectorum; quia enim mundus ſcena eſt plena imaginibus, & ipſe homo imago eſt, & in imagine pertranſit ſequitur, quod vnum ſubiectum poſſit cum pluribus alijs ſimilitudinem dicere; quæ imagines, ac ſimilitudines non ſumptæ comparatiuè, ſed metaphoricè, ſi benè perpendantur ſunt phrenoſchemata; ſic Ludouicus Duodecimus ſaucians hoſtes *Eminùs, & Cominus*, in tali actione ſimilis fuit Hiſtrici, quæ imago, ſeù ſimilitudo, vel Hyſtrix ſumitur metaphoricè pro eodem Rege, qui dicitur Hyſtrix feriens *Eminùs, & Cominus*. & hæc metaphora proportionis maius habet aucupium, ac ſi diceretur comparatiuè Ludouicus ſimilis Hyſtrici. Ratio eſt, quia homines propoſita rerum nuda veritate, non tam facilè mouentur; ſed aucupio quodam elaboratæ ſimilitudinis ſuauiùs delectantur; hinc communitèr accidit, vt hominem viuum, & ſpirantem nequaquam miremur, at viui, & ſpirantis hominis effigiem, ipſius Artis, atq; induſtriæ ſuauibus illecebris capti longè magis amplectamur: imò, & Deus ipſe, vt nos ad ſui amorem pelliceret ſuæ Diuinitatis veſtigia in rebus creatis longè latèque diſperſit, & maximè in homine, cui ſe illuſtriori quadam maieſtatis nota effudit, atque, vt ferunt, Phidiam

in

in Mineruæ clypeo, quam præ cæteris simulacris eximia præstantissimæ manus gloria, omnibusque Artis lenocinijs expoliuerat suam imaginem insculpsisse: sic Deus rerum omnium moderator, in homine suæ maiestatis effigiem impressit; Hinc mirum non fit, si huius sæculi homines suaui quadam titillatione, ac delectationis illecebra phrenoschemata mulceant.

Ad plura verò conficienda phrenoschemata super idem subiectum; optimam censeo esse regulam; considerare primò qualitates omnes subiecti, ac circumstantias; deindè inuenire supremum genus; sub quo militat talis specifica actio, seù qualitas subiecti: certum est genus prædicari de pluribus indiuiduis; modo ea omnia indiuidua, si sint metaphorica, & militent sub tali genere possunt esse corpora phrenoschematum exprimentia idem subiectum.

Ob maiorem rei claritatem descendamus ad praxim, & proponatur S. Iob, cuius heroica virtus vexari potuit ab aduersantis fortunæ turbinibus, non verò frangi; imò magis perficiebatur iuxtà illud Apostoli, *Virtus in infirmitate perficitur*. Iam habemus virtutem Aduersantis fortunæ ictibus, non frangi; imò magis perfici: modo sumatur hoc supremum genus, *Res aduersæ perficiunt, vel non lædunt virtutem*. Deindè considerentur in rerum natura ea omnia, quæ vnita suis contrarijs magis; vel emicant, vel perficiuntur; certè hæc omnia Analogicè conueniunt simul cum heroica virtute sancti Iob. Imò per argumentum poëticum sunt idem propter illud principium; *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*. Ideòque quia campana percussa malleis fit sonorior, magisque perficitur in sono; ad exprimendam hanc heroicam virtutem Iob potest pingi *Campana* actualiter percussa malleo stricto ab aliqua manu, hoc lemmate, *percussa valet*. Quia Asbestinum irradiat candidiùs, puriusque euadit inter accensi rogi flammas potest pingi *Tela* ex Asbestino intexta super flammas, hoc lemmate, *Vritur non comburitur*. Vel hoc aliud: *Vt magis perficiatur*. Quia Basilica herba regia, scilicet hortorum proles, dum atteritur, vel obtruncatur magis perficitur, ac crescit; potest pingi, *Basilica herba*, obtonsa forbice, vel conculcata pede, hoc lemmate, *Cùm atteritur, grandescit sublimior*. Quia Sabææ illaris illa lachryma Thus suauiùs fragrat cum comburitur, potest pingi, *Acerra cum manu proijciente Thus in accensas prunas*, hoc lem-

lemmate, *fragrat cùm flagrat*. Quia silex nunquam fulguraret, nec splendoribus coronaretur, quasi lapidum Rex, nisi præduri chalybis; ictu vulneraretur optimè potest delineari, *Manus chalybe silicem percutiens*, hoc lemmate, *Ex vulnere splendor*; sic possent similia phrenoschemata in infinitum procedere; sumendo ea omnia, quæ dum videntur vexari magis perficiuntur: sic posset pingi, *Funale sulphureum accensum, & agitatum vento*, pro lemmate, *Agitata reuiuo*, scilicet flamma; *Suber* cuius cortex rescetur securi: *ex vulnere vigor*. Pyramis quadrata, inter aëris procellas, ventos, grandines. *Immota manet*. Columna immobilis spirante borea, *Frangor non flector*: *Pruna*, quæ expositæ vento magis succenduntur: *Crescit spirantibus Boreis*, scilicet flamma. Phœnix inter accensi rogi ignes moriens, *Et damna iuuant*. Viridis Annonæ *herba*, quà depascatur equus in agro, *Virescit vulnere virtus*. Virescens laurus geminos inter leones, ac propè fulmina è nubibus vibrata, intacta, *Ita, & virtus*. Palma, cuius rami magnis inclinentur ponderibus, *Inclinata resurgo*. Arundines agitatæ ventis, *Flectimur, non frangimur*. Struthio camelus ferream deglutiens catenulam, *Spiritus durissima coquit*. Scopuli in sinu procellosi maris vndique percussi vndis, *Conantia frangere frangunt*. Phœnix in flammis emoriens, *perit ne pereat*. Brachium Mutij Sceuolæ expositum flammis, *Agere, & pati fortia Romanum est*. Manus vulnerata ab Ape, cui aculeum fixum relinquat *Sibi magis*. Tellus scissa aratri vomere, *Exculta virescit*. Apis super florem, eiusque humorem exugens, *Sine iniuriâ*. Capra amaram comodens salicem, *At mihi dulcis*. Columna percussa à Solis radijs, & in oppositam partem emittens vmbram; *Tantum voluitur vmbrà*. Adamas super incudinem, malleisque percussus; *Semper Adamas*. Elephas multis sauciatus sagittis, *Citra cruorem*. Follis pugillatorius in altum emissus à brachio neruoso brachiali lusorio vestito, *Concussus surgo*. Linum ferreo pectini pexum, *Asperitate politum*. Rosæ inter cepas florescentes, *Suauiùs olent*.

Vitis amputata ferro, *Ex vulnere vita*. Vides quam latus pateat campus conficiendi phrenoschemata super idem subiectum, sic potes & tu super quodlibet subiectum plura phrenoschemata conficere.

EXPENSIO DECIMATERTIA.

An perfectissimum phrenoschema excludat figuram humanam.

Ardua semper est visa hæc quæstio, ac pluribus difficultatum nodis implicita, ità vt huius instituti authores etiam hisce temporibus in diuersas partiti classes, inter sese discrepantes pugnent. Vnica ratio excludentium è phrenoschematibus figuram humanam est; quia phrenoschema debet fundari in similitudine, & comparatione, quæ mediat inter figuram, & subiectum repręsentatum per talem figuram; sed figura humana non ęst capax huius comparationis, ac similitudinis; ergo non est admittenda: probant minorem, quia inter indiuidua eiusdem speciei non adest similitudo, ac comparatio; nam inter hominem, & hominem non datur similitudo, sed identitas: huic rationi præsertim videntur fauere Barcaglius, & Iouius; quamquam vltimus in sua seriè phrenoschematum sine scrupulo admiserit figuras humanas, vt sunt illi duo homines ducentes Bubalum per nasum, hoc lemmate, *Menatemi, e non temete*; & alibi etiam pinxit syluestrem hominem stringentem clauam sub hoc lemmate, *Mitem animum agresti sub pectore seruo*, & ad exprimendum beneficium tempestiuè collatum finxit, simulque pinxit militem lapsum à viatore erectum hisce vocibus, *Bis dat, qui tempestiuè donat*; & pro virtute oppressa delineauit rusticum pubescentem herbam conculcantem, *Virescit vulnere virtus*. & tandem ad indicandum hominem quærulum delineauit militem nudato ense ignem fodientem, cuius scomma est, *Ignis gladio non fodiendus*.

Prædicta tamen ratio excludens è phrenoschemate figuram humanam, quia inter hominem, & hominem non fit similitudo, sed identitas, non est vera. Primò, quia identitas in rigore philosophico non est inter duo distincta, cæterùm veh Regi si non esset à mendico distinctus; quarè inter homines datur vera similitudo, & conuenientia, non verò identitas; similitudo enim ex Aristotele est inter duo distincta, & homo non potest esse sibi similis, benè quidem alteri homini; quapropter clarè patet, inter plura indiuidua eiusdem speciei dari veram similitudinem.

Quod

Quod si sumatur similitudo pro ipsa comparatione etiam Barcaglius fatetur comparationem posse fieri inter indiuidua eiusdem speciei, & apud Aristotelem 3. Rhetoricorum cap. 4. Democrates oratores nutricibus æquiparat, ac confert; quæ deglutientes cibum saliuam pueris præbent: Sic oratores maxima recipientes stipendia minimam vtilitatem Reipublicæ afferunt: deindè, virum fortem, nonnè comparatiuè dicimus esse alterum Achillem? vel nostri sæculi Herculem? sic concionatorem egregium secundum appellamus Chrysostomum.

Germana ratio, cùr perfectissimum phrenoschema excludat figuram humanam, potiùs mihi videtur esse, quia phrenoschema; vt enucleaui in definitione est perfectissima metaphora Proportionis, quæ non est translatio de vno indiuiduo ad aliud eiusdem speciei; sed de vna specie ad aliam speciem, omnes autem homines sunt eiusdem speciei; deindè metaphora definitur ab Aristotele, & Cypriano, *Translatio de re propria ad non propriam*; quæ translatio non potest fieri de vno, ad alium hominem, quia omnes homines conueniunt in eadem proprietate; & licèt metaphora posset saluari penès diuersas actiones, non tamen saluaretur penès diuersa subiecta.

Paulus Aresius contra hanc rationem objicit inquiens; quamquam metaphora non possit transferri de vno ad alium hominem, ratione esse specifici, quia omnes homines sunt eiusdem speciei; attamen potest transferri metaphora ratione qualitatum accidentalium, & indiuidualium, vndè crudelem hominem vocamus *Neronem*: excellentem Poëtam, *Homerum*, vel *Virgilium*; & hæ sunt veræ metaphoræ; quia transfero nomen Neronis à subiecto, cui est proprium, ad subiectum, cui non est proprium vndè habetur translatio de re propria, ad non propriam.

Respondeo, prædictas translationes non esse perfectas, ac rigorosè metaphoras; nam licèt sit translatio qualitatum, attamen hæqualitates sunt propriæ hominum, ac speciei humanæ, vera autem metaphora debet esse translatio de qualitate propria alicuius indiuidui, ad aliud indiuiduum diuersæ speciei, cuius qualitas non sit propria; vt cum dicimus *Prata rident*, Risus proprius hominis transfertur ad pratum, cui est improprius.

Sin autem diceres defacto fuisse efformata plura phrenoschemata cum figuris humanis, vt sunt illa paulò ante recensita ex

 Iouio,

Iouio, & illud super PHILIPPVM II. Hispaniarum Regem, postquam CAROLVS V. se abdicauit à curis sęculi, in quo phrenoschemate videtur delineatus Hercules humeris sustentans Orbem, hoc lemmate, *Vt quiescat Atlas*. Respondeo hæc, & similia phrenoschemata non esse perfecta; quia in ipsis non reperitur perfecta metaphora, quæ est translatio de vna specie ad aliam, omnes verò figuræ humanæ compræhenduntur sub eadem specie.

Alia ratio excludens à Phrenoschematibus figuram humanam est, quia metaphora non debet esse superficialis; ac humilis; sed elegans, & mirabilis: illam voco metaphoram superficialem, cuius proprietas significans facilè percipitur à quocumque intellectu quamuis rudi, vt est *Accensum Funale*, sereno expositum soli, Matthæi Iustiniani, hoc lemmate, *Lumine victus*, vel laterna clausa Mutij Matthæi hisce vocibus, *Ardet, non lucet*, quæ corpora non cognoscuntur, nisi ab ijs, qui carent oculis. E' conuerso illa est metaphora elegans, ac mirabilis cuius figura non statim percipitur ab intellectu, sed ambiguum reddit animum, vt sunt plantæ, ac animalia; quæ apud nos non sunt in vsu; & quorum proprietates non facilè cognoscimus, vt esset planta *Lotus*; quæ nocturno tempore latens Euphratis sub vndis; oriẽte postea è maris sinu sole, oritur & ipsa ab vndis, æmula solis; quapropter Cardinalis Madruccius huius plantæ figuram delineauit hoc lemmate, *Emergo lucente Sole*. ad exprimendum, quod oriente Diuinæ Gratiæ lumine emergebat ab vndis corrupti sæculi, ac humanarum voluptatum, quæ instar fluminis diffluunt. Tùm quia perfectissimum phrenoschema exigit corpus cognoscibile, sed simùl, quod nouitate aliquid nos doceat, quod antea nesciebamus, ex quo mirabile etiam dicitur, quia admiratio filia est nouitatis, vt delectatio partus admirationis; sed corpora humana nullam afferunt nouitatem, quia assiduè ea sub oculis habemus; vnde propter has rationes excludenda sunt à phrenoschematibus humana corpora.

(✠)

EXPEN-

EXPENSIO DECIMA QVARTA.

An Perfectissimum Phrenoschema excludat membra Corporis humani.

PRæsens difficultas quamplura excruciat ingenia forsan nimis scrupulosa, quæ ad soluendum huius difficultatis Gordium nodum, non minùs inter se pugnant calami acumine; quam Bellonæ asseclæ fastigiatis ensibus Martis in area. Ego verò neruosiores rationes ab vtràque parte adductas paucis perstringam, ac facilè à præsenti quæstione me expediam. Stephanus Guazzius in suo Dialogo super phrenoschemata asseuerat, maximum esse peccatum in hac facultate, vti membris humani corporis, vt esset pingere manum stringentem, vel florem, vel ensem, & neruosior ratio, quà moueatur ad hoc asserendum est; quia membrum humani corporis grauitat, & separatum à corpore non potest stringere aliud corpus, nec sustentari ab aëre, corpore leuiori; quapropter videmus lapides, & cætera corpora grauia moueri deorsum; delineare igitur membrum humanum in aëre esset contra naturam, & tale membrum semper videretur stare in statu violento; quod esset res monstrosa, multumque offenderet oculos.

Alij delicatiores perhorrescentes ad aspectum membri recisi ab humano corpore eadem membra excludunt à phrenoschematibus: illorum tamen ratio certè videtur ridicula, & est, quia videre humana membra separata à toto corpore excitat in mente species cædium, sanguinis, vulnerum, funerum, quæ res ad nauseam, ac vomitum prouocant. Respondeo, quod si hoc esset deberent damnari excellentiores pictores, vt fuere Apelles, Parrasius, Michael Angelus Bonarota, qui aliquando membra separata à corpore pinxere, deinde falsum est, quod manus stringens sertum ex floribus compactum ad horrorem prouocet, aliud est enim manus picta, & aliter manus realiter obtruncata à corpore.

Ad primam rationem Stephani Guazzij respondet Hercules Tassus, non esse monstrosum videre humanam manum stringentem ensem, aut aliquid aliud simile; istæ enim actiones sunt propriæ manus; neque dicas esse actiones proprias manus vnitæ corpori viuenti; non verò manus recisæ, ac mortuæ; dico enim talem manum, non esse censendam recisam licet reliquum corporis

non

non videatur; ſicuti in aliqua pictura, in qua præ multitudine figurarum; ex aliquibus imaginibus in maiori diſtantia poſitis non apparet niſi, vel caput, vel brachium, & tamen iſta membra non cenſentur reciſa, nec frigidum ſuſcitant per membra horrorem, quamuis cæteræ partes corporis non videantur: ſic pari pacto in phrenoſchematibus; & ex hoc reſpondetur etiam ad id, quod aſſerebatur; nempè corpus graue, vt eſt membrum humani corporis, non poſſe quieſcere in aëre; imò ibi ſtare violenter; nam dico ego, quod tale membrum non ſupponitur ſimpliciter in aëre, ſed vnitum corpori, vt membra illarum figurarum, quæ in pictura apparent ſine cæteris corporis partibus.

Quamobrem, concludendum eſt cum Bercaglio, Areſio, Emanuele Theſauro, Taſſo, Ruſcellio, Iouio, Camillo de Camillis, Alexandro Farra, Capacio, & Contillo poſſe admitti membra humana in phrenoſchematibus. Difficultas tamen eſt quomodo debeant collocari, & quo munere debeant fungi. Dico igitùr membra humana eſſe admittenda in phrenoſchematibus non, vt partes intrinſecè componentes phrenoſchema, ſeù non vt partes ſignificantes, ac exprimentes conceptum mentis; ſed ſolùm ad maiorem ornatum, & ad complementum figuræ. Camillus de Camillis inter illuſtria phrenoſchemata, quæ ſparſim ex pluribus Authoribus in vnum collegit aliqua ponit ex iſtis phrenoſchematibns; in quibus videntur membra corporis humani, vt eſt illud Gregorij Serlupij, in quo ad exprimendum animum diuerſis oppreſſum anguſtijs, ſed nil læſum, imò validiorem factum pinxit manum ſtringentem funale accenſum ex ſulphure, ac cera compactum, quod agitatum à ventis non extinguitur, ſed magis eluceſcit, cuius lemma eſt, *Agitata reuiuo:* Vndè membra humana ſi fungantur munere inſtrumenti, non repugnant phrenoſchematibus.

EXPENSIO DECIMAQVINTA.

An Corpus phrenoſchematis poſſit eſſe fabuloſum, vel Chimericum, vel ſolum verum, & reale.

QVamuis phrenoſchema, vt dixi ſupra ſit metaphora proportionis, ac argumentum poëticum, exigit tamen veriſimile fundatum ſuper naturale, nō fabuloſum, quia metaphora non

non debet esse remota, si diceres, voluptatem esse scopulum castitatis, esset metaphora fundata super corpus naturale quale est scopulus in mari; at si diceres voluptatem esse scyllam castitatis; iam metaphora fundaretur super aliquod fabulosum, essetque nimis remota; quapropter ad effugiendas metaphoras remotas; libentiùs admittitur à Rhetoribus hæc metaphora, *Adulator est principum scopulus*, quam hæc alia. *Adulator est Scylla Principum*. & quamuis metaphora fundata super apologum videatur elegãtior: attamen connotat esse partum leuissimi, non heroici ingenij. Quî cum Aresio, Barcaglio, & Emanuele Thesauro censeo Apologos à phrenoschematibus esse excludendos, non quia fundari non possint super eos conceptus argutissimi; sed quia figura expressiua huius conceptus esset ficta, non vera: & ob hanc rationem phrenoschema PHILIPPI SECVNDI Hispaniarum Regis, post quam CAROLVS QVINTVS se abdicauerit Monarchia; in quo videtur Hercules sustentans Orbẽ hoc lẽmate, *Vt quiescat Atlas*, ex duplici capite non est perfectissimũ, quia constat ex corpore humano, secundò, quia metaphora exprimens conceptum mentalem fundatur super Apologum.

Sed dices, esse aliqua corpora fabulosa, quæ crebrò à grauissimis Authoribus ponuntur in phrenoschematibus, & à rudiori populo etiam creduntur vera, vt est Phœnix inter flammas morte immortalitatem sibi comparans; quæ figura videtur in phrenoschemate Pauli Iouij super serenissimam Ducissam Sabaudiæ Bonam, quæ post mariti funus, se vanitate mundi abdicauit, dicauit vero Deo; quasi aliena morte ad vitam resurgens. Alij pinxerunt *Vrsam* linguæ scalpro proprium informem fętum perficientem. Alij *Salamandram* in flammis: alij pisciculum *Remoram* grandis Nauis retinentẽ pernicem cursum, quæ omnia sunt fabulosa, & ab Authoribus non excluduntur à phrenoschematibus, quia à populis censentur vera. Ad hoc respondeo, quod respondet Aristoteles poët. cap. 22. circa falsa subiecta tragediarum, quæ tamen à populo credebantur vera, ait ipse, *A Principio eiusmodi fabulæ contexendæ non erant, sed si semel constitutæ sint, & ita receptæ; eas admittere, quamuis absurdas, probabilius erit*, ad maiorem tamen perfectionem phrenoschematis similia corpora sunt excludenda; quia non repræsentant efficacitèr conceptum mentis, & licèt non sit munus, ac officium phrenoschematis probare (vt volebat Barcaglius)

caglius) rem significatam, est tamen illius conditio exprimere efficaciter cõceptum mentis, seù detegere animum Authoris, quod efficaciùs fit per corpus naturale, quam fictum.

Debent etiam excludi figuræ chimericæ, vndè corpus phrenoschematis non est componendum ex partibus inter se repugnantibus, & quæ naturaliter non possint vniri, vt est *Testudo alata*, instar auis, hoc lemmate, *Amor addidit*, naturaliter enim Testudo caret alis: rationes, cur sint excludendæ istæ figuræ; variæ sunt: prima est, quia in hisce phrenoschematibus lemma verùm non solet indicare; vt patet in supradicto phrenoschemate, vbi lemma *Amor addidit*, verum non explicat; Amor enim nulli addidit alas animali: secunda ratio est, quia perfectio vniuscuiusque operis exigit proportionem inter partes, ac perfectam simetriam earumdem, ergo etiam hęc proportio seruanda erit in phrenoschematibus, quis autem asseueraret, alas esse membrum proportionatum testudini? nemò certè sani iudicij. Tertia ratio est, quia conceptus mentalis Authoris in phrenoschemate debet exprimi per aliquod corpus verum, & reale, & ex hoc capite non tantum excluduntur Apologi, seù corpora fabulosa; sed à fortiori etiam illa corpora, quæ non sunt, nec vera, nec naturalia, vtpotè constantia ex partibus repugnantibus. Excluduntur etiam omnia alia corpora, quæ nàturalitèr nequeunt stare simùl, quamuis seorsim possint, vt est cancer tenens inter chelas Lunam hoc lemmate, *Fatis agor*: excluduntur etiam omnia corpora abstracta, vt esset Iustitia alterà ex manibus stringens stateram, & alterà ensem hoc lemmate, *Vnicuique suum*: quarè concludendum est solùm ex corporibus veris, realibus, ac naturalibus esse conficiendum phrenoschema, & de hisce symbolis cum Pythagora dicam non ex quocumq; ligno Mercurij statuam esse conficiendam.

EXPENSIO DECIMASEXTA.

An Perfectum Phrenoschema componi possit, ex figura cuiuslibet corporis naturalis, & an figuræ corporum naturalium sint perfectiores figuris corporum artificialium.

EX ijs, quæ hùc vsque diximus clarè patet, Phrenoschema esse veram metaphoram Proportionis, & eò esse nobiliùs, ac perfectiùs

fectiùs phrenoſchema, quò nobilior, ac perfectior eſt metaphora proportionis; illa verò eſt nobilior metaphora, quæ nobilius obiectum repræſentat oculis; exemplum huius nobilioris metaphoræ nobis proponit Ariſtoteles, ait ipſe, *Meliùs dicitur aurora roſea, quam purpurea*; quia ly *Roſea* nobis repræſentat pulcherrimum florem; ſecùs ly *Purpurea, ac Rubea* effuſum, ac corruptum ſanguinem viliſſimi vermis, eſt enim nobilius obiectum Roſa, quam ſanguis occiſi vermis. Et Homerus ad exprimendum furorem Achillis, meliùs vocauit Achillem per metaphoram proportionis *Leonem*, quam *Serpentem* licèt vtraque fera nobis repræſentet animum furore percitum, quia Leo eſt obiectum nobilius, quam ſit ſerpens: ergò cum perfectum phrenoſchema, ſit perfectiſſima metaphora proportionis; & ex Ariſtotele illa ſit perfectior metaphora, quæ nobilius repræſentat obiectum; probatum, & concluſum remanet perfectiſſimum phrenoſchema excludere figuram corporis vilis, ac ignobilis; quamuis tale corpus ſit naturale, vt eſt *Crocodilus plorans* Alexandri Viſtalini, apud Camillum de Camillis hoc lemmate, *Plorat, & Deuorat*. Coluber inter virgulta hoc hemiſtichio *Latet*. Bufo Cæſaris Paueſij, per cuius patulum os ingreditur Muſtela, *Callidior errat*. Taurus Rinati Siciliæ Regis apud Paulum Iouium hoc lemmate *Pas à Pas*. Omnes iſtæ figuræ corporum naturalium ſunt excludendæ à perfecto phrenoſchemate ex duplici capite: primò, quia metaphora proportionis non repræſentat obiectum nobile; imò ignobile, ac viliſſimum: ſecundò, quia phrenoſchemata ſunt argumenta poëtica, & figura corporis naturalis ſignificat Auctorem phrenoſchematis, quippequi auctor deberet dicere, ego ſum coluber, Bufo; quod eſſet damnare ſeipſum.

Ad ſecundam difficultatem tituli ſigillatim reſpondeo; corpora naturalia eſſe præſtantiora artificialibus, quo natura nobilior eſt ipſa arte, cum Natura ſit opus diuinæ mentis; & Ars filia intellectus creati, ac limitati. Tum quia Natura eſt magiſtra, Ars diſcipula, & imitatrix eiuſdem naturæ. Tum quia metaphoræ, quæ transferuntur a rebus naturalibus ſunt magis naturales; ſecus quę eruuntur ex artificioſis ſunt magis affectatæ; ex quo concluſum remanet perfectum phrenoſchema exigere figuram corporis naturalis, realis, nobilis, pulchri.

Aduerte etiam, quod proprietas huius corporis debet eſſe, vel

 ſingu-

singularis, vel specifica, hoc est non propria alterius corporis. Proprietas enim potest esse, vel generica, vel specifica, vel indiuidualis; Proprietas generica est illa, quæ conuenit pluribus differentibus specie, vt *Volitare* proprium omnium auium. Specifica est, quæ conuenit pluribus differentibus numero, vt *Probare ad Solis radios proprios pullos* est tantùm proprium omnium Aquilarum. Indiuidualis deniqne est, quæ conuenit vnico soli indiuiduo, vt *Renasci inter flammas* est proprietas solius Phœnicis; communicare splendores cæteris Planetis est proprietas solius Solis. Accendere extinctas faces, Dodonæi fontis. Viuere in igne, Salamandræ: quia verò hæc corpora, vt plurimùm sunt fabulosa, & excludenda à perfectissimo phrenoschemate; ideò melius censeo, proprietatem corporis debere esse specificam. Sic apud Aegyptios nobilis est ales, nonnisi in palmis nidificans, & potest esse symbolum spiritus generosi, qui in sinu victoriæ adolescat. Aquilæ geminos producunt fœtus, alterum semper expellentes, vel vt exprimant Monarchiæ symbolum; vel illas matres, quæ nutriendi partum tædio affectæ, proprios filios recusant. Apud Indos est auicula, quæ à Solis cursu Heliodromus vocatur, hæc vix nata materno è sinu auolat, vt Orientem Solem contempletur, illumque sequitur per meridiem, & cum eo vertitur in Occasum, annum dumtaxat viuit; terra scilicèt indigna, quia Cœlo dignissima. Hercyniæ syluæ volucres lucent nocturno tempore in terra, non minùs, quam sydera in cœlo; vndè & terra videtur habere sua sydera. Luscinia vtpotè cantu suauissimo somnum conciliat, at suæ carnis esu, ad vigiliam prouocat. Cornices vigiliæ, ac custodiæ sunt symbolum; quia semper in turribus, ac in altioribus ædificiorum pinnis vigilant, & Attilæ fuerunt bonum omen, iam per triennium Aquileiam obsidenti; vbi enim illas tumatim aliò asportare pullos suos vidit acriùs vrbẽ oppugnauit, & expugnauit. Struthio ferrum vorat, suoq; calore concoquit; sic Religiosi viri spiritus durissima quæque vorat: insuper Struthio oua fœcunda discernit ab infœcundis illa tantùm fouet, non hæc, habet hoc singulare struthio, quod non corpore, sed oculis, & intuitu ouis incubat. Paradisiaca auis cœlesti rore tantùm depascitur. Aquila quoque calua, ac deplumata Solem magis, magisque pellicit.

EXPEN-

EXPENSIO DECIMASEPTIMA.

An Pluralitas Figurarum sit de essentia Phrenoschematis.

INoleuit quorumdam opinio asserentium, esse de essentia phrenoschematis pluralitatem figurarum, vt ingenuè fatear multum nocuit huic instituto imperitorum scriptorum series, qui vera phrenoschematis scientia destituti minutias quasque putidiusculè discutiunt. Ab hac difficultate citò me expediam, hanc opinionem infringendo. Id dicitur de essentia, quo sublato res esse nequaquam potest; vt sunt partes definitionis essentialis apud Dialecticos, Genus, & Differentia, sine enim animalitate, seù rationalitate homo non esset homo; modo si pluralitas figurarum, semel est de essentia phrenoschematis; sequitur necessariò phrenoschema non posse esse sine hac pluralitate figurarum; hoc supposito sigillatim probo, hanc figurarum pluralitatem non esse de essentia perfecti phrenoschematis. Illud est de essentia rei sine quo res esse non potest, & quod essentialiter constituit ipsam rem: sed dantur plura perfecta phrenoschemata, quæ includunt duntaxat vnicam figuram, & in ipsis non videtur hæc multiplicitas figurarum. Ergo pluralitas figurarum non est de essentia phrenoschematis: Maior est certa, & ab omnibus est concedenda, quamobrem *Rationalitas*, quia est de essentia hominis, sine illa homo non esset homo, Minorem probo: quia in phrenoschemate illo ab omnibus nunquam satis commendato Regis LVDOVICI XII. quod ab Emanuele Thesauro ponitur, vt vera idea perfectissimi phrenoschematis vnica tantùm adest figura nempè *Histrix* hoc superaddito lemmate, *Eminùs, & Cominùs*. In phrenoschemate EMANVELIS PHILIBERTI Inuictissimi Sabaudiæ Ducis videtur tantùm delineatus *Elephas* hoc hemistichio *Infestus infestis*. In phrenoschemate PHILIPPI II. Pijssimi Hispaniarum Regis adest tantùm *Sol* hisce vocibus, *Iam illustrabit omnia*. In phrenoschemate HENRICI adhuc pueri Franciæ Regis tantùm adest *Dimidiata Luna*, hoc lemmate, *Donec totum impleat Orbem*. Et in phrenoschemate eiusdem iam adulti Paulus Iouius delineauit *Eamdem Lunam in plenilunio*, cui addidit hoc lemma, *Cùm plena est fit æmula Solis*. Alexander de Cupis in commendationem Cardinalis Riuarolæ pinxit formosissimum

Leonem auream quassantem iubam hoc lemmate, *Bello in sì bella vista, anco è l'horrore*. Vndè vides in omnibus hisce phrenoschematibus perfectioribus vnicam tantùm adesse figuram. Ergo conclusum remanet, pluralitatem figurarum non esse de essentia phrenoschematis.

Andreas Chiocus Medicus Veronensis vir in re litteraria politissimus vnicam affert rationem in suo Dialogo, quà probat, pluralitatem figurarum esse de essentia phrenoschematis, ait ipse non sufficere ad perfectionem phrenoschematis vnicam figuram, non quia vnica figura participet de ratione hieroglyphici, aut quia relinqueret mentem confusam, aut quia ejus significatum innotesceret etiam rudioribus hominibus; sed non sufficit vnica tantùm figura, eo quia in phrenoschematibus essentialiter requiritur relatio inter Agens, & Passum, ratio est quia omnis figura phrenoschematis continet in se aliquam actionem; actio verò necessariò debet esse inter duo nempè inter agens, à quo emanet; & passum, in quo recipiatur.

Hæc tamen ratio nulla est. Responderi enim potest primò hâc relationem saluari optimè posse in vnica figura: ipse enim debet necessariò admittere actiones immanentes, quæ recipiuntur in eodem subiecto, à quo emanant, vti sunt operationes intellectus, motus progressiuus, & cæteræ actiones, quæ inhærent principio, à quo fluunt, & de hac actione immanenti nulla est difficultas penes Philosophos: quamobrē illa propositio Chiocci, *Quod omnis actio necessariò exigat duo corpora vnum, à quo fluat; in quo recipiatur alterum*, genericè non est vera, & dumtaxat de actionibus trāseūtibus potest verificari. Quod autē dētur plura phrenoschemata perfecta fundata in actione immanēti clarè patet, habemus enim Cœlum pictum Comitis SANCTI CAROLI hoc lemmate, *Immotum in motu*. Circinum se vertendo, circulum efformantem hisce vocibus, *Non vagus vagor*. Arborem, quæ à nimio fructuum pondere pressa frangitur hoc hemistichio, *Inopem me copia fecit*. Colubrum in circulum volutum, *Ad me redeo*. Aquilam per aëra volitantem, *Nulla via inuia*. vel *Sublimitate secura*; clarè vides hæc omnia phrenoschemata esse fundata in actione immanenti, quæ actio non exigit duo corpora distincta, cùm recipiatur in eodem principio, à quo fluit.

Respōdeo secundò, posse etiam fieri perfectissima phrenoschemata

mata

mata fundata in nulla actione, siuè transeunte, siuè immanenti; vt est illud, in quo inspicitur vnicus Adamas hoc lemmate, *Macula carens*, quod phrenoschema ob subiecti nobilitatem, ac proprietatem plurimum habet perfectionis. Demùm non est necesse hanc actionem esse in actu secundo; sufficit enim si exprimatur in actu primo, seù in potentia proxima, vt est elegans illud phrenoschema comitis Pisigliani, in quo delineauit millum multiplicibus intextum ferreis acuminibus hoc lẽmate *Sauciat, & defendit* vbi loquitur de actione in actu primo, seù in potentia proxima.

Concludendum igitur est vnicam figuram esse de essentia phrenoschematis; plures de perfectione. Sed quæres quot figuræ poni possint in phrenoschemate. Respondeo duas, vel tres tantùm; plures enim imperfectum redderent phrenoschema. Obijcere tamen poteris nobile phrenoschema Eminentissimi Cardinalis Hetruriæ, in quo pinxerat splendidissimum Cometam circumdatum syderum miryade hoc lemmate *Inter omnes*. Obiectioni satisfacit Ruscellius dicens, hunc numerum esse intelligendum, quoad genus; vel speciem, non quoad indiuidua, possunt enim admitti plura indiuidua eiusdem speciei, vt sunt prædicta sydera propè splẽdidum Cometam, & ratio est, quia plura indiuidua eiusdẽ speciei se habent per modum vnius, vt sunt plures cerui mutuo auxilio tranantes mare apud Paulum Aresium.

Quæres quænam sit vera regula cognoscendi præcipuam figuram, quando in eodem phrenoschemate plures adsunt figuræ? Respondent plures, sed perperàm; tunc illam esse præcipuam figuram, à qua fluit actio vt ab agente. Contra est, quia dantur plura phrenoschemata ex perfectioribus, in quibus præcipua figura non est Agens, sed potiùs Passum, vt est illud phrenoschema Nicolai Cauli, in quo ad exprimendam inconcussam animi constantiam inter aduersantis Fortunę ictus, delineauit Pyramidem grandinum concussam à ruenti procella, hoc lemmate *Immota manet*. Et alius Academicus ad exprimendam eamdem animi constantiam pinxit Adamantem malleatum super incudem, hoc lemmate *Semper Adamas*. Et Petrus Franciscus Toccolus pinxit Asbestinū extensum super flammas, hoc lemmate, *Tergit, non ardet*. Asbestinum est quædam species lini apud Indos, quod inter flammas non solùm non comburitur, sed magis perficitur. In hisce phrenoschematibus

matibus, non Agens, sed Passum, vt Adamas, Pyramis, & Asbestinum, sunt figuræ præcipuę phrenoschematum.

Alij dixerunt præcipuam figuram esse illam, cui conuenit lemma phrenoschematis: hæc tamen Assertio genericè non est vera; dantur phrenoschemata ex perfectionibus, in quibus lemma nullo pacto conuenit præcipuę figuræ; vt est illud phrenoschema, in quo Monoceros suum cornu mergit in fontem, hoc lemmate, *Sine noxa bibuntur*; vbi figura præcipua est *Monoceros*, & lemma illi non conuenit, sed aquis.

Dico igitur veram regulam cognoscendi præcipuam figuram phrenoschematis, esse, animaduertere ad illam figuram, quæ per metaphoram Proportionis, seù per argumentum poëticum repręsentat Auctorem phrenoschematis, vt est adamas malleatus super incudem; adamas est præcipua figura, quia per argumentum poëticum repræsentat constantem animum Auctoris tali pacto. Adamas quamuis malleatus irridet ictus, & non frangitur, nec mutatur; sed ego quamuis malleatus, ac percussus ab aduersante Fortuna non frangor, nec immutor; ergo ego sum Adamas, qui malleatus non immutor.

EXPENSIO DECIMAOCTAVA.

De Perfectione, & Quantitate lemmatis.

HVcusque rimati sumus perfectiones figurarum phrenoschematis, agendum remanet de lemmate significante proprietatem figuræ; voces enim sunt attribuendæ immediatè figuræ; alioquin lemma esset imperfectum: ratio est, quia ex lemmate, & figura debet coalescere compositum, seù phrenoschema; hoc autem non posset fieri; nisi lemma vniretur figuræ; nec sufficit vnio localis, quia hæc est nimis extrinseca, & accidentalis, sed lemma debet etiam vniri figuræ quoad significatum, itàvt indicet proprietatem figuræ, alioquin si lemma non indicaret aliquam proprietatem figuræ haberet diuersum significatum, ac figura; & ità ex figura, & lemmate nō coalesceret vnum compositum idem significans. Quamobrem illa lemmata non erunt perfecta, quæ exprimunt conceptum mentalem Authoris, non proprietatem figuræ;

figuræ; vt esset illud lemma super aurum in fornacula, seù aurifusorio, *Domine probasti me*, quod lemma; licèt erutum ex sacris paginis, scilicet ex principio Psalmi centesimi trigesimi octaui, tamen est imperfectum, quia non exprimit proprietatem figuræ, sed mentalem conceptum authoris: non dissimile huic est illud aliud lemma super plantam Lotos emergentē ab Euphratis vndis oriente Sole, *Sic Diua lux mihi*, quæ voces exprimunt cōceptum mentalem Authoris, hoc pacto, sic ego oriente in me luce Diuinę Gratiæ surgam ab aquis fluxarum curarum mortalis vitæ, quæ iuxtà Psalmistam est mare feruens, in quo & ipse naufragauit, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Circa quantitatem lemmatis differunt inter se Auctores, Barcaglius, Aresius, & Ruscellius asserunt; lemma phrenoschematis nō debere excedere quantitatem carminis exametri, & Barcaglius, lib. 3. car. 453. affert nonnulla phrenoschemata, quorum lemmata sunt integra carmina italica, vt est illud lemma super colubrum inter saxa spoliantem se veteri veste: *Cangio la vecchia, e nuoua spoglia prendo.* Phrenoschemata verò, quæ pro lemmate integrum habent carmen latinum sunt rariora, ac sunt minus perfecta, vt est illud lemma super Platanum. *Et steriles platani malos gessere valentes*. Et super malum cotoneum, *Herculea collecta manu fragrantia durant*. Atqui meliùs censeo, quantitatem lemmatis non esse commensurandam cum quantitate materiali verborum; sed illa lemmata sunt perfecta, quæ sine vocum superfluitate explicant proprietatem figuræ, vndè aliquando lemmata composita ex tribus vocibus erunt nimis prolixa, vt super Solem illuminantem Mare THOMAE DE MARINIS *Nunquam siccabitur æstu*, vbi vox æstu videtur superflua: è conuerso hoc aliud lemma Pauli Iouij, super struthiocamelum, quamuis tibi videatur prolixum non tamen est vitiosum, quia sine vocum superfluitate explicat eius proprietatem, *Si sursum non efferor alis; cursu tamen præteruehor omnes*.

Fateor tamen illa esse perfectiora lemmata, quæ constant ex tribus tantùm vocibus, quia ternarius numerus est perfectior, vtpotè constans ex principio, medio, & fine; tùm quia lemma meliùs imprimitur & menti, & papyro, quia legitur prima vox in latere dextero, secunda in medio, & tertia in latere sinistro, quandò verò lemma constat ex pluribus, vel minoribus vocibus non

seruat

seruat hunc ordinem; & quando lemma constat ex duplici voce, tunc vna ex duabus debet obtruncari, quod non parùm displicet oculo, & aliquando ex tali separatione syllabarum potest etiam haberi alius sensus, vt patet in phrenoschemate cuiusdam Amasij imprudentis, pinxerat enim Asbestinum linum inter flammas, vbi non comburitur, hoc lemmate, *Illæsus ardet*, sed sine diphtongo, tali pacto obtruncando primam vocem, *Ille--sus--ardet*. Vel hoc aliud super Orpheum pulsantem citharam, ac soni suauitate ad se trahentem aues, saxa, feras, *Vi suaui*; scilicet *vi -sua--vi*.

Perfectiora igitùr sunt illa lemmata, quæ constant ex triplici voce, vt super histricem Ludouici XII. *Eminus- & --Cominus*. Super Monocerotem mergentem cornu in aquas, *Expellit--&--Allicit*. Super Solem in signo Tauri, *Aurea--condet--sæcula*. Super Aquilam volitantem per aëra *Nulla--via--Inuia*. Super cetum, qui dum pisciculos sequitur in scopulos impingit, *Dum--Irruit--Ruit*. Super arundines natas in aquis, *Aluimur--Non--Obruimur*. Super Solem in eclipsi, *Deficit--Quia--Tegitur*. Super Aetnam euomentem flammarum globos, *Ego--in--Corde*. Super Phœnicem morientem in flammis, *Perit--ne--Pereat*. Super hastam Achillis, *Vulnus--Opemque--Gerit*. Super Palmam, & Cupressum, *Erit--Altera--Merces*. Super annosam Quercum in humum prolapsam, *Et--Magna--Iacet*. Super aceruum prunarum ignitarum. *Extinguimur--si--Distinguimur*. Super Solem micantem in Zodiaco, *Malè--Operantibus--Pauor*, vel hoc aliud, *Oblique--Et--Vbique*. Super Struthiocamelum vorantem ferream catenulam, *Spiritus --Durissima--Coquit*. Super Testudinem capite, ac pedibus extra propriam testam. *Graditur--Non--Egreditur*, Vel *Sub Paruo--sed --Meo*. Super ferream pilam explosam à tormento bellico, *Ardet --vt--Feriat*. Super illachrymantem Crocodilum, *Plorat--&--Deuorat*. Super Viperam parturientem, & occisam à proprio fœtu, *Ingratis--seruire--Nefas*.

EXPENSIO DECIMANONA.

De cæteris Perfectionibus lemmatis.

ARduum non erit etiam rudioris notæ hominibus proprio Marte texere lemmata etiam arguta, quæ suis phrenoschematibus adamussim videantur conuenire. Quapropter illa lēmata censentur

censentur perfectiora, quæ ortum suum trahunt ab aliquo celebri axiomate grauis, ac eruditi Auctoris in litterario puluere celebris; itá vt lemmata inopinatè videantur dicta ad confirmanda nostra phrenoschemata.

Præcipua igitur perfectio lemmatis est, quòd eruatur ab aliquo Auctore classico fide digno. Nam cum nostra licèt sagaciter inuēta confutari, refellique possint liberiùs: sola Authorum (qui modo omnium consensu, magni sunt, & celebres) obseruantia, tam mitem elicit assensum, vt pudor sit difiteri, & non libentèr amplecti, quæ superiorum sæculorum oracula suo calculo comprobarunt. tale fuit illud lemma Ludouici XII. super hystricem *Eminùs, & Cominùs*, erutum à grauibus Auctoribus: videtur enim desumptū ex vigesimo quarto libro Titi Liuij, vbi de artificiosis, ac mirabilibus machinis Archimedis contra Marcellum oppugnatorem Siracusanæ Vrbis, sic ait. *Sed ea quoque pars, omni tormentorum apparatu instructa erat, quæ non* EMINVS *tantùm, sed* ET COMINVS *tela mitteret*; idem lemma videtur quoq; erutum, ex quarto libro Lucani, vbi luculenter describitur pugna, in qua occisus obijt Curio, ait, *Vndique septa iuuentus* COMINVS *obliquis* ET *rectis* EMINVS *hastis obruitur*, & compilator Hieroglyphicorum,

COMINVS *vt pugnat iaculis, atque* EMINVS *Hystrix.*
Rex bonus est ARMIS, CONSILIISQVE *potens.*

Secunda perfectio est, quod in lemmate lateat aliqua æquiuocatio, vt est illud lemma Henrici Regis apud Paulum Iouium super dimidiatam Lunam, *Donec totum impleat Orbem*. vbi vox illa *Orbis* significat, & circulum Lunæ, & globum terræ. Et super thus exardens igni, *Fragrat, & Flagrat*.

Tertia perfectio est, quod in lemmate reluceat aliqua figura Anthitesis, vt legitur in lemmate super Phœnicem morientem inter flammas, *Perit, vt viuat*. Et super Palmam Arborem, *Inclinata resurgo*. Super montem Aetnam aspersum niue, flammasque euomentem, *Gelat, & Ardet*. & alluditur ad quamdam Virginē Amasiam, cui nomen erat *Gelarda*. Longè perfectiora sunt illa lēmata; in quibus lucet *Inocolon*, hoc est æqualitas, seù perfecta symmetria partium, vt super Metas, *Nec citrà, nec vltrà*; vel vt est hoc aliud lemma, *Paruus Magnis, Magnus Paruis*, super Pumilionem.

Quæres an lemma possit scribi in quocunq; idiomate. Respondeo esse inscribendum latino idiomate, quia hæc lingua est perfe-

ctior, & vniuersalior, vndè est error, qui irrepsit sēper per leuiora ingenia scribere ad eruditionis ostentationem grȩcè, vel hebraicè ipsa lemmata; quibus tamen conueniret illud Heracliti affectantis in suis scriptis obscuritatem: *Non vult intelligi, ne legatur quidem.* Hinc Demetrius Phalereùs in lib. quem de elocutione scripsit eos redarguit, qui græcis vocibus peregrinas immiscent; & Tiberius in Senatu noluit grȩcam vocem vsurpare, quæ tamen maximè necessaria censebatur.

Quæres vltimò quomodo Parma, seù campus figuræ debeat esse. Respondeo esse errorem multiplicare ob ornamentum phrenoschematis figuras in parma, seù, vt vulgò aiunt, in campo, hoc enim est multiplicare entia sine necessitate; stemmata gentilitia, & phrenoschemata, ait Emanuel Thesaurus sunt idem, nisi quod stemmata respiciunt integram familiam; phrenoschemata verò virum peculiarem; itaque sicut esset error in parma stemmatis gentilitij præter propriam figuram alias adijcere, vt delineare oppida, arua, aquilas, viridaria, elementa, flores, ità similibus ornamentis deuenustantur ipsa phrenoschemata: Parma igitur non debet affectare peregrinos colores. Expositores tamen illius Virgiliani Hemistichij lib. 11. *Parmaque inglorius alba* fatentur, talem parmam clypei fuisse albam, ex quo concludendum remanet, parmam phrenoschematis reijcere omnia alia ornamenta præter figuram significantem, vt fecit Ludouicus XII. qui absq; alio ornamento pinxit Hystricem addito lemmate, *Eminùs, & Cominùs.*

EXPENSIO VIGESIMA.

De Significatione Figuræ, ac de eius perfectionibus.

NOn exilis est labor tales adinuenire figuras, quæ perfectè, vt vulgò aiunt, quadrent subiecto, vel personæ; quæ per metaphoram Proportionis exprimitur in phrenoschemate, grando aliquando est discrimen inter duas figuras licèt exprimentes eumdem conceptum mentalem, nec vbi Achillis est hasta, ibi Achillis est manus; non sufficit, si figura exprimat conceptum mentalem Authoris, sed taliter debet appropriari suo Auctori, vtæquè alteri subiecto nequeat conuenire. Multa inspiciuntur phrenoschemata potiùs composita pro quocumque homine in com-

communi, quam pro aliquo particulari, vt est *Adamas* Malleatus hoc lemmate, *semper adamas*, quæ figura exprimit per metaphoram Proportionis quemcumque virum constantem in aduersitatibus; huic similis est figura Phœnicis morientis in rogo, *Perit, vt viuat*, quæ figura exprimit quemcumque iuuenem, qui abdicatis curis sæculi onus subit Religionis; perit nempè mundo, vt viuat Deo: habetur quoque Thus exardens in igne *Flagrat, & fragat*, exprimens quemcumque animum religiosum inter tribulationes exercentem virtutem Patientiæ.

Figuræ propriæ illæ dicuntur, quæ indicant circumstantias indiuiduales, vt Nomen, Cognomen, stemma gentilitium; à nomine illa Virgo Bononiensis Amasia, quæ deperibat Cæsarem Spinellum, cui volebat nubere contra Patris voluntatem, delineatam gerebat in pectore effigiem iuuenis, cui addidit illud decantatum lemma, *Aut Cæsar, aut nihil*; Iacobus Triuultius, vt significaret Regi Ludouico obstaculum, quod Gallico exercitui objiceret, si Vrbes Italiæ adoriri fuisset ausus delineauit gnomonem, seù stylum horarium propriæ stirpis gentilitium stemma, hoc lemmate, *Non cedit vmbra Soli*; & Philippus Sega prædixit Pontificiam dignitatem Gregorio Tertio decimo, delineando *Draconem* stemma gentilitium domus Boncompaniæ, cui addidit lemma *Delubra ad summa*, alludendo ad narrationem Virgilij. Alij delinearunt figuras desumptas à circumstantijs natiuitatis, vt asterismum proprij horoscopi; quia Carolus Emanuel Inuictissimus Dux Sabaudiæ materna ab aluo caput extulit mense Nouembri, quando Sol in Zodiaco vnitur cum Sagittario, ipse Dux in proprio phreno schemate pinxit Sagittarium hoc lemmate, *Opportunè*, & Emanuel Thesaurus, vt argutũ componeret phrenoschema, delineandum super vexilla, equorum phaleras, ac militum amicula, Principis Thomæ à Sabaudia Generalis Gallici exercitus considerauit illius natiuitatis circumstantias, & cùm obseruasset in eius horoscopo quindecim gradus Libræ, & legisset in Manilio,

Felix æquato genitus sub pondere libræ,
Iudex extremæ sistet, vitæque, necisque:
Illum vrbes, & Regna trement;

pinxit *Asterismum Libræ, cum Francico Lilio*, cui addidit lemma erutum ex ipso Manilio, *Vrbes, & Regna trement*.

Fit etiam singulare phrenoschema, si alludatur ad aliquam pe-

culiarem actionem, vt est phrenoschema Caroli Quinti post debellatam Africam, *Plus vltra*, super Herculeas columnas, quia primus bellicis nauibus ingressus Oceanum Herculeas metas trāsegit, & alluditur ad illud quasi propheticum hemistichium Lucani, *Herculeis aufertur gloria metis*.

Peculiare quoque redditur phrenoschema per oppositam allusionem ad aliquod antecedens phrenoschema. Sic quia Colonnienses omnes delinearunt Iuncos marinos agitatos ventis, hoc lēmate, *Flectimur, non frangimur*: ad exprimendum, quod hostes nunquam eos debellarent, quamuis molestijs eos tentassent: è conuerso statim, Cesarini vt indicarent, se potiùs velle mori, quam dimoueri à proposito pinxerūt plures columnas hoc hemistichio, *Frangimur, non flectimur*.

Proprietas quoque figuræ non debet esse trita, ac omnibus nota, quia sicuti quæ trita sunt, nec animos mulcent, nec quadam suauitate sese in mentis recessus insinuant; sic è conuerso nouitas plurimum habet aucupij; aliquando quamuis figura sit trita, proprietas tamen eiusdem potest esse ignota, ac noua, quia idem compositum physicum plures habere potest proprietates; sic notum est apud omnes, Apes Opes rosarum, ac florum exsugere; quamobrem non defuit studiosus Iuuenis, qui vt exprimeret se tantùm meliùs, ac sanctiùs, vel magis eruditum accipere à libris, pinxit Apem sugentem liquorem Rosæ, hoc lemmate, *Dulce tantùm*, at preter hanc proprietatem sugendi dulces liquores florum habent apes aliam proprietatem, & est quod ita leuiter volitāt super flores, ac exsugūt liquorem; vt nullum afferant damnum ipsis floribus; vt fatentur Plutarcus, & Plinius super hanc proprietatem composui phrenoschema super exercitum Ludouici Franciæ Regis, quando tempore Alexandri Septimi hyemauit Parmę, ac Placentiæ. Pinxi *Rosam*, quæ exprimebat Italiam, & super illam varias *Apes* exsugentes liquorem eiusdem Rosæ, quæ Apes significabant milites Gallicos, qui alebantur in illis aruis, addidi lemma desumptum à Lucano, & Ouidio, *sed sine damno*.

EXPENSIO VIGESIMA PRIMA, ET VLTIMA.
De Conditionibus Perfectissimi Phrenoschematis.

CONditiones, quæ ad perfectissimum phrenoschema requirūtur talem excedunt numerum, vt videatur quasi impossibile

perfectissimum posse cõfici phrenoschema ab intellectu humano: debet namque esse *Metaphora Proportionis per modum argumenti poëtici, fundati in similitudine, & in illo principio, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, & hęc metaphora debet exprimere conceptum aliquem mentalem, Particularem, & Heroicum, Auctoris, mediante aliqua Figura Reali, Nobili, Vnica, Naturali, ac proportionata parmæ; cuius proprietas debet esse singularis, noua; quæ exprimatur ab aliquo lemmate acuto, breui, æquiuoco, deprompto ex aliquo classico Authore latino*, & omnes hæ circumstantiæ sunt essentiales perfectissimo phrenoschemati, non simplici; phrenoschema enim simplex est tantùm *Metaphora Proportionis exprimens conceptum mentalem Authoris mediante aliqua symbolica figura*: vndè multi simplicia, non perfectissima conficiunt phrenoschemata, & quamuis sit quasi impossibile perfectissimum conficere Phrenoschema tamen est semper faciendum cum illa maiori perfectione possibili, vti videatur elegantius.

Lemma semper est eruendum ab aliquo classico Authore, vt plures in hoc instituto non ignobiles fecerunt ex illo Virgiliano carmine, in quo de fama ait, *Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.* Alij enim delinearunt horologium rotatum, hoc lemmate, *Mobilitate viget*: reliqua parte carminis vsus est Barcaglius in conficiendo phrenoschemate in commendationem cuiusdam iuuenis eruditi, ac in re literaria clari; qui plures consequebatur dignitates: pinxerat enim flumen è quodam fonte erumpens, quod fluendo cresceret recipiendo aliorum fluminum vndas, cui addidit postea hoc lemma, *viresque acquirit eundo*; voces Authoris, à quo eruitur lemma non sunt mutandę, cęteroquin lemma esset imperfectũ, vt est illud cuiusdam Ducis, qui delineauerat equũ Troianũ cui addidit lemma, *Non cæca condemur in aluo*; depromptum ex illo carmine Virgiliano, *Nec equi cæca cõdemur in aluo*, sin autem ex nullo sit depromptum Authore erit omninò imperfectum, & Thesaurus redarguit, vt vitiosum illud cõmendatum phrenoschema *Henrici II.*, vbi inspicitur delineata *gliscens Luna*, hoc lẽmate *Donec totum impleat Orbem*, quia hoc lemma non fuit erutum ex Authore classico. Tum quia corpus est imperfectum; & Luna est potiùs symbolũ Inconstantię; vndè melius conueniret Imperatori Turcarum, cuius stemma gẽtilitium est huiusmodi Luna, & phrenoschema foret perfectius, quia præter metaphorã Proportionis;

adde-

adderetur quoq; metaphora Attributionis. Insuper lemma debet indicare figuram significantem, non conceptum significatum per talem figuram; in quo videtur deficere phrenoschema Cardinalis Francisci Gozagæ, vbi politissimum ingenium delineauerat Aquilam super Oliuæ Ramum hoc hemistichio *Bella gerant alij*, quod fuit depromptum, licèt facta aliqua alteratione ex illo Turni apud Virgilium, *Bella viri pacemque gerant*, vel ex illo trito carmine: *Bella gerant alij tu felix Austria nube*; certè hoc phrenoschema plures includit perfectiones, præter metaphoram Proportionis adest etiàm metaphora Attributionis; quià Aquila est stemma gentilitium domus Gonzagæ, conceptus quoque est heroicus, ac nobilis, ac dignus partus tanti viri, nō minùs dignitate, quàm ingenij excellentia, animique virtute Eminentissimi; at lemma peccat in hoc, quod exprimit conceptum significatum, non figuram significantem. Emanuel Thesaurus, qui veram videtur attigisse phrenoschematis essentiam; postquam reiecerit, vt imperfecta, etiam perfectiora phrenoschemata, tādem suum peculiare posuit, in quo ad significandum se inter armorum tumultus, ac Belgici belli rumores euasurum illustriorem calamo, scribēdo actiones Principis Thomæ à Sabaudia delineatam voluit in parma obscura illam micantem Auem, quæ ab Vlysse Oldrouando dicitur *Auis Lucida*. Ab Alberto Magno *Lucidia*; à Belgicis *Auis Ignita*, à Fuluio Patauino *Microphœnix*, & hæc est illa auis syluæ Herciniæ, quæ vt fatentur Solinus, & Plinius suis splendoribus vincit nocturnas tenebras illius frigidissimæ Ditionis, & veluti telluris cynosura verū callē errantibus incolis monstrat, cui addidit hoc lemma, *Nil opis externæ* depromptum à Claudiano in Panegyrico Mallij Theodori

> *Ipsa quidem virtus pretium sibi: solaque latè*
> *Fortunæ secura nitet: nec fascibus vllis*
> *Erigitur: plausuue petit clarescere vulgi.*
> NIL OPIS EXTERNAE *cupiens, nil indiga laudis.*

Verùm si pilum in ouo, vt vulgò aiunt, vel maculas in Sole, velimus detegere, vitiosum quoq; erit hoc phrenoschema, Thesaurus vnicam fatetur huius phrenoschematis imperfectionē, quia hæc auis est pingenda colore aureo, ac ceruleo, vt videatur differre à cæteris auibus, quapropter hæc auis apparet tantùm picta in tela, non insculpta marmore; at præter hanc imperfectionē; has alias habet. Primò quia, vt ipse optimè fatetur, proprietas figuræ debet

esse

esse singularis, & noua non trita, sed proprietas prædictæ auis non est singularis; quià etiàm Cicindela, seù Noctiluca lucet nocturno tempore; est enim genus muscarum, quod noctu lucet, præsertim æstiuo tempore, apud nos Italos; ergo caret perfectione singularitatis. Secundò, quia hæc proprietas non est noua, sed trita omnes enim mediocriter eruditi sciunt Auem Syluæ Herciniæ lucere noctu; vndè sicuti ipse à numero figurarum, quæ propter nouitatem alliciant, excludit Salamandram, quæ viuit in flammis; Phœnicem, quæ moriendo renascitur, sic ego excludo hãc Auem, quia non minus est trita, quam sint Salamandra, & Phœnix; imò apud Germanos est magis nota; quia proprietatem huius Auis etiam rustici sciunt. Tertiò, quia, vt ipse ait, proprietas figuræ debet dumtaxat conuenire subiecto, quod exprimitur per figuram phrenoschematis, sed prædicta figura per metaphoram proportionis optimè exprimit omnes illos, qui inter tribulationes; virtutis, constantiæ, ac patientiæ radijs magis elucescunt, ergo non est propria tantùm Authoris.

Quartò, quia Parma in qua delineatur figura, debet potiùs esse alba, vt ipse fatetur afferens illud Virgilianum hemistichium, *Parmaque inglorius alba*, quod si asserat hoc fecisse ad exprimendam noctem; Respondeo contrà, quia in phrenoschemate, vt ipse asseuerat non est delineandum corpus chimericum, sed reale, ac naturale, tenebræ vero expressæ per colorem nigrum sunt ens chimericum, quia tenebræ, vt fatentur omnes philosophi sunt meræ priuationes lucis, color verò niger non est priuatio, sed forma positiua. Ex his facilè percipies, quàm sit difficile perfectissimum conficere phrenoschema.

Quæres, ad quod ex tribus Rhetoricæ generibus reducantur phrenoschemata: Respondeo, phrenoschemata esse argumenta Rhetorica fundata in similitudine, & per consequens necessariò reduci, vel ad genus Demonstratiuum, vel Deliberatiuum, vel Iudiciale. Ad genus Demonstratiuum præsertim reducuntur illa phrenoschemata texta in commendationem virtutis. vt est Adamas malleatus super incudem, hoc lemmate, *semper adamas*, in commendationem constantiæ. Vel Erodius, qui prænoscens tempestatem super nubes volitat, hoc lemmate, *Natura dictante*. Ad hoc genus Demonstratiuum etiam reducuntur illa phrenoschemata,

ſchemata, quæ redarguunt vitium, vt eſt ille ſus iugulatus, hoc lemmate, *Tantùm Frugi*, contrà ſordidum Auarum. Ad Genus Deliberatiuum reducuntur illa phrenoſchemata, quæ reſpiciunt tempus futurum, vt eſt gliſcens Luna Regis Henrici, hoc lemmate, *Donec totum impleat Orbem*, vel Sol Philippi Regis, *Iam illuſtrabit omnia*. Genus enim Deliberatiuum reſpicit tempus futurum. Ad Genus Iudiciale reducuntur illa phrenoſchemata, quæ vel accuſant, vel excuſant, phrenoſchema accuſans eſt illud contra quamdam mulierculam, vbi inſpicitur delineata vitis ſuper Populum arborem, quæ vox ſignificat quoque turbam gentium, cui additum fuit hoc lemma, *Nulla magis arbore gaudet*. Phrenoſchema excuſans eſt illud cuiuſdam Iuuenis, qui arguebatur eò quòd relictis ſtudijs Iuris Prudentiæ venationi vacaret in ſuburbijs, vt ſe excuſaret; pinxit nobilem equum curſorem, qui in medio prolixæ viæ ſiſtebat comedens frugem. cui addidit hoc lemma, *Otior, vt Ocyor*. Sine & tu, Lector beneuole, me paululùm otiari, vt ocyor factus, quem tibi polliceor integrum elogiorum libellum cudere, quam citò queam, cæterùm in hoc libro, ſi nihil boni legiſti, hoc vnum ſaltèm aderit, quod Ariſtotele teſte habet rationem non non boni, ſed optimi, nempè

FINIS.

LAVS DEO, AC VIRGINI MATRI.

ELENCHVS LOCVPLETISSIMVS

Rerum omnium notatu dignioru, quæ in hoc Opere continentur, numerus productus paginam designat.

A

Ampli-

Caius

Cur

per

Hercu-

I.

Iupiter

Mytridatis elegans sententia 265.

N.

Natiui-

quid

Pudi-

Spar-

FINIS.

Errores, qui in hoc Opere irrepserunt.

Pag.	Errata	sic	Corrige
5.	baerratis		aberratis
96.	babillonicæ		babylonicæ
173.	lapidè		lepidè
302.	lætali		lethali
403.	literalia		literaria
430.	chiraga		chiragra
452.	epicedrium		epicedium
468.	honor		humor
634.	fiura		figura
636.	hominum moderatior		hominum mens moderatior
637.	pellæ		pelle
656.	frartes		fratres